+

Donatus' est benevolentia
Admodum Rdi ac Vene. D.
Josephi Barisien Anno 1765

COMPENDIUM THEOLOGIÆ

DOGMATICÆ

ET MORALIS,

AD USUM

SEMINARII CATALAUNENSIS.

Auctore D. LUDOVICO HABERT, *Sacræ Facultatis Parisiensis Doctore Theologo, & Socio Sorbonico.*

Nova Editio accuratior.

Parisiis, & veneunt

LUGDUNI,

Apud Fratres DUPLAIN, in vico Mercatorio.

M. DCC. XLI.

Cum Approbationibus, & Privilegio Regis.

INDEX CAPITUM.

PROLEGOMENA.

CAP. I. DE *natura & proprietatibus Theologiæ.* pag. 1
CAP. II. *De locis theologicis,* 6
CAP. III. *De Scriptura ſacra,* 7
CAP. IV. *De Traditionibus,* 9
CAP. V. *De Eccleſia,* 11
CAP. VI. *De objecto Theologiæ,* 15

De Deo, diviniſque ejus Attributis.

CAP. I. DE *divinis Nominibus,* 17
CAP. II. *De Exiſtentia Dei,* 19
CAP. III. *De Eſſentia & unitate Dei,* 21
CAP. IV. *De Attributis divinis,* 24
CAP. V. *De Attributis modificativis,* 25
§. I. *De Perfectione Dei,* ibid.
§. II. *De Bonitate Dei,* 26
§. III. *De Simplicitate Dei,* 28
§. IV. *De Immutabilitate Dei,* 32
§. V. *De Sanctitate Dei,* ibid.
§. VI. *De Infinitate Dei,* 33
§. VII. *De Immenſitate Dei,* ibid.
§. VIII. *De Æternitate Dei,* 35
§. IX. *De Inviſibilitate & incomprehenſibilitate Dei,* 37
§. X. *Satisfitne nonnullis quæſtionibus circa viſionem beatificam,* 43
CAP. VI. *De Attributis divinis, quæ per modum facultatis exprimuntur,* 47
§. I. *De Intellectu divino,* 48
§. II. *De Voluntate Dei,* 53

§. III. *De objecto & proprietatibus voluntatis divinæ*, 55
§. IV. *De omnipotentia divina*, 58
CAP. VII. *De Attributis divinis quæ habitum ſonant*, ibid.
CAP. VIII. *De Attributis divinis quæ actionem ſignificant*, 60
§. I. *De Providentia Dei*, ibid.
§. II. *De Prædeſtinatione*, 64
§. III. *De Reprobatione*, 73

De Myſterio ſanctiſſimæ Trinitatis.

CAP. I. *DE notione hujus Myſterii*, 77
CAP. II. *De divinis proceſſionibus*, 83
CAP. III. *De relationibus divinis*, 88
CAP. IV. *De æqualitate & conſubſtantialitate trium perſonarum*, 90
§. I. *Filius eſt verus Deus Patri conſubſtantialis*, ibid.
§. II. *Spiritus ſanctus eſt æqualis & conſubſtantialis Patri ac Filio*, 95
CAP. V. *De Miſſionibus divinis*, 96
CAP. VI. *De prima perſona*, 98
CAP. VII. *De ſecunda perſona*, 99
CAP. VIII. *De tertia perſona*, 103
CAP. IX. *Utrùm Myſterium SS. Trinitatis ita ſit ſupra rationem, ut ei repugnet?* 105
CAP. X. *Utrùm notitia Myſterii ſanctiſſimæ Trinitatis ſit ad ſalutem neceſſaria?* 107

De rerum Creatione.

CAP. I. *DE Creatione Mundi*, 108
CAP. II. *De Angelis*, 109
CAP. III. *De gratia & lapſu Angelorum*, 113
CAP. IV. *De numero Angelorum*, 115

CAP. V. *De primo homine*, pag. 120

De Mysterio Incarnationis.

CAP. I. *De ejus nomine*, 126
CAP. II. *De possibilitate Incarnationis*, 127
CAP. III. *De existentia Mysterii Incarnationis*, 128
§. I. *Mysterium Incarnationis asseritur adversùs Gentiles*, ibid.
§. II. *Mysterium Incarnationis asseritur adversùs Judæos*, 131
CAP. IV. *De notione Mysterii Incarnationis*, 134
CAP. V. *De necessitate Incarnationis*, 145
CAP. VI. *Utrùm natura humana in Christo præter unionem hypostaticam aliarum gratiarum donis fuerit ornata?* 146
CAP. VII. *De merito Christi*, 149
CAP. VIII. *De Titulis Christi*, 154

De Gratiâ Christi.

CAP. I. *De notione Gratiæ Christi*, 167
CAP. II. *De divisione Gratiæ Christi*, 170
CAP. III. *De necessitate Gratiæ actualis*, 173
CAP. IV. *De Gratia efficaci*, 179
CAP. V. *De Gratia sufficiente*, 182
CAP. VI. *De Gratia habituali*, 187
CAP. VII. *Explicantur reliqua quæ pertinent ad Gratiam habitualem & justificantem*, 194
CAP. VIII. *De effectibus Gratiæ*, 198

De Actibus humanis.

CAP. I. *De notione actûs humani*, 200
§. I. *De voluntario*, 201
§. II. *De Ignorantia*, 202
§. III. *De Libero*, 207

§. IV. *De Morali*, pag. 210
CAP. II. *De bonitate & malitia Actuum humanorum*, 211
CAP. III. *De objecto Actuum humanorum*, 213
CAP. IV. *De fine Actuum humanorum*, 217
CAP. V. *De divisione finis*, 219
CAP. VI. *De effectibus finis*, 224
CAP. VII. *De circumstantiis Actuum humanorum*, 228
CAP. VIII. *De merito bonorum operum*, 231
CAP. IX. *De merito de condigno*, 234
CAP. X. *De merito de congruo*, 241
CAP. XI. *De divisione Actuum humanorum*, 243

De Vitiis & Peccatis.

CAP. I. *De notione Vitii & Peccati*, 245
CAP. II. *De divisione peccati*, 250
CAP. III. *De peccato mortali & veniali*, 253
CAP. IV. *De peccati mortalis differentia à veniali*, 256
CAP. V. *De Peccato originali*, 259
CAP. VI. *De natura & essentia peccati originalis*, 263
CAP. VII. *De pœnis peccati originalis*, 265
CAP. VIII. *De causa efficiente peccati*, 268

De Regula Morum.

CAPUT UNICUM. *De ejus necessitate & existentia*, ibid

De Conscientia.

CAP. I. *De notione Conscientiæ*, 269
CAP. II. *De divisione Conscientiæ*, 271
CAP. III. *De bona, malave Conscientia*, 275

De Lege.

CAP. I. *De notione Legis*, pag. 279
CAP. II. *De divisione Legis*, 284
CAP. III. *De Lege humana*, 289
CAP. IV. *De veteri Lege divina*, 293
CAP. V. *De Lege evangelica*, 298

De Virtutibus theologicis, Fide, Spe, & Charitate.

CAP. I. *De definitione & divisione Virtutis theologicæ*, 303
CAP. II. *De Fide*, 305
CAP. III. *De Actibus Fidei*, 310
CAP. IV. *De peccatis Fidei oppositis*, 316
CAP. V. *De Spe*, 319
CAP. VI. *De Charitate*, 324

De Jure & Justitia.

CAP. I. *De Juris notione & divisione*, 336
CAP. II. *De definitione & divisione Justitiæ*, 341
CAP. III. *De peccatis Justitiæ oppositis*, 344
CAP. IV. *De Contractibus in genere*, 350
CAP. V. *De Contractibus in specie*, 354
§. I. *De venditione & emptione*, ibid.
§. II. *De Mutuo*, 358
§. III. *De Usura*, 361
§. IV. *De Contractu Societatis*, 366
§. V. *De Cambio*, 367
CAP. VI. *De Restitutione*, 369

De Religione.

CAP. I. DE *definitione Religionis & ejus actibus*, pag. 374
CAP. II. *De Devotione*, 375
CAP. III. *De Oratione*, 378
CAP. IV. *De Voto*, 393
CAP. V. *De Juramento*, 398
CAP. VI. *De peccatis Religioni oppositis*, 405
CAP. VII. *De Simonia*, 411
§. I. *De ejus natura & definitione*, ibid.
§. II. *De divisione simoniæ*, 418
§. III. *De pœnis Simoniacorum*, 421

De Sacramentis in genere.

CAP. I. DE *notione & existentia Sacramenti*, 423
CAP. II. *De materia & forma Sacramentorum novæ Legis*, 430
CAP. III. *De causa efficiente Sacramentorum novæ Legis*, 434
CAP. IV. *De effectibus Sacramentorum novæ Legis*, 438
CAP. V. *De Dispositionibus ad Sacramenta recipienda requisitis*, 441
CAP. VI. *De numero Sacramentorum novæ Legis*, 443

De Baptismo.

CAP. I. DE *notione Baptismi*, 445
CAP. II. *De Ministro & subjecto Baptismi*, 448
CAP. III. *De effectibus Baptismi*, 451
CAP. IV. *De obligationibus baptizatorum*, 453

De Sacramento Confirmationis.

CAP. I. *De nomine, essentia & existentia Sacramenti Confirmationis,* 456
CAP. II. *De Ministro & subjecto Confirmationis,* 462
CAP. III. *De effectibus Sacramenti Confirmationis,* 464
CAP. IV. *De dispositionibus requisitis ad Sacramentum Confirmationis,* 466

De Eucharistia.

Præmittuntur & elucidantur nonnullæ quæstiones, 468

PRIMA PARS.

De Eucharistia quatenus est Sacramentum.

CAP. I. *De ejus notione,* 472
CAP. II. *De Eucharistia spectata ut est Sacramentum in fieri,* 474
CAP. III. *De Eucharistia spectata in facto esse,* 485
CAP. IV. *De Ministro & subjecto Eucharistiæ,* 488
CAP. V. *De effectibus Sacramenti Eucharistiæ & de dispositionibus ad illud requisitis,* 489
CAP. VI. *De necessitate Sacramenti Eucharistiæ,* 494

SECUNDA PARS.

De Missæ Sacrificio.

CAP. I. *De Missæ notione,* 499
CAP. II. *De efficacia Sacrificii Missæ,* 508

CAP. III. *De iis pro quibus licet offerre Missæ Sacrificium*, pag. 512

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAP. I. *De ejus notione & existentia*, 515
CAP. II. *De Contritione*, 522
CAP. III. *De Confessione*, 526
CAP. IV. *De Satisfactione*, 530
CAP. V. *De Indulgentiis*, 534
CAP. VI. *De forma Sacramenti Pœnitentiæ*, 540
CAP. VII. *De effectibus Sacramenti Pœnitentiæ*, 546
CAP. VIII. *De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ*, 548
CAP. IX. *De necessitate Sacramenti Pœnitentiæ*, 556

De Sacramento Extremæ-Unctionis. 560

De Sacramento Ordinis.

CAP. I. *De nomine, definitione, & existentia Sacramenti Ordinis*, 564
CAP. II. *De Ordinis divisione*, 568
CAP. III. *De definitione, officio, materia & forma cujusque Ordinis sensim spectati*, 574
DE OSTIARIATU, *ibid.*
DE LECTORATU, *ibid.*
DE EXORCISTATU, 575
DE ACOLYTHATU, *ibid.*
DE SUBDIACONATU, 576
DE DIACONATU, 577
DE PRESBYTERATU, 578
DE EPISCOPATU, 580
DE ROMANO PONTIFICE, 583

CAP. IV. *Utrùm singuli Ordines sint Sacramenta propriè dicta?* pag. 588
CAP. V. *De Ministro sacramenti Ordinis*, 590
CAP. VI. *De subjecto Ordinis*, 592
CAP. VII. *De effectibus sacramenti Ordinis*, 594
CAP. VIII. *De dispositionibus ad Ordines*, 596
APPENDIX DE CENSURIS, 602
§. I. *De notione Censuræ*, ibid.
§. II. *De divisione Censuræ*, 606
§. III. *De Excommunicatione*, 609
§. IV. *De Interdicto*, 614
§. V. *De Suspensione*, 614
§. VI. *De Absolutione à Censuris*, 615
APPENDIX DE IRREGULARITATE, 617
§. I. *De notione & divisione Irregularitatis*, ibid.
§. II. *De Irregularitate ex defectu animæ*, 619
§. III. *De Irregularitate ex defectu corporis*, 620
§. IV. *De Irregularitate ex defectu libertatis & natalium*, 622
§. V. *De Irregularitate ex defectu obligationis & sacramenti*, 623
§. VI. *De Irregularitate ex defectu bonæ famæ*, 625
§. VII. *De Irregularitate ex defectu lenitatis*, 627
§. VIII. *De Irregularitatibus ex delicto*, 631
§. IX. *De Irregularitate ex homicidio*, ibid.
§. X. *De Irregularitate ex delicto in receptione & usu Ordinis*, 632
§. XI. *De Irregularitate ex iteratione sacramenti*, 635
§. XII. *De dispensatione in Irregularitate*, ibid.

De Sacramento Matrimonii.

CAP. I. *De varia acceptione, & vera notione Matrimonii,* pag. 636
CAP. II. *De Matrimonii proprietatibus,* 640
CAP. III. *De Matrimonio quatenus est sacramentum,* 644
CAP. IV. *De materia, forma, & Ministro Sacramenti Matrimonii,* 647
CAP. V. *De Sponsalibus,* 651
CAP. VI. *De impedimentis Matrimonii,* 653
ERROR, 654
CONDITIO, 655
VOTUM, *ibid.*
COGNATIO, *ibid.*
CRIMEN, 659
CULTUS DISPARITAS, 660
VIS, *ibid.*
ORDO, 661
LIGAMEN, *ibid.*
HONESTAS, 662
AMENTIA, 663
AFFINITAS, *ibid.*
CLANDESTINITAS, 664
IMPOTENTIA, 666
RAPTUS, 667
CAP. VII. *De dispensatione circa impedimenta Matrimonii,* ibid.

Approbatio D. BRILLON, *Doctoris Sorbonici & Theologiæ Professoris.*

ILlustrissimi Galliæ Cancellarii jussu, legi novam hanc Theologiæ dogmaticæ & moralis Editionem, ad usum Seminarii Catalaunensis; quod quidem opus propriâ laude & publicis elogiis ita se commendat ipsum ac tuetur, ut nostris non indigeat. Datum in Sorbona pridie Calendas Augusti anni 1717. BRILLON.

COMPENDIUM

COMPENDIUM
THEOLOGIÆ MORALIS.

PROLEGOMENA
THEOLOGIÆ.

CAPUT I.

De natura & proprietatibus Theologiæ.

QUID *est Theologia* ?

R. Secundùm vim nominis Græci, est sermo de Deo.

Definitur autem, disciplina supernaturalis, quæ ex principiis divinitùs revelatis Ecclesiæ varias conclusiones, tam de Deo quàm de iis quæ ad Deum quoquo modo spectant, certò elicit.

Dicitur 1°. *disciplina supernaturalis*, propter ejus principia supernaturalia, nempe verbum Dei, & propositiones fidei, ex quibus deducit suas conclusiones; sicque distinguitur à Metaphysica, quæ quidem tractat de Deo, sed per principia naturali lumine nota, & ideò vocari potest Theologia naturalis.

Dicitur 2°. *ex principiis divinitùs revelatis*, hoc est, ex verbo Dei, sive ex propositionibus fidei. Dicitur 3°. *revelatis Ecclesiæ*: 1°. Ut significetur Theologiam non elicere suas conclusiones ex privatis revelationibus, quibus aliquando viri eximiè sancti edocentur. 2°. Ut rejiciatur impius & fanaticus Calvinianorum error, quo definiunt singulis prædestinatis interiùs & immediatè revelari genuinum Scripturarum sensum, cùm tamen contestetur Deus, Malach. 2. v. 7. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus.* Apostolus quoque, Rom. 10. *Fides ex auditu*: & Ephes. 4. *Dedit quosdam quidem Apostolos ... alios autem Pastores & Doctores... ut jam non simus parvuli fluctuantes & circumferamur omni vento doctrinæ*; quæ planè demonstrant Dei revelationes immediatè fieri Ecclesiæ, privatis verò etiam prædestinatis mediatè tantùm, scilicèt per Pastorum prædicationem.

Dicitur 4°. *varias conclusiones elicit*; quibus significatur Theologiam esse habitum discursivum, cùm colligat unum ex alio, & eatenùs distingui à fide, quæ non est discursiva, sed inclinat ad simpliciter credendum Deo dicenti.

Dices: est etiam discursus in fide; colligimus enim credendum Deo, quia est verax: ergo.

Distinguo antecedens. Est discursus prævius & extrinsecus fidei, concedo: est discursus in ipso actu fidei, nego antecedens. Infidelis quidem, priusquam credat, examinat prophetias, miracula, & alia credibilitatis motiva, tandemque ex illis naturaliter colligit credibilia esse quæ dicuntur; quibus prævis, intellectus supernaturali lumine illustratus & roboratus elicit actum fidei.

Dicitur 5°. *certò elicit*; quod denotat Theologiam propriè esse scientiam simul & sapientiam: namque 1°. illa disciplina est propriè scientia, quæ ex principiis necessariis certas elicit conclusiones; atqui talis est Theologia: ergo. 2°. Illa disciplina meritò vindicat sibi nomen sapientiæ, hoc est, excellentioris

scientiæ, quæ versatur circa res altissimas, & ex causis altissimis conclusiones suas deducit; atqui Theologia versatur circà res altissimas, nempe circà Deum & divina ejus attributa, & ex verbo Dei conclusiones suas deducit: ergo.

Dices: scientia propriè dicta, est cognitio certa & evidens; atqui cognitio theologica non est evidens, cùm eliciatur ex propositionibus fidei, quæ sunt inevidentes: ergo.

Distinguo majorem. Scientia naturalis, de qua Philosophi, concedo; nihil enim est naturaliter certum, nisi sit evidens: scientia supernaturalis, nego majorem; quia sine evidentia, fidelis habet ex verbo Dei omnem certitudinem quæ ad scientiam requiritur.

Instabis: non potest certò elici conclusio ex principio inevidenti: ergo nulla solutio.

Distinguo antecedens: ex principio ita inevidenti, ut evidenter appareat non esse credibile, concedo: ex principio ita inevidenti, ut evidenter probetur esse credibile, nego antecedens. Porrò licèt non sit nobis evidens Deum dixisse Christum Dominum esse suum Filium sibi consubstantialem; nobis tamen evidens est per motiva credibilitatis, ut vocant, hoc est, per miracula, prophetias adimpletas, &c. ejusmodi propositionem esse credibilem, adeò ut genus dementiæ sit eam denegare. Undè licèt Theologus non probet principia suæ disciplinæ, sed supponat vera, potest tamen & debet demonstrare ea esse evidenter credibilia, ut constet nos Religionem Christianam non amplecti quemadmodum Mahometanos & alios infideles suam sectam, hoc est, casu, & parentum exemplo ac persuasione.

Ergo Theologia est certior quâlibet naturali scientia, quia conclusiones suas elicit ex principiis certioribus.

Dices: illa cognitio est certior, cui mens ita necessariò adhæret, ut non possit pulsari errandi formidine: atqui mens non ita adhæret conclusioni scientificæ, & principiis lumine naturali notis, ut nullâ errandi formidine pulsari possit, cùm contra

patiatur nonnunquam graves tentationes circa conclusiones theologicas, & circà ipsam fidem : ergo.

Distinguo majorem : certior est ratione subjecti, concedo : ratione motivi, nego majorem. Fidelis itaque, licèt propter inevidentiam & obscuritatem rerum revelatarum patiatur tentationes, fitque ei liberum propositionibus fidei consentire vel dissentire, firmiùs tamen illis adhæret quàm principiis lumine naturali notis, quia motivum illud assentiendi est multò certius.

Ergo Theologia minùs habet certitudinis quàm fides, quia principia conclusionis sunt certiora ipsâ conclusione.

Ergo Theologia est nobilior & superior cunctis naturalibus disciplinis, quia propiùs attingit rerum omnium finem, nempe Deum, imò habet illum pro primario objecto.

Ergo inferiores disciplinæ, ut Philosophia, Politica, Jurisprudentia & ars quælibet, Theologiam consulere debent in obscurioribus, ubi periculum est ne ab ultimo fine aberrent, & quidquam decernant, doceant & exequantur quod repugnet fidei & legi divinæ. Undè Philosophus, qui à Theologia se abstrahere dicit, dum docet quæ cum illâ conciliari nequeunt, profitetur se docendo abstrahere à veritate & falsitate.

Ergo Theologia est omninò necessaria, quia ad confirmandam veritatem & mores rectè instituendos, necesse est multa colligere ex iis quæ Deus dixit. Hâc ratione docendi Christus sæpè usus est, ut Matth. 22. v. 21. Marci 12. v. 26. Apostoli quoque in suis epistolis, & sancti Patres passim in suis scriptis.

Q. 2°. *Quomodò dividitur Theologia ?*

R. Dividitur in positivam, scholasticam, speculativam, & practicam.

Positiva ita dicitur, quia sine Dialecticæ regulis simpliciter ponit momenta ex Scripturis, Conciliis & Patribus petita ad confirmandam doctrinam catholicam ; & hæc fuit antiquorum Theologia.

Scholastica recentior; utpote quæ parentem agnoscat Petrum Lombardum, vulgò Magistrum Sententiarum, Episcopum Parisiensem duodecimo sæculo; ope Dialecticæ res divinas Fidelibus luculentiùs explanat, & contra Hæreticos adeo feliciter propugnat, ut eorum odium & maledicta meruerit: undè quamvis non sit absolutè necessaria, admodùm tamen utilis est Ecclesiæ.

Speculativa, in contemplatione rerum divinarum quiescit.

Practica seu moralis, Christianorum mores ad legis æternæ regulas exigit.

Q. 3°. *Conclusio theologica estne de fide?*

R. Si sit solùm expositiva, est de fide: secùs, si sit illativa.

Conclusio est solùm expositiva, quando Theologus in conclusione simpliciter exponit & elucidat quæ non ita distinctè & explicitè revelata sunt, ut cùm colligit Christum Dominum esse animal rationale, ex eo quòd Deus illum dixerit hominem, sicque argumentatur: Omnis homo est animal rationale; atqui ex Scriptura Christus Dominus est homo; ergo Christus Dominus est animal rationale. Item: Deus revelavit omnia peccata lethalia post baptismum commissa, esse in confessione sacramentali exponenda; atqui circumstantiæ, quæ mutant speciem peccati lethalis, sunt peccata lethalia in uno & eodem actu moraliter distincta: ergo ejusmodi circumstantiæ in confessione sacramentali sunt explicandæ. Certum est ejusmodi conclusiones esse de fide, quia à Deo sunt immediatè revelatæ, utpote quæ contineantur in propositionibus, quas solummodò explicant & elucidant.

Conclusio est illativa, quando ex propositione à Deo revelatâ infertur alia non revelata, sed necessariò cum priori connexa, ut in hoc exemplo: Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus, ut habetur Matth. 18. v. 17. atqui Calvinianus Ecclesiam non audit; ergo Calvinianus sit

tibi ſicut ethnicus & publicanus. Hanc concluſionem Chriſtus non protulit, ſed neceſſariò infertur ex præmiſsâ ejus propoſitione: ergo non eſt de fide; certa tamen eſt, & abſque errore ac ſuſpicione hæreſeos negari non poteſt.

Q. 4°. *Undè Theologia petit ſua principia?*

R. Ex Scriptura, Traditione, &c. quæ idcircò dicuntur loci theologici, de quibus ſeparatim dicendum.

CAPUT II.

De Locis theologicis.

Q. 1°. *Quot ſunt Loci theologici?*

R. Duo; internus & externus.

Internus is dicitur, ex quo Theologia eruit principia ſibi propria, nempè propoſitiones à Deo revelatas.

Externus eſt ſedes principiorum extraneorum, quæ Theologia repetit ex ratione naturali, Philoſophis, Juriſperitis & Hiſtoricis, ad elucidanda ac ſuadenda Religionis noſtræ myſteria & eorum conſectaria; Theologus enim utitur ratione & auctoritate Philoſophorum, Hiſtoricorum profanorum, & Juriſperitorum, tum ut ſuadeat Religionem chriſtianam nihil docere lumini naturali repugnans, tum ut veluti pretioſis Ægyptiorum ſpoliis ſanctuarium Dei exornet, quemadmodum ſcribit S. Auguſtinus. Sed ratio naturalis Theologiæ deſerviat ut ancilla, nullatenùs verò in ejus ſchola præſit ut domina; quandoque enim negat quod fides affirmat, atque hoc poſteriori ſenſu Patres eam excludunt à Scholis theologicis. *Quid Athenis & Hieroſolymis? quid Academiæ? quid Eccleſiæ?* inquit Tertullianus, lib. de præſcript. & S. Hieron. dialogo contra Pelagianos, *non nobis curæ eſt quid Ariſtoteles, ſed quid Paulus doceat.*

Q. 2°. *Quotuplex eſt locus internus?*

R. Triplex, nempe Scriptura, Traditio, & Eccleſia, quæ eſt cuſtos & infallibilis interpres Scripturæ

& Traditionis, in quibus continentur quæcumque Deus revelavit.

Ad Traditionem revocatur consensio sanctorum Patrum, & qui eos consecuti sunt Scholasticorum in exponendis Scripturis sacris & Traditionibus divinis. Ubi autem Scholastici philosophicis argutiis nituntur, nullius sunt auctoritatis & ponderis, nec ex eorum scriptis certa conclusio theologica elici potest, ut patet ex dictis.

Ad Ecclesiam quoque reducuntur Concilia generalia, quia universalem Ecclesiam repræsentant, & Decreta summorum Pontificum, dum Ecclesiæ consensus accedit. Ex testimonio autem unius aut alterius Patris, & Concilii provincialis aut nationalis, Theologus non elicit conclusionem omninò certam, nisi accedat universalis Ecclesiæ auctoritas, quemadmodum accessit ad Concilium Arausicanum II. cujus Canones fuerunt universaliter recepti.

CAPUT III.

De Scriptura sacra.

Q. 1°. *Quid est Scriptura sacra?*

R. Est verbum Dei scriptum, Spiritu sancto afflante.

Dicitur 1°. *verbum Dei*, in quo Scriptura convenit cum Traditionibus divinis, quæ sunt verbum Dei.

Dicitur 2°. *scriptum*, quo Scriptura distinguitur à Traditionibus divinis, quæ non sunt scripto traditæ, sed voce dumtaxat.

Dicitur 3°. *Spiritu sancto afflante*; quibus vocibus sacra Scriptura differt à Canonibus Ecclesiæ in materia fidei, qui licèt sint verbum Dei scriptum, non sunt tamen Scriptura sacra, quia canones non sunt scripti Spiritu sancto afflante, sed assistente dumtaxat.

Q. 2°. *Quid significant illæ voces*, Spiritu sancto afflante?

R. Tria significant; 1°. revelationem, ubi veritas

rerum ſcribendarum ſacrum Scriptorem lateret; 2°. ſpecialem aſſiſtentiam, ne laberetur Scriptor in iis ſcribendis quæ vel ipſe viderat, vel ex teſtimonio aliorum didicerat; ſic S. Joannes plura ſcripſit, quæ propriis oculis vidit, & S. Lucas, quæ à teſtibus fide dignis audivit; in iis autem revelatione non indiguerunt, ſed aſſiſtentiâ dumtaxat: 3°. inſpirationem ſeu motionem interiorem, quâ ſacer Scriptor ad ſcribendum incitatus eſt.

Q. 3°. *Quomodo dividitur ſacra Scriptura?*

R. 1°. Generatim dividitur in vetus & novum Teſtamentum. Vetus continet quæ Deus revelavit in veteri lege; novum verò quæ Chriſtus Dominus dixit. Concilium Tridentinum, ſeſſ. 4. recenſet ſeptuaginta duos libros divinos & canonicos; 45. veteris Teſtamenti, & 27. novi, quorum alii dicuntur Protocanonici, quia priùs repoſiti ſunt in canone, & habiti ut divini; alii Deuterocanonici, eò quòd ab initio in Eccleſiæ canonem relati non fuerint, & de eorum auctoritate nonnulli Catholici dubitaverint. Illi autem libri ſunt in veteri Teſtamento Tobias, Judith, Sapientia, Eccleſiaſticus, Baruch, Epiſtola Hieremiæ, duo Machabæorum, nonnullæ partes Danielis & Eſtheris. In novo Teſtamento, ultimum caput Marci, Hiſtoria de ſanguineo Chriſti ſudore, Luc. 22. Hiſtoria de muliere adultera, Joan. 8. Epiſtola ad Hebræos, Epiſtola Jacobi, ſecunda Epiſtola Petri, Joannis ſecunda & tertia, Epiſtola Judæ, & Apocalypſis; de quibus poſt Concilium Tridentinum dubitare non licet. Quomodo verò Concilium ejuſmodi libros in canonem potuerit referre, dicimus tom. 1. pag. 51. ubi de idiomate, quo ſcripti ſunt libri ſacri, de verſionibus, & quo ſenſu Concilium Tridentinum definierit Vulgatam, quâ utitur Eccleſia latina, eſſe authenticam.

R. 2°. Libri ſacri dividuntur in legales, qui legem divinam tradunt, ut quinque libri Moïſis, vulgò dicti Pentateuchus: in hiſtoricos, qui olim geſta referunt, ut libri Regum, Actus Apoſtolorum, &c. in ſapientales ſeu morales, qui mores informant, ut

Proverbia, Eccleſiaſtes, Epiſtolæ Apoſtolorum; & in prophetícos, qui futura pronuntiant, & occultiora manifeſtant, ut libri Prophetarum, & Apocalypſis. Pſalmi ſunt hiſtorici, prophetici & morales.

Q. 4°. *Scriptura habetne plures ſenſus in una littera?*

R. Habet: *in unâ dictione*, inquit S. Chryſoſtomus hom. 37. in Gen. *plurima ſæpè multitudo ſenſuum invenitur; divina enim ſunt dogmata, non humana.*

Q. 5°. *Quotuplex eſt ſenſus Scripturæ ſacræ?*

R. Duplex, litteralis, & myſticus ſeu ſpiritalis. Litteralis naſcitur ex littera, ſervatâ verborum proprietate: myſticus ſumitur ex verbis Scripturæ ad metaphoram tranſlatis, quomodo Apoſtolus Galat. 4. v. 24. quæ de duabus uxoribus Abrahæ ſcripta ſunt, interpretatur de duobus Teſtamentis.

Q. 6°. *Quotuplex eſt ſenſus myſticus ſeu ſpiritalis?*

R. Triplex, nempe allegoricus, anagogicus, & moralis. Si metaphora figurat aliquod myſterium legis novæ, ut in laudato Apoſtoli exemplo, eſt ſenſus allegoricus: ſi ad patriam cœleſtem transfertur, quemadmodum Apoſtolus Hebr. 9. per Sanctuarium in quod ſummus Pontifex ſemel in anno ingrediebatur, ipſum Cœlum intelligit, in quod ſemel Chriſtus introivit, æternâ redemptione inventâ, eſt ſenſus anagogicus: ſi denique metaphora ordinatur ad mores componendos, ut 2. Cor. c. 5. v. 8. Apoſtolus panes azymos ſignificare dicit morum puritatem, eſt ſenſus moralis.

Q. 7°. *Poteſtne certò elici concluſio theologica ex quolibet Scripturæ ſenſu?*

R. Poteſt, quando conſtat vel ex Scripturâ, vel ex Traditione, hunc ſenſum fuiſſe à Spiritu ſancto intentum; alioquin non poteſt.

CAPUT IV.

De Traditionibus.

Q. 1°. *Quid eſt Traditio?*

R. Eſt verbum Dei ſine ſcripto traditum.

Q. 2°. *Quotuplex est Traditio?*

R. Triplex: nempè divina, quæ à Christo ortum habet; apostolica, quæ ab Apostolis emanat, nonnulla enim Apostoli tanquam primi Ecclesiæ Pastores instituerunt; & ecclesiastica, quæ auctores habet Apostolorum successores.

Q. 3°. *Quanam est nota divinæ Traditionis?*

R. Si fuerit semper, ubique & ab omnibus servata, tanquam à Christo originem ducens. Hinc observatio Quadragesimæ non est Traditionis divinæ, sed apostolicæ tantùm, quia antiqui eam ad Apostolos referunt, non ad Christum. Item abstinentia ab immolato & sanguine, de qua Act. 15. non est præcepti divini, sed apostolici, quia nec semper, nec ubique est observata: abstinentia verò à fornicatione, de qua citato loco, est traditionis divinæ; quia semper, ubique, & ab omnibus servata & credita ut præcepti divini.

Q. 4°. *Potestne erui propositio fidei ex triplici recensita Traditione?*

R. Non potest nisi ex divina, quia in illa sola continetur verbum Dei, ut patet ex dictis.

Ergo articuli fidei non creverunt successu temporis, sed clariùs dumtaxat explicantur; Concilia enim generalia non expectant novam revelationem, sed consulunt Scripturam & Traditionem, & ex illis condunt suos canones.

Ergo falsum est recentiores veteribus esse doctiores in iis quæ pertinent ad fidem & ad naturalia seu divina morum præcepta; nihil enim fide divinâ credimus, nisi fuerit à Christo traditum, & per Apostolos eorumque successores ad nos transmissum: ergo novitas in fide est certissimum hæreseos signum.

Q. 5°. *Traditio divina estne necessariò agnoscenda tanquam regula fidei & morum?*

R. Affirmativè. *Tenete Traditiones*, inquit Apostolus 2. Thess. c. 2. *quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram*; in quem locum sic scribit sanctus Chrysostomus: *hinc est perspicuum quòd non*

omnia tradiderunt (Apoſtoli) *per epiſtolam, ſed multa etiam ſine ſcriptis, & ea quoque ſunt de fide divinâ.* Adde quòd ſine Traditione non poteſt erui & propugnari adversùs Hæreticos & libertinos verus Scripturarum ſenſus; in iis quippe ſunt *quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant.... ad ſuam ipſorum perditionem*, ut habetur 2. Petri 3. Unde Vincentius Lyrinenſis common. 38. *Si*, inquit, *divinis eloquiis, ſententiis, promiſſionibus diabolus & diſcipuli ejus utuntur, quid facient Catholici omnes, & matris Eccleſiæ filii? .... hoc ſcilicet facere magnoperè curabunt, quod in principio commentarii iſtius ſanctos & doctos viros nobis tradidiſſe ſcripſimus, ut divinum canonem, ſecundùm univerſalis Eccleſiæ Traditiones & juxta catholici dogmatis regulas interpretentur.*

CAPUT V.

De Eccleſia.

Q. 1°. *Quid eſt Eccleſia?*

R. Definitur cœtus Fidelium baptiſatorum, tam corpori reliquo quàm ſuo Capiti viſibili in terris adhærentium.

Dicitur 1°. *cœtus*; illud enim ſonat nomen tum Eccleſiæ, tum Synagogæ, quod eſt convocatio ſeu congregatio: ſocietas autem Chriſtianorum non retinuit nomen Synagogæ; quia, ut obſervat ſanctus Auguſtinus, Synagoga æquè ſignificat congregationem animalium ac hominum; Eccleſia verò nonniſi cœtum exprimit ſpiritualium, quales debent eſſe Chriſtiani.

Dicitur 2°. *Fidelium*, quâ voce excluduntur ab Eccleſia Infideles & omnes Hæretici, utpote membra à corpore abſciſſa.

Dicitur 3°. *baptiſatorum*, ſive illi ſint juſti aut peccatores, prædeſtinati aut reprobi; modò per fidem & communionem externam reliquo corpori adhæreant; quia ſicut per circumciſionem olim fiebat

professio Religionis Mosaïcæ, ita per baptismum fit professio Religionis christianæ. Hinc baptismus in Decreto Eugenii IV. dicitur janua ad Ecclesiam.

Ergo Catechumeni, quamvis fideles, nondum sunt actu in Ecclesia: *stant in vestibulo pietatis*, inquit sanctus Gregorius Nazianzenus, *vota illorum, juxta sanctum Augustinum, sunt conceptionibus similia, non autem tantùm concipi*, inquit. *sed & nasci necesse est.*

Dicitur 4°. *adhærentium tam reliquo corpori quàm visibili Capiti*; quibus vocibus excluduntur ab Ecclesia Schismatici, qui ejus membris, ac præsertim capiti non cohærent; Ecclesia enim dicitur à sancto Cypriano, Epist. 69. *plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens.* Supremum autem Ecclesiæ Caput visibile est Romanus Pontifex.

Q. 2°. *Quomodo Ecclesia constituit locum theologicum à sacris Scripturis & divinis Traditionibus distinctum?*

R. Quatenùs per eam Theologus discit 1°. quinam sint libri sacri, quæve traditio divina. 2°. Quo sensu accipienda sint Scripturæ verba, præsertim ubi obscuriora sunt, & in pravos sensus detorquentur; cùm enim hæretici & peccatores eludere soleant Scripturarum & sanctorum Patrum testimonia, necesse est ut Theologus recurrat ad auctoritatem Ecclesiæ, quæ infallibili suo judicio & supremâ suâ auctoritate definiat quis sit genuinus Scripturæ sensus, quæve sanctorum Patrum mens & sententia, sicque omnem controversiam dirimat, juxta illud Matth. 18. *Dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.*

Q. 3°. *Unde probatur judicium Ecclesiæ, in iis quæ ad fidem & bonos mores pertinent, esse infallibile?*

R. Ex verbis tum Christi, tum Apostoli, Joan. 14. v. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis.* Vox, *in æternum*, denotat promissionem hanc extendere se ad Apostolorum successores, ut observat S. Hieronymus; quia Apostoli non erant in æternum victuri, sed brevi morituri. Apostolus

1. ad Timoth. c. 3. sic scribit: *Hæc tibi scribo .... ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conservari, quæ est Ecclesia Dei vivi*, COLUMNA ET FIRMAMENTUM VERITATIS.

Dices: in ipsa argumentandi ratione cernitur vitiosus circulus; probatur enim idem per idem, scilicet Ecclesia per Scripturam, & vicissim Scriptura per Ecclesiam: ergo.

Nego antecedens, cujus confirmationem distinguo: probatur Ecclesia per Scripturam, ex concessis hæreticorum, & argumento ad hominem, ut aiunt, concedo: probatur absolutè & necessariò, nego. Itaque cùm hæretici Scripturam agnoscant ut verbum Dei, rectè ex Scriptura adversùs eos colliguntur dotes Ecclesiæ Christi propriæ, v. g. ejus visibilitas, perpetuitas, infallibilitas & auctoritas in definiendis propositionibus fidei; concluditurque certò & infallibiliter eos Ecclesiam sibi vindicare non posse. Sed adversùs Paganos & alios infideles, qui Scripturas sacras rejiciunt, ut Christiani Alcoranum, hoc est, ut meras fabulas, Theologus absolutè probat indubitatis signis & portentis Ecclesiam christianam esse societatem divinitùs institutam, & omni fide dignam in iis quæ prædicat. Illi enim societati credendum est tanquam vera docenti, cui Deus evidens testimonium perhibet; ratio quippe naturalis evidenter demonstrat Deum non posse suo testimonio confirmare mendacium & falsitatem; atqui Deus ejusmodi testimonium perhibuit Ecclesiæ christianæ: ergo ratio naturalis dictat doctrinæ Ecclesiæ esse deferendum, genusque esse dementiæ illi refragari. Ergo Ecclesia christiana absolutè non desumit suam auctoritatem ex scriptis Apostolorum, cùm omnem suam auctoritatem habuerit, & infallibilis credita sit, priusquàm illæ Scripturæ essent adornatæ: populis autem jam credentibus præbet libros sacros, in quibus scripta sunt quæ vivâ voce ipsos jam docuerat, quemadmodum Theologiæ Professor lectiones suas discipulis scripto tradit.

Sed cùm omnes hæreticorum ſectæ veram Eccleſiam ſibi vindicent, operæ pretium eſt inquirere quibus ſignis & notis vera Eccleſia à falſis ſecerni queat : itaque.

Q. 4°. *Quibus notis vera Chriſti Eccleſia inter tot Hæreticorum ſectas conſpicua redditur ?*

R. Quatuor recenſentur à Conciliis Nicæno & Conſtantinopolitano in Symbolo, his verbis, *unam, ſanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam.*

1°. Eccleſia una eſt, Joan. 10. *Alias oves habeo... & illas oportet me adducere ... & fiet unum ovile & unus Paſtor.* 1. Cor. 10. *Unum corpus multi ſumus.* Epheſ. 4. *Unum corpus, & unus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ.* Eccleſia autem una eſt unitate tum doctrinæ, tum regiminis, ſub uno ſupremo Paſtore, qui eſt Caput ejus viſibile, & ſub aliis Paſtoribus ſupremo ſubordinatis, qui omnes, tam ille quàm iſti, continuatâ ſucceſſione ab Apoſtolis ordinati ſunt. Sic nobis ſenſibiliter innoteſcit regnum Galliæ, v. g eſſe unum Corpus politicum & diviſum à quocumque alio, ex eo quòd Galli iiſdem utantur legibus ſub uno ſupremo Principe, qui anterioribus legitimè ſuccedit.

2°. Eccleſia eſt ſancta, 1. Petri 2. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta*; quia Eccleſia regitur Spiritu ſancto, nonniſi ſancta docet, præcipit & obſervat, idque in finem debitum & ſanctum.

Dices : Eccleſia plures peccatores complectitur : ergo non eſt ſancta.

Nego conſequentiam. Imò inde arguitur Eccleſiæ ſanctitas, quòd nullus in ea peccet, niſi quia recedit à Chriſti doctrina, & mandata Dei & Eccleſiæ non obſervat.

3°. Eccleſia eſt catholica ; *Chriſtianus nomen meum*, inquit S. Patianus, *Catholicus cognomen : hinc nominor, inde prodor.* Et S. Cyrillus Hieroſolymitanus in Cathec. *quia per univerſum orbem diviſa à finibus terræ uſque ad extrema.*

4°. Est Apostolica, non præcisè quia doctrinam ab Apostolis acceptam fideliter custodit, sed maximè quia ejus Pastores successione non interruptâ ab Apostolis descendunt, ita ut Pastores à Christo missi alios sibi continuâ successione usque ad nos ordinarint & miserint: quemadmodum enim Sequana est planè idem flumen quod decurrebat ante mille annos, quia habet eamdem originem ex qua hactenus sine intermissione decurrit, ita una & eadem Ecclesia ab Apostolis fundata, per successores eorum usque ad nostram ætatem pervenit, & successivè decurret usque ad secundum Christi adventum.

Ergo sectæ Lutheranorum, Calvinianorum, & aliorum hæreticorum, non sunt vera Ecclesia, deest quippe illis unitas: Lutherani & Calviniani v. g. *non* conveniunt in unum corpus sub uno Capite, deest illis sanctitas; impia docent, Catholicitas, non constituunt unum corpus per totum orbem diffusum: denique deest illis Apostolicitas; Pastores eorum non descendunt ab Apostolis per continuam successionem.

CAPUT VI.

De Objecto Theologiæ.

OBjectum apud Philosophos duplex est, aliud materiale, aliud formale. Rursùs materiale vel est adæquatum, seu communitatis, ut vocant, vel primarium, seu attributionis. Quibus præsuppositis,

Q. 1°. *Quodnam est objectum materiale adæquatum Theologiæ?*

R. Est omnis propositio deducibilis ex verbo Dei, sive ex propositione fidei, quia illud est objectum adæquatum, circa quod disciplina tota versatur; atqui Theologia tota versatur circa propositiones *seu* conclusiones deducendas ex verbo Dei: ergo propositio seu conclusio deducibilis ex verbo Dei est adæquatum Theologiæ objectum.

Ergo propoſitiones ſeu concluſiones morales, quæ nituntur ſolâ ratione humanâ & aliorum opinione, nec reperi poſſunt ex verbo Dei, ſeu ex propoſitione revelata, non ſunt concluſiones theologicæ.

Q. 2°. *Quodnam eſt objectum formale Theologiæ?*

R. Eſt ipſa deducibilitas propoſitionis ex verbo Dei, quia objectum formale cujuſlibet diſciplinæ eſt ratio ſub qua diſciplina verſatur circa objectum ſuum materiale: ſic dirigibilitas, v. g. actionum humanarum ad honeſtatem eſt objectum formale Ethicæ, quo diſtinguitur à Metaphyſica, quæ illas ſpectat ut proprietates ſubſtantiæ ſpiritalis; atqui deducibilitas propoſitionis ex verbo Dei eſt ratio ſub qua Theologia verſatur circa ſuum objectum materiale, nempe concluſiones deducibiles ex verbo Dei: ergo ejuſmodi deducibilitas eſt objectum formale Theologiæ.

Q. 3°. *Quodnam eſt objectum Theologiæ primarium & attributionis?*

R. Deus; quia objectum attributionis dicitur quod primariò ſpectatur in aliqua diſciplina, & ad quod cætera referuntur; atqui Deus primariò ſpectatur à Theologia, & ad illum omnes tractatus theologici referuntur, vel tanquam proprietates, ut divina attributa, vel tanquam effectus ad ſuum principium, ut creatio & conſervatio creaturarum, Incarnatio, &c. vel tanquam media ad ſuum finem, ut gratia, virtutes, Sacramenta: ergo.

TRACTATUS DE DEO DIVINISQUE EJUS ATTRIBUTIS.

CAPUT I.

De divinis Nominibus.

Q. 1°. *Quod est Dei nomen?*

R. Deus est ineffabilis, *neque nomen ejus est, neque opinio*, inquit Author de divinis Nominibus, c. 1. Et Proverb. 13. *Quod nomen est ejus, aut quod nomen Filii ejus, si nosti?* quia cùm nomina exprimant conceptus nostros, ea solùm possumus nominare quæ cognoscimus; atqui natura divina non potest à nobis in hac vita cognosci: *Deus lucem inhabitat inaccessibilem*, 1. Tim. 6. ergo.

Q. 2°. *Numquid Deus imperfectè saltem nominari potest?*

R. Potest eo modo quo cognoscitur; cùm autem mens nostra colligat omnes perfectiones creaturarum debere existere in Deo saltem virtualiter & eminenter, utpote quæ ex ipso emanent, solemus Deo tribuere omnia nomina quibus creaturarum perfectiones exprimimus: *Omnia possunt dici de Deo*, inquit sanctus Augustinus, *& nihil dignè dicitur de Deo, nihilque locupletius hâc inopiâ.*

Q. 3°. *Omnes perfectiones quæ sunt in creaturis, possunt-ne dici de Deo?*

R. Aliæ habent admixtam imperfectionem, ut corpus, animal, leo, &c. aliæ nullam, ut sapientia, bonitas, charitas, &c. Priores nonnisi metaphoricè dicuntur de Deo; posteriores verò propriè, & qui-

dem priùs quàm de creaturis, quia in Deo sunt principia ex quibus fluunt omnes perfectiones creatæ.

Q. 4°. *Quotuplicis generis sunt nomina quæ propriè Deo tribuuntur?*

R. Duplicis; alia enim sunt negativa, ut incorporeus, infinitus, incomprehensibilis, &c. alia positiva, ut bonus, justus, perfectus, omnipotens, &c. Priora Deum feliciùs exprimunt; *de Deo enim meliùs novimus quid non sit, quàm quid sit*, inquit Auctor de divinis Nominibus, qui ideò docet in contemplatione rerum divinarum non hærendum ideæ quam de Deo & ejus attributis formavimus, ne idolum pro vero Deo colatur; sed semper mente ascendendum viâ negationis supra id quod cogitamus de ejus sapientia, misericordia, justitia, &c. negando scilicet Deum esse illam sapientiam, misericordiam, justitiam, &c. quam concipimus; sed esse quid infinitè sapientius, justius, &c. Unde sanctus Augustinus in illud Psalmi 104. *Quærite faciem ejus semper*, hoc esse dicit, *ut non huic inquisitioni finem præstet inventio, sed amore crescente, inquisitio crescat inventi.*

Q. 5°. *Estne aliquid nomen Dei ita proprium ut sit incommunicabile alteri?*

R. Hoc nomen, *Deus*, etsi desumatur ab aliqua Dei operatione, (derivatur enim à verbo *dare*) præ cæteris tamen est Dei proprium: *Deus*, inquit Tertullianus, *substantiæ ejus nomen est, id est divinitatis: Dominus autem non substantiæ, sed potestatis*; & eo sensu docet sanctus Thomas nomen illud esse incommunicabile creaturis, quia natura divina illis communicari non potest: attamen secundùm quamdam participationem & similitudinem, nomen illud creaturis aliquandò tribuitur propter potestatem quam nomine Dei exercent, ut Judices de quibus habetur Psal. 81. *Deus stetit in Synagoga Deorum*, id est Judicum.

CAPUT II.

De Existentia Dei.

Q. 1°. *EXistitne Deus?*

R. Deum existere fide divinâ creditur, ipso dicente, Exod. 3. *Ego sum qui sum*; & ratione naturali demonstratur. Hanc fidem primo loco exigit Apostolus, Hebr. 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est.* Sed & creaturæ adeò perspicuè & fortiter inclamant Deum existere, ut nemini ignorare liceat, ut habetur Psal. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei ... non sunt loquelæ, neque sermones, quorum* (seu quibus) *non audiantur voces eorum*; hoc est, non sunt populi, quantumvis linguis & motibus differentes, qui ex cœlorum aspectu ad Creatoris notitiam non trahantur. *Nulla gens est*, inquit Tullius lib. 1. de Legibus, *neque tam immansueta, neque tam fera, quæ etiamsi ignoret qualem Deum habere deceat, habendum tamen esse nesciat.*

Dices: Fides, ex Apostolo, Heb. 11. est argumentum non apparentium: ergo vel existentia Dei non est lumine naturali evidens, vel de ea fides haberi non potest.

Distinguo consequens: non est evidens sine aliqua animi contentione & rationis discursu, concedo: non est evidens seriò attendenti & discurrenti, nego consequentiam. Igitur illud est discrimen inter ea quæ intuitivè cognoscuntur, & ea quæ abstractivè tantùm, quòd priora ita mentem occupent, ut excludant omne credendi, vel dubitandi seu opinandi motivum, sub quo obscura & incerta esse possent. Qui, v. g. oculis cernit amicum præsentem, non videtur obtemperare posse illi dicenti, ut credat se esse præsentem; nec existimaretur amicus ab altero fidem seriò exigere de sua præsentia. Sic in intellectu Beatorum fides de existentia Dei cum ejus visione intuitiva conjungi nequit, multò minus opinio;

quia nullâ ratione, nullove motivo obscura aut incerta esse potest. At evidentiam existentiæ Dei non habemus in hac mortali vita, nisi abstractivè, per discursum & quamdam animi contentionem; obtusum ingenium, passiones, impiorum colloquia, dæmonum fallaciæ aliquandò obnubilant quominùs Deus præsentissimus cernatur, coguntque doctos & indoctos ad fidem recurrere, & ex animo profiteri, credere se in Deum omnipotentem, creatorem cœli & terræ.

Ex hac responsione sequitur hanc propositionem, *Deus existit*, non esse per se notam quoad nos, quia non cognoscitur à nobis ex sola terminorum apprehensione, sed innotescit nobis per existentiam creaturarum, juxta illud Rom. 1. *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.*

Q. 2°. *Quomodo demonstratur Dei existentia?*

R. Demonstratur duobus potissimùm argumentis.

Primum. Illud omne quod mundus complectitur, vel factum est, vel non. Hæc propositio non potest negari, etiam ab iis qui contra fidem catholicam contendunt mundum esse ab æterno, quia in hypothesi quòd daretur linea infinita, licèt omnes ejus partes non possent transcurri, de ea tamen objectivè sumpta potest dici, vel tota facta est, vel non, cùm non detur medium inter factum esse & non esse factum: atqui non potest dici factum esse omne quod complectitur mundus; cùm enim supponatur nihil omninò esse extra, totum illud factum esset à seipso, quòd implicat; quia idem esset prius & posterius seipso, cùm causa sit prior, saltem naturâ, suo effectu, & effectus posterior suâ causâ: ergo dicendum est aliquid esse in illa collectione rerum omnium, quod non sit factum, & à quo cætera facta sint. Porrò ens non factum, sed à seipso existens, est Deus.

Secundum petitur ex orbis dispositione, quæ certò primam aliquam causam demonstrat: Cur enim cœli in tanta quantitate existunt? cur sol major

non eſt ? cur ſitum ſupra Saturnum non habet ? cur aqua tota non eminet ſuper terram, cùm hæc gravior ſit ? cur terra habet concavitates & imperfectum globum ? cur fontes non in vallibus, ut natura aquæ expetit, ſed in locis ſuperioribus erumpunt, ut fluant in rivulos, & flumina efforment ad ſocietatem humanam ? quis putet neceſſariò hæc fieri, cùm videantur contra naturam ſuam diſpoſita ? habent itaque aliunde quàm à ſe quòd ita ſint. Nec recurri poteſt ad fortuitum concurſum atomorum, ut ſomniarunt Democritus & Epicurus ; cur enim hoc fortuito concurſu atomorum non fiunt palatia ? cur non Ilias aut Poëma exiſtit, ut argumentatur Cicero lib. de naturâ Deorum ? Itaque ad Deum recurramus neceſſe eſt.

His adjungi poteſt omnium gentium conſenſio, quæ aliunde eſſe non videtur quàm vel à natura, quæ per ſe ad falſum non inclinat, vel à Deo, qui probat ſe exiſtere.

CAPUT III.

De Eſſentia & Unitate Dei.

DEum exiſtere certò novimus ; ſed quid ſit, definire non poſſumus ; *vincit ſcientiam noſtram*, Job 36. *Lucem inhabitat inacceſſibilem*, 1. Tim. 6. variè tamen à Theologis utcumque deſcribitur.

Q. 1°. *Quanam eſt convenientior eſſentiæ divinæ deſcriptio ?*

R. Convenientiùs ad Scripturam ſacram videtur *deſcribi*, Ens à ſe exiſtens ; Exodi enim 3. Deus interroganti Moyſi quis eſſet, reſpondit, EGO SUM QUI SUM. *Sic dices filiis Iſraël* : QUI EST, *miſit me ad vos* ; quaſi dicat : Ego ſum ipſum eſſe, non derivatum, ſed generaliſſimum, illimitatum, & in omni genere entis infinitum, à quo & ex quo immenſo entis pelago & primo eſſendi principio omnia entia creata promanarunt ; quemadmodum vocabu-

lum *calor ipse* vel *lux ipsa*, significat quidquid in genere caloris aut lucis concipi potest, à quo cætera per participationem dicuntur calida vel lucida, adeò ut absque ejusmodi participatione calida aut lucida nec esse nec concipi possint. Ex quibus sic argumentari licet: Essentia, secundùm omnes Philosophos, dicitur quod primum rem in suo esse constituit ac distinguit à cæteris, concipiturque tanquam prima radix ex qua fluunt cæteræ ejus perfectiones; atqui aseitas seu existentia à se est quid primum in Deo illum constituens & distinguens à creaturis, concipiturque veluti radix ex qua fluunt divina attributa & perfectiones: ergo.

Minor probatur quoad singulas ejus partes.

1°. Est quid primum in Deo, nec sine ea Deus potest concipi. Quid enim conciperetur in Deo ante existentiam? possibilitas? at nihil possibile concipi potest in Deo, nisi concipiatur existens; siquidem possibile est quod potest existere, aut existentiam accipere; atqui nemo potest accipere existentiam nisi à principio existente, quod enim nondum existit, non potest operari, nec dare sibi aut alteri existentiam: ergo existentia est quid primum in Deo, nec sine ea Deus concipi potest, ac proinde est ejus essentia, ita ut esse & existere sint in Deo formaliter unum & idem.

2°. Aseitas est prima ratio per quam Deus differt ab omnibus creaturis, tum quia creaturæ ideò non sunt Deus, quia dependentes sunt, & ab alio existunt, tum quia existentia est ipsi accidentalis & merè contingens, cùm sine ea concipi possint; æquè enim concipimus Cæsarem mortuum, ac si existeret: Deus autem sine existentia nullatenùs concipi potest, ut jam observavimus.

3°. Existentia à se concipitur veluti radix omnium attributorum seu perfectionum divinarum; ideò enim Deus est unus, immutabilis, infinitus in omni genere perfectionis, ut ampliùs parebit ex dicendis.

Dices: Filius & Spiritus sanctus sunt Deus, &

tamen non sunt ens à se, Filius enim procedit à Patre, & Spiritus sanctus à Patre & Filio : ergo.

R. 1°. Negando antecedens : in scientia enim plurium Theologorum, tres Personæ sanctissimæ Trinitatis non sunt tria entia, sed unum ens simpliciter tribus modis subsistens.

R. 2°. Distinguendo antecedens : Filius & Spiritus sanctus non sunt ens à se, si spectentur relativè, hoc est, secundùm personalitates, quæ sunt relationes, ut suo loco dicetur, concedo : si spectentur absolutè & secundùm essentiam seu naturam divinam, quæ eadem est in tribus personis, nego antecedens ; natura enim divina in Filio & Spiritu sancto æquè ac in Patre est improducta & à se existens.

Q. 2°. *Quot sunt Dii ?*

R. De fide est Deum esse unum ; sic enim docent Scripturæ, Deut. 6. *Dominus Deus noster Dominus unus est*, 1. Cor. 8. *Nullus est Deus, nisi unus.*

Q. 3°. *Quare Deus est unus ?*

R. 1°. Quia est ipsum esse ; atqui ipsum esse necessariò concipitur unum, à quo cætera entia participant : sicut *ipse calor* aut *ipsa lux* non potest concipi nisi ut quid unum, à quo cætera habent quòd sint calida aut lucida. 2°. Quia Deus est ens à se, ac proinde maximè necessarium, excludens omnem potentialitatem, & illimitatum, utpote non receptum aut participans : atqui non possunt esse plura entia à se, vel enim haberent easdem perfectiones, vel non haberent ; si primum, non essent necessaria ; si secundum, essent limitata & finita, ac proinde nullum ex iis esset Deus. Hinc Tertullianus lib. 1. contra Mar. cap. 3. *Deus*, inquit, *si non unus est, non est.* Nec dicas tres esse Personas divinas, quia tres personæ sunt quid unum in natura divina tribus modis subsistente.

Caput IV.

De Attributis divinis.

Q. 1°. *Quid sunt attributa divina?*

R. Sunt perfectiones quas concipimus fluere ab essentia divina.

Q. 2°. *Quomodo dividuntur attributa divina?*

R. Dividuntur in absoluta, quæ nullum dicunt ordinem ad aliquem terminum, ut immutabilitas, bonitas, &c. & in relativa, quæ ordinem dicunt ad aliquem terminum, ut paternitas, & filiatio, de quibus in tractatu de Trinitate.

Q. 3°. *Quotuplicis sunt generis attributa absoluta?*

R. Duplicis, scilicet modificativa, & adjuncta.

Modificativa sunt ea quæ, licèt à nobis non apprehendantur, ut essentia, concipiuntur tamen ut modi interni pertinentes ad constitutionem naturæ. Hujusmodi autem attributa sunt simplicitas, infinitas, immutabilitas, immensitas, æternitas, bonitas, sanctitas, ineffabilitas, invisibilitas, & incomprehensibilitas. Hi modi transcendunt omnes perfectiones divinas, possuntque de illis formaliter prædicari; v. g. immensitas Dei est æterna, æternitas est immensa, &c. quod de adjunctis dici nequit; nam intellectus divinus non est formaliter voluntas, nec justitia formaliter misericordia aut sapientia.

Q. 4°. *Quotuplex generis sunt attributa modificativa?*

R. Duplicis; alia dicuntur negativa, quæ exprimuntur nominibus removentibus imperfectiones, quæ in creaturarum perfectionibus occurrunt, ut immutabilitas, infinitas, incomprehensibilitas: alia dicuntur positiva, quæ in perfectionem positivè exprimunt, ut bonitas, sapientia, &c.

Q. 5°. *Quid sunt attributa adjuncta?*

R. Sunt ea quæ concipiuntur veluti advenire naturæ divinæ jam in se constitutæ, quasi accidentia logica, ut justitia, misericordia, &c.

Q. 6°.

Q. 6°. *Quotuplicis generis sunt adjuncta ?*

R. Triplicis ; alia enim denotant veluti facultatem, ut intellectus, voluntas, omnipotentia ; alia quasi habitum significant, ut scientia, justitia, misericordia, &c. alia denique quasi actionem exprimunt, ut intellectio, volitio, decreta divina, providentia, prædestinatio, reprobatio.

CAPUT V.

De Attributis modificativis.

§. I. *De Perfectione Dei.*

Q. 1°. *Deus habetne omnes omninò perfectiones ?*

R. Habet, sed diverso modo, quia ens est à se maximè necessarium & illimitatum ; quemadmodum enim hoc interest calorem inter & calidum, lucem & lucidum, quòd lucidum & calidum sint entia, quæ de calore & luce participant cum limitatione aliqua & modificatione, juxta subjecti capacitatem ; quidquid enim recipitur, ad modum recipientis recipitur ; alio modo animal est calidum, alio modo ignis, & stella differt à stella in claritate : undè fieri possunt hæ quæstiones circa calida & lucida, nempe quomodo & quantùm calidum sit illud corpus : sed qui nominat calorem aut lucem, absque ullâ limitatione exprimit quidquid his nominibus exprimi potest, nec à dicente est calor ipse, & lux ipsa, quærere licet quis & quantus sit calor, quæ & quanta lux : ergo cùm dicitur Deus *ipsum esse*, intelligitur quidquid nomine entis concipi potest, ac proinde omnimoda perfectio.

Dixi, *diverso modo*, quia duplicis generis sunt perfectiones : aliæ dicuntur simpliciter simplices, aliæ simplices & secundùm quid.

Perfectio simpliciter simplex est ea quæ non pugnat cum majori aut æquali, nullamque involvit imperfectionem, ideòque à sancto Anselmo dicitur

melior ipsa quàm non ipsa, id est, melius est eam habere formaliter quàm non habere: talis est spiritus, sapientia, bonitas, &c. quia melius est esse formaliter spiritualem, sapientem, bonum, &c. quàm non esse.

Perfectio simplex & secundùm quid, est ea quæ pugnat cum alia majori, admixtamque habet imperfectionem, ut corpus, lapis, planta, &c. quæ non possunt esse spiritus: unde juxta eumdem sanctum Anselmum, ejusmodi perfectio non est melior ipsa quàm non ipsa, hoc est, melius non est esse corpus, lapidem, animal, quàm esse spiritum.

Porrò perfectiones simpliciter simplices sunt formaliter in Deo; melius enim est esse formaliter spiritum, sapientem, bonum, quàm non esse: simplices verò non sunt formaliter in Deo, propter imperfectionem quam admixtam habent, meliusque est esse spiritum quàm esse corpus, animal, &c. sed sunt in Deo tum virtualiter, quia sunt ejus effectus, tum eminenter, quia quidquid in his est perfectionis, est in Deo perfectiori & eminentiori modo.

Ergo Deus & creaturæ simul non sunt quid melius & perfectius quàm Deus solus, quia bonitas & perfectio, quæ in creaturis ineſt, non addit quidquam bonitati & perfectioni divinæ.

Ergo non est beatior qui plures creaturas possidet cum Deo quàm qui Deum solum possidet, quia non fruitur majori bono.

Ergo charitatis perfectio in eo sita est, ut solus Deus diligatur propter se, & cætera in ipso aut propter ipsum; ac proinde in charitate perfectus non est cui Deus non sufficit, quique feliciorem fore sese existimat, si alia extra Deum possideret.

§. II. *De Bonitate Dei.*

BOnitas triplex, alia absoluta & transcendens, alia relativa, alia moralis.

Q. 1°. *Deus estne bonus triplici illâ bonitate?*

R. Affirmativè.

1°. Deus est bonus bonitate absolutâ & transcen-

dentali, quia bonitas illa nihil aliud est quàm entis perfectio, quæ cùm sit Deo summa in omni genere perfectionis, sequitur Deum non solum esse bonum, sed etiam summum bonum: *Ostendam omne bonum tibi*, ait Dominus, Exod. 33. v. 19.

2°. Deus est relativè bonus, & convenientissimus omnibus creaturis, quia est causa efficiens & exemplaris rerum omnium; quælibet enim res tendit in suam perfectionem: perfectio autem ejus est assimilari suæ causæ; arca v. g. erit perfecta, si sit similis ideæ quæ est in mente artificis: ergo omnia, quantùm possunt, Deo assimilari appetunt.

3°. Deus est bonus bonitate morali, quia semper operatur propter debitum finem & omnia ad summum bonum sapienter reducit: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus*, Proverb. 16.

Q. 2°. *Deus estne bonus bonitate accidentali?*

R. Minimè; cùm enim sit actus purissimus & simplicissimus, non est capax ullius accidentis. Est ergo bonus bonitate substantiali: bonitas, sapientia, scientia, &c. sunt ejus substantia.

Q. 3°. *Estne proprium Dei esse bonum per essentiam?*

R. Ita est, quia ille solus est bonus per essentiam cui est essentiale existere; nihil quippe bonum est nisi existat; res merè possibilis propriè non est bona, sed bona esse potest, quatenùs potest existere: unde si nunquam extitura sit, non est objectum divini amoris, ut communiter docent Theologi; atqui existentia, ex dictis, soli Deo est essentialis, utpote enti à se & summè necessario: ergo solus Deus est bonus per essentiam, quo sensu Christus dixit, Luc. 18. v. 19. *Nemo bonus nisi solus Deus*; creaturæ enim, cùm esse à Deo accipiant, & existentia ipsis sit accidentalis, non sunt bonæ nisi per participationem.

Q. 4°. *Omnia suntne bona bonitate divinâ?*

R. 1°. Non possunt esse bona bonitate divinâ substantialiter & formaliter sumptâ, quasi sint particulæ quædam substantiæ divinæ, ut somniarunt quidam Hæretici: *cætera bona*, inquit sanctus

Augustinus, *nonnisi ab illo sunt, sed non de illo.*

R. 2°. Omnes creaturæ possunt dici bonæ bonitate divinâ, 1°. efficienter; *Deus quia summè bonus*, inquit sanctus Fulgentius, *dedit omnibus naturis ut bona essent*: 2°. exemplariter, quia Deus est omnium rerum exemplar, cui illas assimilat, & quò ei similiores sunt, eò meliores.

§. III. *De Simplicitate Dei.*

Q. 1°. *Quid est simplicitas?*

R. Est negatio compositionis; illud enim verè est simplex, quod non componitur ex partibus.

Q. 2°. *Quotuplex est compositio?*

R. Duplex, realis & rationis. Realis est adunatio partium realiter distinctarum, ut animæ rationalis & corporis, ex qua exurgit homo. Compositio rationis est ex partibus ratione & per mentem dumtaxat distinctis, ut compositio ex genere & differentia; v. g. ex animali & rationali, quæ duo, quamvis realiter sint unum & idem, mens tamen illa distinguit tanquam partes definitionis.

Q. 3°. *Deus estne expers omnis compositionis?*

R. Est expers omnis compositionis realis, non verò rationis.

Prima pars est contra Paganos, Sadducæos, qui omnem spiritum negabant, Act. 23. quosdam Ægyptios Monachos, qui dicti sunt Anthropomorphitæ, ex eo quòd assererent Deum habere humanum corpus; & Gilbertum Porretanum, Episcopum Pictaviensem, qui contendebat attributa divina saltem relativa, realiter distingui à natura divina; sed agente sancto Bernardo ejusmodi errorem revocavit in Concilio Rhemensi, Præside Eugenio III. Denique contra Abbatem Joachimum, pium virum, sed rudem in rebus theologicis, qui scripsit tres personas esse unum Deum, quomodo Petrus, Paulus & Andræas dicuntur unus homo, quia natura humana in illis est una specificè, sed contracta & divisa per differentias singulares; qui error damnatus est

in Concilio Lateranensi quarto, cap. *Firmiter.*

Probatur autem nostra responsio, quia ens à se est actus purissimus & maximè necessarius excludens omnem potentialitatem, quæ reperitur in qualibet compositione reali. Deus itaque non componitur sive ex materia & forma, sive ex partibus integrantibus, ut corpus humanum ex capite, humeris & brachiis, &c. sive ex subjecto & accidente, ut Angelus, intelligens & volens, ex natura angelica, intellectione & volitione, qui actus realiter distinguuntur ab ejus natura. Unde sanctus Bernardus, lib. 5. de Consideratione, c. 7. de Deo sic scribit: *Purus est, simplex, integer, perfectus, constans sibi, nihil de temporibus, nihil de locis, nihil de rebus trahens in se; unum quippe est, sed non unitum; non partibus constat, ut corpus; non affectibus distat, ut anima; non formis subsistat, ut omne quod factum est; ipse sibi forma, ipse sibi essentia est.* Quare Deus perfectiùs dicitur in abstracto, vita, bonitas, sanctitas, omnipotentia, intelligentia, amor seu volitio, quàm in concreto vivens, bonus, sanctus, justus, intelligens, volens, seu amans, omnipotens: hæc enim nomina concreta idem sonant ac habens vitam, bonitatem, intelligentiam, amorem, &c. Natura autem Dei non est habens istas perfectiones, sed est simplicissimus actus, qui realiter est omnis illa perfectio.

Ergo quando in scripturis tribuuntur Deo caput, oculi, manus, est metaphorica locutio. Utrum autem Tertullianus & nonnulli ex Patribus lapsi sint in errorem Anthropomorphitarum, Consule, tom. 1. cap. 6.

Ergo homo non est factus ad imaginem Dei secundùm corpus, sed secundùm spiritum.

Ergo Deus venire non potest in compositionem alterius, & esse pars alicujus totius; quia omnis pars propriè dicta, sive materialis, sive formalis, est perfectibilis, perficiturque per unionem cum altera parte, quod divinæ perfectioni & simplicitati repugnat.

Nec dicas Verbum in Incarnatione uniri hypostaticè naturæ humanæ; quia cùm per ineffabilem illam unionem nullatenus perficiatur, sed sola creatura humana, non habet rationem partis propriè dictæ, ut docent Theologi, ubi de Incarnatione.

Dices: paternitas, filiatio & spiratio passiva sunt in Deo realiter distinctæ: ergo in Deo est compositio realis.

Distinguo antecedens; sunt realiter distinctæ, si ad seipsas conferantur, concedo: si cum natura divina conferantur, nego antecedens: sunt enim realiter ipsamet natura divina, ac proinde cum ea compositionem non sonant, sed unitatem.

Instabis: illa realiter distinguuntur quibus à parte rei, & nemine cogitante, diversa conveniunt prædicata; atqui naturæ divinæ & ejus attributis diversa conveniunt prædicata à parte rei & nemine cogitante, verum enim est à parte rei quòd natura divina non producatur, filiatio verò sit producta: ergo.

R. 1°. Negari absolutè potest major: namque à parte rei & nemine cogitante voluntas Petri, v.g. non intelligit, intellectus verò ejus intelligit, cùm tamen, in communiori Philosophorum sententia, voluntas & intellectus in eodem homine realiter non distinguantur, sive à natura humana, sive inter se: unde.

R. 2°. Distinguendo majorem: illa realiter distinguuntur, quibus diversa conveniunt prædicata, si illorum entitas non sit virtualiter multiplex, concedo: si sit virtualiter multiplex, nego majorem; eadem enim natura Petri intelligit & non intelligit, vivit & non vivit; intelligit ratione intellectûs; non intelligit ratione voluntatis; vivit ratione animalitatis, non vivit quatenùs præcisè est substantia aut corpus, aliàs lapis & omnes substantiæ corporeæ viverent. Sic eadem entitas divina producitur & non producitur: producitur quatenùs personalitas est, hoc est filiatio aut spiratio passiva; non producitur quatenùs præcisè est natura.

Secunda pars, quæ est contra quosdam Arianos,

qui dicti sunt Anomæi, duce Eunomio, probatur, quia ens à se, licèt sit actus purissimus & simplicissimus, habet tamen infinitas perfectiones, quas intellectus creatus, cùm non possit eas ut unum sibi repræsentare, cum fundamento concipit ut multa.

Dices: omnimoda simplicitas est Deo tribuenda, utpote enti purissimo: ergo Deus est expers omnis compositionis, sive realis, sive metaphysicæ & rationis.

Distinguo antecedens: omnimoda simplicitas realis, concedo; metaphysica, nego antecedens; quia distinctio metaphysica seu rationis, formaliter est in mente, non verò in objecto, nisi fundamentaliter. Unde arguit solùm imperfectionem intelligentis, qui non potest uno actu percipere tantam excellentiam, quam deprehendit in objecto; ac proinde distinctio rationis seu metaphysica commendat infinitam Dei perfectionem, nedum ei officit; quò enim objectum est præstantius, eò plures in eo perfectiones distinguimus; mens nostra plura distinguit in animali quàm in lapide, quia animal est quid lapide perfectius.

Q. 4°. *Simplicitas estne ita Dei propria ut non possit alteri convenire?*

R. Si per simplicitatem intelligatur negatio compositionis realis, vel ex materia & forma, vel ex partibus integrantibus, simplicitas non est Dei propria, cùm Angelus nec componatur ex materia & forma, nec ex partibus integrantibus, ut qui sit incorporeus: at simplicitas sumpta pro negatione compositionis ex subjecto & accidente, v. g. ex intellectu & ejus actibus, ex essentia & existentia, est ita Dei propria ut nulli creaturæ convenire possit; omnis quippe creatura est capax accidentium, putà gratiæ, habitûs & actûs; nulla est suus actus, sua cognitio, suus amor; nulla existit necessariò, ita ut existentia sit ejus essentia.

§. IV. *De Immutabilitate.*

Q. 1°. *Deus eſtne immutabilis?*

R. Affirmativè. *Ego Dominus, & non mutor*, Malach. 3. Et ratio eſt quia duobus dumtaxat modis res aliqua poteſt mutari, nempe vel deperdendo ex iis quæ habet, vel acquirendo quod nondum habet: atqui Deus non poteſt quidquam perdere, cùm ſit ens maximè neceſſarium & ſimpliciſſimum; nec acquirere, cùm ſit infinitus in omni genere perfectionis: ergo.

Dices: habetur Gen. 6. quòd Deus *tactus cordis dolore intrinſecùs*, dixit.... *pœnitet enim me feciſſe eos.* Sap. 7. *Omnibus enim mobilibus mobilior eſt ſapientia*: ergo.

Diſtinguo antecedens: dixit Deus, *pœnitet me*, locutione metaphoricâ & figuratâ, concedo: locutione propriâ, nego antecedens: Deum enim ita pœnitet ut non doleat, nec conſilium mutet; facit tamen quod dolentes & pœnitentes faciunt, nempe deſtruit opera ſua, quando ipſi diſplicent. Sapientia dicitur mobilior, quia ipſa immota ubique operatur, & mutabilia immutat.

Q. 2°. *Immutabilitas eſtne Dei propria?*

R. Affirmativè; quia omnis creatura eſt mutabilis tum ſubſtantialiter, tum accidentaliter: ſubſtantialiter quidem, tum quia tranſit de non eſſe ad eſſe per creationem, tum quia poteſt ſaltem à Deo annihilari, quo ſenſu ſolus Deus dicitur habere immortalitatem; ſpiritus enim angelicus aut rationalis, quamvis ſit in æternum duraturus, poteſt tamen à Deo deſtrui, & eatenùs dicitur mortalis; accidentaliter quoque, quia omnis creatura eſt capax accidentis, putà habitûs & actûs; ſolus enim Deus eſt ſuus actus, ſua volitio, ſua intellectio.

§. V. *De Sanctitate Dei.*

Q. 1°. *Quid eſt ſanctitas?*

R. Eſt perfecta puritas ab omni immunditia ſpiritali.

Q. 2°. *Sanctitas eſtne attributum divinum?*

R. Affirmativè. 1. Reg. 2. *Non eſt ſanctus ut eſt Dominus*, Exod. 15. *Magnificus in ſanctitate.* Et ratio eſt, quia Deus, utpote ens à ſe, eſt actus purus, ſimpliciſſimus & immutabilis, ac proinde deficere nequit: Deus ergo ſanctus eſt per eſſentiam, & hoc illi proprium: creatura verò per participationem, quatenus per charitatem puritati increatæ unitur; hocce puritatis fulgore perculſi Spiritus cæleſtes non ceſſant clamare, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.* Iſa. 6.

§. VI. *De Infinitate Dei.*

Q. *Deus eſtne infinitus?*

R. Infinitus eſt in eſſentia & in omni perfectionis genere, juxta illud Pſalm. 144. *Magnitudinis ejus non eſt finis.* Patet ex dictis, quia Deus eſt ens neceſſarium & illimitatum: ergo non poteſt inveniri finis aut terminus illius virtutis & perfectionis.

§. VII. *De Immenſitate Dei.*

Q. 1°. *Quid eſt immenſitas Dei?*

R. Eſt illimitata diffuſio ſubſtantiæ divinæ, ſeu aptitudo coexiſtendi in infinitis locis.

Q. 2°. *Deus eſtne ubique?*

R. Affirmativè. *Magnus eſt, & non habet finem, excelſus & immenſus*, Baruc. 3. *Deus eſt extra omnia non excluſus*, inquit ſanctus Auguſtinus, lib. 8. de Geneſi, ad litteram, cap. 26. *Intra omnia non incluſus, ſupra omnia non elatus, ſubter omnia non depreſſus: interior omni rei, quia in ipſo ſunt omnia: exterior omni rei, quia ipſe eſt ſuper omnia.* Ens enim à ſe eſt illimitatum & infinitum in omni genere perfectionis; atqui magna eſſet imperfectio, ſi alicubi conſiſtens, locum ſuum deſerere cogeretur, ut alibi præſentem ſe ſiſteret: figurata ergo eſt locutio, quando Deus in Scripturis legitur in cœlo ſedem habere, aliquando deſcendere, ut Gen. 18. v. 21. peccatores deſerere, à Saüle receſſiſſe; immotus enim

accedit & recedit, quando nova operatur in conversione peccatoris, & definit operari ob ejus malitiam, quemadmodum dicimus spiritum recessisse ab eo qui deliquium patitur; & redire, cùm sensus consueta officia repetunt, quamvis corpus informare non desierit.

Q. 3°. *Quomodo Deus est ubique?*

R. Triplici. 1°. Per præsentiam, quatenus omnia videt; *omnia nuda & aperta sunt oculis ejus*, Heb. 4. 2°. per potentiam; *in ipso enim vivimus, movemur & sumus*, Act. 7. Insignis est ille locus, *in ipso vivimus*, non localiter, sicut aves in aëre, aut pisces in aquis, sed efficienter; sicut anima efficit vitam corporis, *vita anima, Deus est*, inquit sanctus Augustinus, serm. 161. *In ipso movemur*, non solùm quia dat creaturis virtutem agendi, sed maximè quia immediatè cum illis concurrit ad quamlibet operationem. *In ipso sumus*, nimirùm per conservationem. 3°. Deus est ubique per substantiam; virtus enim & potentia Dei, quæ est ubique, est realiter unà cum ejus substantia: *Sicut potestas Dei est semper & ubique*, inquit sanctus Anselmus, lib. de Incarnatione, cap 4. *ita quidquid est Deus, ubique & semper est.*

Q. 4°. *Quomodo substantia Dei præsens est ubique?* Advertes triplici modo rem posse esse alicubi per substantiam: 1°. circumscriptivè, cùm per diversas sui partes respondet totidem loci partibus, ita ut ulteriùs non extendatur; & hic modus existendi in loco proprius est corporum: 2°. definitivè, cùm tota est in toto, & tota in qualibet loci parte, nec alibi reperitur, quod convenit solis spiritibus; anima rationalis, v. g. tota est in toto corpore, & tota in qualibet ejus parte, nec ultra extenditur: 3°. repletivè, quando non solùm implet, sed etiam continet omnia loca, iisque tribuit virtutem locativam; nec in illis includitur.

His præmissis, Deus ubique est præsens, non circumscriptivè;

cùm non sit corpus, neque definitivè, quia nullo loco concluditur, sed repletivè, omnia loca non solùm implens, sed etiam in se continens, ipse locorum locus, & cœlis excelsior, & inferno profundior, ut dicitur Job 11. Ergo rectiùs dicitur mundus esse in Deo, ratione ejus immensitatis, quàm Deus in mundo, cùm in illo non includatur. Similiter mundus alter possibilis nonnisi in immensitate divina crearetur, ac proinde Deus novam non acquireret præsentiam; sed mundus ipse immensitati divinæ præsens esse inciperet, & ita intrinsecè mutaretur, non verò Deus. Spatia autem extra hunc mundum, ex sancto Augustino, lib. 11. de Civit. cap. 5. inanes sunt hominum cogitationes, quibus infinita imaginantur loca, cùm locus nullus sit præter mundum, quemadmodum homines inaniter cogitant præterita tempora ante mundi creationem, *cùm nullum sit tempus ante mundum.*

§. VIII. *De Æternitate Dei.*

Q. 1°. *Quid est æternitas?*

R. Definitur à Boërio interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio.

Dicitur 1°. *possessio*, id est, duratio seu permanentia in suo esse; possidere enim dicitur, quasi potens sedere, quia possessor alicujus ditionis potest in ea sedere & permanere firmiter.

Dicitur 2°. *vitæ*, quia possessio propria est viventium, & quidem vitâ intellectuali.

Dicitur 3°. *interminabilis*, id est, quæ caret utroque termino, nempe principio & fine: sicque æternitas distinguitur à curatione creaturarum, quæ initium habent.

Dicitur 4°. *tota simul*, quo distinguitur æternitas à tempore, quod est essentialiter successivum & divisibile in partes priores & posteriores; in æternitate enim nihil est præteritum quasi jam non sit; nihil futurum, quasi nondum sit.

Dicitur 5°. *perfecta*, ut distinguatur ab ævo seu

duratione Angelorum, qui, licèt secundùm substantiam non sint corruptibiles, mutationi tamen accidentali obnoxii sunt; novos quippe eliciunt actus, de novo identidem cogitant & volunt; at æternitas nullam admittit mutationem, sive substantialem, sive accidentalem.

Q. 2°. *Deus estne æternus?*

R. Affirmativè. 1. ad Tim. 6. *Solus habet immortalitatem.* Et ratio est, quia ens à se est actus purissimus & immutabilis; atqui Deus mutaretur, nisi esset æternus, quia aut inciperet, aut desineret esse, aut nova acciperet: ergo æternitas est Dei propria, non secùs ac immutabilitas.

Dices: Deus ab æterno est omnipotens: ergo potuit ab æterno creare.

Distinguo consequens: potuit ab æterno creare quod non repugnat, concedo; quod repugnat, nego consequentiam. Porrò non minus repugnat creaturam esse æternam, quàm montem sine valle, quem ab æterno Deus creare non potuit; omnis enim creatura mutabilis est, nec potest esse suus actus, sed novos successivè potest elicere & recipere: in æternitate autem nulla successio; si Angelus creatus esset ab æterno actu non intelligens, per totam æternitatem non posset intelligere; & contra, si creatus esset cum actuali intelligentia, actus ille esset æternus & durationis infinitæ, quæ omnia sunt absurda.

Instabis: in illa duratione vera est successio, in qua datur prius & posterius; atqui in æternitate datur prius & posterius, de Deo enim æterno dicitur Apoc. 1. *qui est, & qui erat, & qui venturus est*; nonne hodierna Dei duratio major est quàm cùm creavit mundum? ergo.

Distinguo minorem: in æternitate datur prius & posterius intrinsecè & connotativè ad diversas temporis partes, concedo: intrinsecè & formaliter, nego minorem. Itaque æternitas, quamvis sit duratio realiter indivisibilis, cùm partes ejus non fluent

æternæ, nec ex partibus finitis exurgere poſſit duratio infinita, virtualiter tamen & eminenter continet partes temporis ſucceſſivas, & relativè ad illas de Deo dicitur quòd ſit, fuerit, & erit: unde ſi duratio ejus menſuretur per temporis ſucceſſiones, dici poteſt major hodie quàm in mundi principio, *cùm ſecundùm volumina temporum locutio humana varietur*, inquit ſanctus Auguſtinus, Tractatu 99. in Joannem; *qui per nulla deeſſe potuit, aut poteſt, aut poterit tempora, vera de illo dicuntur cujuſlibet temporis verba.* Vide plura, tom. 1. capite 13.

§. IX. *De Inviſibilitate & Incomprehenſibilitate Dei.*

QUæſtio hîc moveri non poteſt de viſione Dei abſtractivâ, quæ habetur per effectus & alienam ſpeciem, cùm ex dictis inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciantur, Rom. 1. ſed de viſione tum intuitivâ, quâ objectum cognoſcitur ut in ſe eſt, & per propriam ſpeciem; tum comprehenſivâ, quâ objectum perſpicitur non ſolùm in ſe totum, ſed etiam omni claritate & modo quo cognoſcibile eſt: itaque.

Q. 1°. *Viſio Dei intuitiva eſtne poſſibilis?*

R. 1°. Naturaliter eſt impoſſibilis, 1. ad Tim. 6. *Lucem inhabitat inacceſſibilem*, (Deus) *quem nullus hominum vidit, ſed* NEC VIDERE POTEST. Et ratio eſt quia Deus eſt ens ſupernaturale, id eſt, ſupra rerum creatarum ordinem: unde ſicut oculus corporeus non poteſt percipere ſpiritalia, utpote ſuperioris ordinis; ita mens creata non poteſt naturaliter cognoſcere quæ ſunt divini & ſupernaturalis ordinis.

R. 2°. Viſio Dei intuitiva ſupernaturaliter eſt poſſibilis; promittitur enim iis qui ſunt mundo corde, 1. Joan. 3. *Videbimus eum ſicuti eſt.* Quòd autem ejuſmodi viſio ſit poſſibilis, probatur, quia eſt proportio inchoata intellectûs creati ad Deum intuitivè videndum; intellectus enim creatus eſt intellectivus, Deus verò eſt intelligibilis: ergo Deus continetur intra latitudinem objecti intellectûs creati.

Ergo oculus corporeus nequidem ſupernaturaliter poteſt Deum percipere, quia Deus non minùs eſt extra latitudinem objecti visûs corporei, quàm tactus, guſtus & olfactus; Deus enim neque eſt color, neque ſapor, neque odor, nec quidquam aliud ſenſibile.

Dices 1°. eſt diſtantia infinita Deum inter & intellectum creatum: ergo Deus nequidem ſupernaturaliter videri poteſt ab intellectu creato, repugnat enim ſuperari diſtantiam infinitam.

Diſtinguo antecedens: eſt diſtantia infinita entitatis, concedo; habitudinis, nego antecedens: eſt enim proportio inchoata intellectûs creati ad Deum intuitivè videndum: ergo quemadmodum voluntas per charitatem amare poteſt Deum ut eſt in ſe, & ei intimè uniri, quia voluntas eſſentialiter eſt omnis boni appetitiva; ita pariter mens creata omnis veri cognoſcitiva, per lumen ſupernaturale poteſt Deum intuitivè videre.

Inſtabis: non poteſt eſſe proportio inchoata habitudinis intellectûs finiti ad objectum infinitum: ergo nulla ſolutio.

Nego antecedens, ut patet vel ipſo exemplo voluntatis, quæ habet proportionem inchoatam ad diligendum Deum ut in ſe eſt. Poteſt etiam diſtingui illud antecedens: non poteſt eſſe proportio inchoata ad objectum infinitum infinitè & comprehenſivè cognoſcendum, concedo: unde voluntas non poteſt Deum infinitè diligere ad finitè cognoſcendum, nego antecedens.

Dices 2°. Antiqui Patres, ut ſanctus Chryſoſtomus, Theodoretus, docent Deum non poſſe videri niſi per condeſcenſum quemdam: ergo.

Diſtinguo antecedens: non poſſe videri vel naturaliter, vel ſupernaturaliter comprehenſivè, ut contendebant Anomæi, adversùs quos ſcripſerunt illi Patres, concedo: non poſſe ſupernaturaliter, modo tamen finito & per condeſcenſum quemdam, nego antecedens. Conſule, tom. 1. cap. 14.

R. 3°. Visio Dei comprehensiva est impossibilis etiam supernaturaliter, quia Deus est infinitè cognoscibilis; atqui intellectus creatus & finitus non potest elicere visionem infinitam: ergo intellectus creatus etiam Christi Domini non potest Deum comprehendere.

Dices: tum comprehenditur objectum, cùm videtur totum.

Nego: nam voluntas per charitatem totum Deum, sicut in se est, diligit, neque tamen eum diligit, nec ullâ virtute diligere potest, quantùm est diligibilis. Similiter intellectus beatus, licèt totum Deum videat, non potest tamen illum omnimodo videre quo visibilis est, quia infinitè est visibilis, hoc est, clariùs & clariùs in infinitum: sic discipulus, quamvis conclusiones & principium quo nituntur planè intelligat, non tamen eâ claritate & perfectione intelligit, quâ Magister.

Q. 2°. *Potestne intuitivè videri natura divina absque ejus attributis?*

R. Affirmant Scotistæ; sed opinio illa non videtur probabilis, quia natura divina & ejus attributa sunt in se actus purus & simplicissimus: ergo natura divina non potest videri sicuti est, quin videantur omnia ejus attributa.

Dices: potuit una persona incarnari sine alia; ergo & videri.

Nego consequentiam. Disparitas est quòd visio intuitiva terminetur ad objectum sicuti est; atqui natura divina & ejus attributa sunt unum quid: ergo repugnat ea separatim videri sicut in se sunt. Contra verò in Incarnatione, licèt identicè &, ut ita dicam, materialiter totus Deus humanitati uniatur, juxta illud Christi, Joan. 16. *Ego in Patre, & Pater in me est*; non unitur tamen omni modo, nec formaliter ut natura est, ut Pater est, vel ut Spiritus sanctus, quemadmodum in æternitate Pater communicat naturam divinam Filio, non secundùm omnem modum, in quo se habet, id est

ut formaliter ſubſiſtentem paternitate.

Q. 3°. *Fueruntne qui in hac vita mortali Deum intuitivè viderint?*

R. Nonnulli Theologi, ut S. Thomas, affirmant illud privilegium fuiſſe conceſſum Moyſi & ſancto Paulo; ſed communior ſententia negat Deum aliquando viſum fuiſſe in hac vita mortali; probaturque Joan. 1. *Deum nemo vidit unquam*: 1. Tim. 6. *quem nullus hominum vidit.* Hæ propoſitiones nullam admittunt exceptionem, cùm ſint univerſaliter negantes.

Dices: 2. Cor. 12. S. Paulus raptus eſt in Paradiſum uſque ad tertium cœlum: Moyſi promiſit Deus ſe ei oſtenſurum omne bonum, locutuſque eſt cum eo facie ad faciem, & non per figuras & enigmata, Exod. 33. & Num. 12. ergo viſio Dei intuitiva fuit illis conceſſa.

Nego conſequentiam, quia textibus perſpicuis & claris non debent opponi obſcuriores: 1°. enim non conſtat quid ſit tertium cœlum, ad quod raptus eſt Apoſtolus, & quid ibi audierit: 2°. Deus expreſsè dixit Moyſi: *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo, & vivet.* Ergo Moyſes non vidit omne bonum in propria ſpecie, ſed in effigie humana, in qua Deus, ſeu potius Angelus gerens vices Dei, ut habetur Actuum 7. v. 37. & 38. ſolebat apparere Moyſi, & cum eo loqui, ſicut amicus ad amicum ore ad os, & facie ad faciem, non verò per ſomnia, per figuras & enigmata obſcuriora, putà per ignem, nubem, &c.

Inſtabis: videre Deum facie ad faciem, eſt videre intuitivè, ut patet ex cap. 13. 1. Cor. ubi ſic ſcribit Apoſtolus v. 12. *Videmus nunc per ſpeculum & in enigmate; tunc autem facie ad faciem*; atqui Moyſes vidit Deum facie ad faciem: ergo vidit Deum intuitivè.

Diſtinguo majorem: videre facie ad faciem in propria natura, concedo: videre facie ad faciem in natura aſſumpta, in qua Deus, vel potiùs Angelus

loquebatur Moysi, nego majorem. Quamquam faciem illam fulgentem, sicut refulsit facies Christi in transfiguratione, non vidit Moyses; ait enim Exod. 33. v. 20. & 23. *Videbis posteriora mea,* (nempe in corpore assumpto) *faciem autem meam videre non poteris.* Quòd autem Apostolus laudato capite 13. per verba, *tunc autem facie ad faciem*, intelligendus sit de visione Dei in propria specie, colligitur ex verbis sequentibus, *tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.*

Q. 4°. *Sancti plenè purgati fruunturne visione Dei intuitivâ ante corporum resurrectionem?*

R. Affirmativè; ita enim definitum est in Concilio generali Florentino, sess. 25. an. 1438. Præiverat Concilium secundum Lugdunense, etiam generale in formula fidei, anno 1724. probaturque responsio ex Scriptura, Luc. 23. v. 42. ubi Christus latroni pœnitenti ait: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* 2. Cor. 5. *Cùm sumus in corpore, peregrinamur à Domino.... audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum.*

Dices: hæc Concilii definitio contraria est Traditioni & Scripturæ sacræ; Traditioni quidem, nam à primo Ecclesiæ sæculo communis fuit Ecclesiæ doctrina, Sanctos post resurrectionem cum Christo regnaturos in terris per mille annos, priusquàm ad conspectum Dei in cœlo reciperentur. Ita tradidit Papias, Episcopus Hierapolitanus, & discipulus S. Joannis Evangelistæ, quem secuti sunt sanctus Justinus secundo sæculo, sanctus Irenæus, & Tertullianus tertio sæculo, Lactantius, Severus Sulpitius quarto sæculo, sanctus Augustinus quinto sæculo, sanctus Bernardus duodecimo sæculo, & Joannes XXII. decimo quarto sæculo. Scripturæ etiam adversatur ejusmodi definitio, nam Matth. 20. denarius omnibus simul operariis in fine diei distribuitur, quo significatur justis debita merces simul rependenda in consummatione sæculi: Apoc. 6. v. 9. animabus

Martyrum ſub altari deliteſcentibus dictum eſt ut requieſcerent, donec compleantur conſervi & fratres eorum; & cap. 20. fit mentio duplicis reſurrectionis: prima eſt juſtorum, qui regnabunt cum Chriſto mille annis; ſecunda impiorum, quæ conſequetur illud temporis intervallum: ergo.

Nego antecedens; fuit enim omnium ſeculorum traditio, animas quibus nihil ſupereſt expiandum, ſimul ac corpore ſolutæ ſunt, in cœlum admitti, ibique frui intuitivâ Dei viſione, ut fusè probavimus adversùs Lutherum & Calvinum, tom. 1. capit. 14. paragrapho 6. quamvis nonnulli ex veteribus contra ſenſerint; quemadmodum ſemper creditum eſt in Eccleſia, ratum eſſe Baptiſmum collatum ab Hæreticis, licèt ſancti Cyprianus & Firmilianus, Tertullianus & plures Epiſcopi illum reprobaverint, veritate nondum eliquatâ, ut loquitur ſanctus Auguſtinus.

Nec nocent allati Scripturæ textus.

Non primus, is enim eſt ſcopus Chriſti Domini in parabola denarii diurni, Judæos, qui primò vocati ſunt, non plus accepturos quàm Gentiles chriſtianos, licèt tempore poſteriores, imò nec ſanctos Patriarchas ante primitias Chriſtianorum, putà Innocentes, Joannem Baptiſtam, Latronem pœnitentem, cœlum ingreſſuros, nec antè nos gloriâ conſummatâ, quæ erit in reſurrectione corporum, donandos, juxta illud Apoſtoli, Heb. 11. v. 39. *Hi omnes teſtimonio fidei probati non receperunt mercedem... ut non ſine nobis conſummarentur.*

Non ſecundus; quia altare, de quo ſæpe fit mentio in Apocalypſi, in cœlo ſemper viſum eſt, ergo & animæ Martyrum ſub illo collocatæ, quæ laudem Deo concinunt cum Spiritibus cœleſtibus, datæque ſunt ſingulis ſtolæ albæ, ſcilicet incompleta felicitas, donec perfecto ſalvandorum numero, in reſurrectione completam accipiant. Dicuntur autem ſub altari tanquam ſub Principe Chriſto qui eſt ſupra velut Agnus occiſus, cujus virtute & merito

Martyres ſeipſos in ſacrificium Deo obtulerunt.

Non tertius; eo enim loco regnum mille annorum eſt totum temporis ſpatium, quod à morte Chriſti (quando ligatus eſt Satanas) protenditur uſque ad adventum Antichriſti, quo rursùs ſolvetur Satanas citato capite 20. Apoc. & reſurrectio prima, de qua ibidem fit mentio, eſt animarum juſtificatio, in qua tranſeunt à morte ad vitam, ut dicitur Joan. 5. v. 24. *Cùm conſummati fuerint mille anni*, inquit ſanctus Joannes v. 7. *Solvetur Satanas de carcere ſuo, & exibit, & ſeducet gentes:* v. autem 9. *Proſternitur, mittiturque in ſtagnum ignis.* Tum ſequitur mortuorum reſurrectio, v. 13. *Mors & infernus dederunt mortuos ſuos... & judicatum eſt de ſingulis ſecundùm opera ipſorum.* Ergo locus iſte deſtruit, nedum aſtruat errorem Millenariorum, in quem S. Auguſtinus primò impegerat; ſed illum revocavit lib. 1. Retract. cap. 14. & lib. 20. de Civit. cap. 7. Sanctus Bernardus obſcuriùs locutus eſt, ſed intelligi poteſt de beatitudine conſummata, quæ non habetur niſi poſt reſurrectionem corporum. Joannes XXII. inclinavit reverà in errorem Millenariorum; ſed in pleno Conſiſtorio confeſſus eſt, teſte Benedicto XII. ejus ſucceſſore, omnia à ſe fuiſſe prolata ad veritatem dumtaxat indagandam, nec quidquam ſe definiiſſe, quin morti proximus ſinceræ fidei ſuæ teſtimonia reliquit anno 1434. Sed cùm iſthæc longâ diſſertatione indigeant, vide tom. 1. cap. 14. parag. 6. ubi fuſiùs & clariùs ſunt expoſita ac probata.

§. X. *Satisfit nonnullis quæſtionibus circa viſionem beatificam.*

Q. 1°. *Quæ requiruntur ut mens creata elevetur ad Deum intuitivè videndum?*

R. Requiritur 1°. lumen gloriæ, quod eſt habitus ſupernaturalis, quo mens creata ultimò diſponitur ad eliciendam viſionem Dei intuitivam, quemadmodum per ſupernaturalem fidei habitum elevatur

ad credendum iis quæ Deus dixit; ſed ſicut Hæreticus ad catholicam Religionem rediens, necdum juſtificatus, ſupernaturale Dei auxilium abſque fidei habitu, elicit actus fidei, ita Beati Deum abſolutè videre poſſunt ſolo actuali lumine gloriæ illuſtrati & corroborati.

Requiritur 2°. ut Deus intellectui lumine gloriæ inſtructo conjungatur in ratione objecti; namque ex ſancto Auguſtino cognitio gignitur à cognoſcente & objecto cognito. Hinc eſt quòd homo viator Deum, quamvis ubique præſentiſſimum, intuitivè non videat, quia in ratione objecti non conjunguntur ejus intellectui, quemadmodum nec oculus percipit in tenebris objecta quæ circumſtant, quia ſine lumine ab iis non afficitur nec movetur.

Q. 2°. *Deus imprimitne ſui ſpeciem in intellectu beato, ſicut per ſpecies ſeu ideas vel innatas, vel acquiſitas percipimus alia objecta?*

R. Minimè; quemadmodum enim oculus ſine ſpecie impreſſâ percipit lumen utpote ſibi præſentiſſimum, ſic & intellectus beatus Deum, qui illi intimè præſens eſt, nullâ interveniente ſpecie, intuetur. Poſſet tamen abſolutè dari ejuſmodi ſpecies, cujus virtute intellectus beatus Deo in ratione objecti conjungeretur.

Q. 3°. *Viſio Dei intuitiva fitne per aliquam ſimilitudinem, qua ſolet dici verbum mentis, ſeu ſpecies expreſſa?*

R. Communior eſt ſententia fieri; quia ſicut calefactio nec eſſe nec intelligi poteſt ſine calore, ad quem terminatur, illuminatio ſine lumine, ſic nec intellectio ſine ſuo termino, quod eſt verbum mentis ſeu ſpecies expreſſa: *quemadmodum enim*, inquit ſanctus Auguſtinus lib. 9. de Trinitate, cap. 11. *cùm per ſenſum corporis videmus corpora, fit eorum aliqua ſimilitudo in animo noſtro ... ita cùm Deum novimus ... fit aliqua Dei ſimilitudo illa notitia.*

Dices: nihil creatum poteſt repræſentare objectum infinitum: ergo nulla ſpecies ſive impreſſa, ſive

expreſſa, Deum ſicuti eſt repræſentare poteſt.

Diſtinguo antecedens: nihil creatum repræſentare poteſt objectum infinitum, tanquam medium, in quo Deus intuitivè videatur, quemadmodum Pater videtur in Filio, concedo: tanquam medium quo Deus videatur, quemadmodum per idæas, quæ in mente ſunt accidentia, repræſentantur ſubſtantiæ accidentibus nobiliores, nego antecedens: ſi enim intellectus creatus lumine gloriæ adjutus, virtutem habet eliciendi viſionem Dei intuitivam, quidni & ſpecie, ſive impreſsâ, ſive expreſsâ inſtructus?

Q. 4°. *Beati videntne Deum æqualiter?*

Aſſeruit Jovinianus quarto ſeculo, cujus errorem jampridem proſtratum, reſtituerunt Pſeudo-reformati ſeculo decimo ſexto, adversus quos.

R. De fide eſt, inæqualem eſſe viſionem beatificam; ita enim definiit Concilium Tridentinum, ſeſſ. 6. can. 32. probaturque ex Scriptura, Joan. 14. *In domo Patris... manſiones multæ ſunt.* 1. Cor. 15. *Stella enim à ſtella differt in claritate; ſic & reſurrectio mortuorum.*

Dices: Matth. 20. idem denarius omnibus operariis redditur, licèt alii plus, alii minus laboraverint: ergo omnes æquali donantur beatitudine.

Diſtinguo conſequens: æquali beatitudine objectivâ, concedo; nam Deus erit omnibus una merces per unum denarium figurata: æquali beatitudine formali, nego conſequentiam, diverſimodè enim Beati idem objectum poſſidebunt.

Q. 5°. *Quænam eſt cauſa hujus inæqualitatis?*

R. Cauſa moralis eſt inæqualitas meritorum, nam *qui parcè ſeminat, parcè & metet*, 2. Cor. 9. Cauſa phyſica eſt lumen gloriæ, quod inæquale datur pro diverſitate meritorum: ergo Angelus ſupremus Deum clariùs non videret cum æquali lumine gloriæ, licèt in eo vis intelligendi ſit longè perfectior, quia non videt per potentiam naturalem, ſed per obedientialem, quæ æqualis eſt ſive in Angelo, ſive in homine, utpote quæ non agat, niſi quatenus elevatur. Unde cùm perfectiori modo elevetur Beatæ Virginis

intellectus, Deum clariùs attingit quàm intellectus angelicus; sic homo acutioris ingenii cum æquali lumine fidei perfectiùs non credit quàm idiota.

Q. 6°. *Quænam videntur à Beatis in essentia divina?*

R. 1°. Necessariò videntur omnia quæ sunt in Deo formaliter, nempe tres personæ, & omnia attributa, ut suprà diximus. 2°. Beati non vident necessariò creaturas secundùm suum esse formale, quia ut sic, sunt aliquid prorsùs à Deo distinctum; vident tamen ex rebus creatis illas quæ pertinent ad eorum vel perfectionem, vel statum.

Hinc vident primò ea gratiæ mysteria, quæ in via per fidem crediderunt; fidei enim succedit visio, tanquam merces operi. *Quid videbimus*, inquit sanctus Augustinus lib. 29. de Civit. cap. 21. *nisi Deum & omnia illa, quæ nunc non videmus credentes?* Secundò, vident omnes rerum species & genera, quæ scientiarum naturalium sunt objecta, hæc enim notitia pertinet ad eorum perfectionem. Tertiò, ex contingentibus ea cognoscunt quæ illos specialiter spectant: v. g. orationes quæ ad illos diriguntur, nam ex Concilio Senonensi, *pervium est Divinitatis speculum, in quo, quidquid eorum interfit, illucescat.*

Ergo fieri potest ut Beatus meritis & gloria inferior plura cognoscat quàm superior, quia illius specialis conditio hanc notitiæ extensionem exigit: v. g. plures illum invocant. Sed propterea non erit beatior, ut monet sanctus Augustinus lib. 5. Confess. cap. 4. ubi Deum sic alloquitur: *Beatus est qui te novit, etsi alia nesciat; qui autem te & alia novit, non propterea beatior, sed propter te solum.*

Q. 7°. *Quid est videre in verbo?*

R. Hic loquendi modus dupliciter intelligi potest. 1°. Ita ut idem sit ac per visionem beatificam videre in essentia divina, quæ est idæa rerum omnium; & hæc acceptio est communior apud Theologos. 2°. Significat aliquando videre per revelationes speciales, quæ appropiantur verbo; dubium enim non est quin Beati identidem nova cognoscant, quod

fieri nequit per visionem beatificam, quæ immutabilis est, cùm detur ut merces propter merita, quæ post mortem nec augentur, nec minuuntur: ergo per novas revelationes. Prior cognitio vocatur matutina; posterior verò, utpote imperfectior, vespertina; res enim perfectiori modo cognoscuntur in Deo per visionem beatificam, quàm in seipsis per speciales revelationes.

Q. 8°. *Beati possuntne videre omnes omninò creaturas possibiles?*

R. Non possunt; alioquin comprehenderent omnipotentiam divinam; neque enim aliter Deus intelligitur comprehendere suam omnipotentiam quàm videndo quidquid illa possit, quemadmodum ille censetur cognoscere aliquod principium, quantùm cognoscibile est, qui in illo videt omnes conclusiones quæ inde deduci possunt.

Dices: qui potest majus, potest & minus: atqui minus est videre omnes creaturas possibiles quàm Deum videre: ergo.

Nego minorem; videre enim omnes creaturas possibiles, est non solùm videre, sed etiam comprehendere omnipotentiam divinam.

Instabis: omnes creaturæ possibiles sunt quid Deo minus: ergo.

Nego antecedens, possibilitas enim rerum est vel ipsamet Dei omnipotentia, vel saltem illam includit.

CAPUT VI.

De Attributis divinis quæ per modum facultatis exprimuntur.

ATTRIBUTA illa sunt intellectus, voluntas, & omnipotentia.

§. I. *De Intellectu divino.*

Monuimus ſuprà in Deo nullam eſſe potentiam propriè dictam, cùm ipſe ſit actus puriſſimus, ac proinde eſſentiam divinam, intellectum, ſcientiam & cognitionem actualem eſſe planè unum & idem.

Ergo ſicut eſſentia divina eſt ſimpliciſſima, immutabilis, & infinita; ita & ejus ſcientia: *Sicut omnino tu es*, inquit ſanctus Auguſtinus lib. 13. Confeſſ. cap. 16. *tu ſcis ſolus, qui es incommutabiliter, & ſcis incommutabiliter, & vis incommutabiliter.* Eſther 14. *Habes omnium ſcientiam.* Pſal. 146. *Sapientiæ ejus non eſt numerus.* Ac imprimis novit ſeipſum & comprehendit tanquam primarium objectum, ac præſtantiſſimum intelligibile, deinde cætera omnia, poſſibilia, exiſtentia, futura, *diſcretor cogitationum & intentionum cordis, & non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus*, Heb. 4.

Dices: Deus aliquando cum dubitatione loquitur: *ſi fortè audiant*, ait Jerem. 26. *forſitan Patrem meum ſciretis*, Joan. 8. ergo.

Reſpondet Sanctus Hieronymus ad primum locum: *Verbum ambiguum*, forſitan, *majeſtati divinæ non poteſt convenire; ſed noſtro loquitur affectu, ut liberum homini ſervetur arbitrium.* Et ſanctus Auguſtinus ad ſecundum locum, Tract. 37. in Joan. ſic habet: *Ille qui omnia ſcit, quando dicit*, forſitan, *non dubitat, ſed increpat: dubitationis verbum eſt, quando dicitur ab homine ideò dubitante, quia neſciente: cùm verò dicitur à Deo verbum dubitationis, cùm Deum nihil utique lateat, illâ dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur Divinitas.*

Q. 1°. *Quomodo dividitur ſcientia divina ſecundùm noſtrum concipiendi modum?*

R. Dividitur 1°. in ſcientiam ſpeculativam & practicam. Speculativa eſt objecti non operabilis, ut ſcientia quâ Deus ſeipſum cognoſcit, & res merè poſſibiles. Hæc ſcientia eſt neceſſaria, utpote independens à divinis decretis. Scientia practica eſt cognitio

cognitio objecti operabilis, ut mundi condendi, dependens à decretis divinis, ac proinde libera, & est causa rerum, quemadmodum ars in mente artificis est causa arte factorum.

2°. Dividitur in scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis: celeberrima est in scholis isthæc divisio.

Scientia simplicis intelligentiæ est cognitio rerum merè possibilium, quæ nec extitêre, nec extituræ sunt.

Scientia visionis est cognitio rerum existentium in aliqua temporis differentia, sive actu existant, sive extiterint, sive extituræ sint.

Q. 2°. *Estne adæquata ejusmodi divisio?*

R. Affirmativè; quia quidquid Deus cognoscit, vel existit in aliqua temporis differentia, vel non existit: medium quippe non datur inter existere & non existere, cùm sint contradictoria; atqui primum pertinet ad scientiam visionis, secundum verò ad scientiam simplicis intelligentiæ: ergo.

Dices: Totuplex scientia in Deo est distinguenda, quotuplici modo res possibiles distingui possunt; atqui res possibiles distingui possunt in eas quæ sub nulla conditione futuræ sunt, & eas quæ sub conditione, numquam tamen ponendâ, futuræ essent: ergo.

Minor probatur. David 1. Regum cap. 23. accepto nuntio quòd Saül cum exercitu ad urbem Ceïlam, in qua tum commorabatur David, accederet, dubius erat num tradendus esset à Ceïlitis, si apud eos remaneret, propterea que consuluit Dominum. Quam verò responsionem ex divino oraculo expectabat quòd illud esset possibile? minimè, id enim ipsi constabat; sed quærebat quod non erat sibi compertum, num scilicet reverâ tradendus esset, in hypothesi quòd ex urbe non fugeret. Respondit Deus: *Tradent*; propterea David fugit, & ideò non est traditus: ergo traditio Davidis non fuit objectum scientiæ visionis, utpote quæ nunquam extiterit: neque fuit objectum simplicis

intelligentiæ ; quia non erat merè possibilis, nec Deus simpliciter respondit esse possibilem, sed futuram sub conditione, nempe si David remaneret in urbe : ergo præter scientiam possibilium & existentium, media est admittenda, quæ sit conditionatè futurorum.

Distinguo minorem : duplici modo cognosci potest, sed duplici scientia, nimirum simplicis intelligentiæ & visionis, propter duplex objectum, quod concurrit in futuris conditionatis, concedo : duplici modo qui constituat scientiam mediam distinctam à scientia simplicis intelligentiæ, & à scientia visionis, nego minorem.

In futuro itaque conditionato, v. g. in proditione Davidis, si remansisset in urbe Ceïla, duo spectari debent. Primum est ipsamet conditio nunquam futura, ac proindè merè possibilis, quæ ut sic, est objectum scientiæ simplicis intelligentiæ. Secundum est infirmitas humana, quæ in habitatoribus Ceïlæ infallibiliter cessisset Saüli minitanti urbis obsidionem & subversionem, nisi Deus efficaci suo auxilio eos roborare decrevisset : non decreverat autem, cùm statuisset Davidem fugâ salvare. Atqui infirmitas Ceïlitarum & divinum decretum erant quid existens, ac proindè objectum scientiæ visionis. Sic possibile erat Tyrios & Sydonios converti, si vidissent miracula quæ facta sunt in urbe Bethsaïda & Corosaïn, & eo sensu eorum conversio erat objectum scientiæ simplicis intelligentiæ ; sed voluntas eorum non ita indurata, sicut voluntas civium Bethsaïda & Corosaïn ; vis quoque & efficacia gratiæ iisdem civibus concessæ erant existentes, ac proinde objectum scientiæ visionis, & ex iis potuit Christus certò dicere Tyrios & Sydonios fore convertendos, si similes apud eos factæ fuissent virtutes.

Q. 1°. *Quodnam est medium scientiæ divinæ ?*

Medium scientiæ dicitur causa cognitionis : sic creaturæ sunt medium quo naturaliter cognoscimus Deum existere, & prima cognitionis principia sunt

media per quæ devenimus in notitiam concluſionis. His præmiſſis,

R. 1°. Deus ſeipſum videt ſine medio, quia Deus eſt ipſamet lux, ipſa veritas, per quam cætera ipſi ſunt pervia: ergo ſi primà cognitionis principia cognoſcimus ſine medio, ſed per ea devenimus in cæterorum cognitionem, à fortiori Deus ſeipſum primam veritatem ſine medio cognoſcit. Secundùm tamen noſtrum concipiendi modum, quo diſtinguimus attributa divina ab eſſentiâ, Deus cognoſcit ſua attributa in propria eſſentia, à qua veluti fluere intelligimus ejus proprietates.

R. 2°. Deus alia à ſe cognoſcit in ſeipſo, probatque ſanctus Thomas lib. 1. contra Gentes cap. 4. hâc ratione; quia cognitio ſumit ſuam ſpeciem & perfectionem ab objecto; unde Metaphyſica eſt præſtantior Phyſicâ, quia verſatur circa objectum præſtantius, utpote ab omni materia abſtractum, putà circa Angelum, Deum ipſum, cùm Phyſica tota ſit circa corpus naturale; atqui repugnat ſcientiam Dei ſpeciem & perfectionem accipere à creaturis, cùm ejus ſcientia & cognitio ſit ipſius eſſentia: *Sic igitur*, inquit angelicus Doctor, *impoſſibile eſt quòd intellectum à Deo primò & per ſe ſit aliud ab ipſo.*

Porrò Deus videt res poſſibiles, primò in eſſentia, quæ eſt ipſum eſſe à creaturis participabile, ſicut cognoſcuntur omnia calida in calore ipſo, cujus ſunt participationes: ſecundò in omnipotentia, utpote earum productiva: tertiò in ſuis ideis, tanquam in ſua arte, ut loquitur ſanctus Auguſtinus: idea enim eſt exemplar, ſeu interna ſimilitudo in mente agentis, ad cujus inſpectionem opus ſuum dirigit ac perficit. Ideæ autem divinæ nihil aliud ſunt quàm eſſentia divina, quatenus ad ejus ſimilitudinem producuntur creaturæ: ergo realiter in Deo eſt una idea ſicut & cognitio; ſed ſecundùm noſtrum concipiendi modum multiplex, quatenus eſſentia divina non uno modo, ſed infinitis eſt imitabilis & participabilis.

Res verò existentes in aliqua temporis differentia videt Deus in suis decretis, quia res futuræ sunt eo modo quo Deus decrevit res futuras; futuræ, inquam, liberè aut necessariò, si voluit Deus eas evenire liberè aut necessariò: *Cùm voluntas divina sit efficacissima*, inquit sanctus Thomas 1. p. q. 19. art. 8. *non solùm sequitur quòd fiant ea quæ Deus vult fieri, sed & quòd eodem modo fiant quo Deus ea fieri vult, vult autem Deus quædam fieri necessariò*, (ut motus creaturarum irrationalium & insensatarum) *quædam contingenter*, id est, liberè, ut actiones humanas.

Dices: Illud non potest esse medium certò cognoscendi actus liberè futuros, quod non habet cum illis necessariam connexionem; atqui decreta Dei quantumcumque efficacia, non habent necessariam connexionem cum actibus liberè futuris; actus enim liberè futurus potest non esse futurus, cùm in eo libertas arbitrii essentialiter consistat, ut actus possit non poni: ergo.

Distinguo minorem: non habet connexionem necessariam absolutè, concedo: hypotheticè, nego minorem; necesse enim est ut actus fiat eo modo quo Deus efficaciter fieri voluit: ergo cùm Deus efficaciter voluerit ejusmodi actus fieri liberè, necessarium est, ex sancto Thoma mox laudato, ut actus fiat liberè, hoc est, ita ponatur, ut possit absolutè non poni.

Instabis: Deus in suis decretis saltem non videt actus malos liberè futuros, cùm illos efficaciter non decernat, sed solummodo permittat: ergo.

Distinguo antecedens: non videt in suis decretis positivis, quasi decreverit ad eos præmovere, concedo; in permissivis, nego antecedens. Deus itaque non decrevit excitare & agere voluntates ad peccandum, ut blasphemarunt Lutherus & Calvinus; sed decrevit se illa permissurum propter rationes exponendas ubi de Providentiâ. In illo autem decreto permissivo includitur decretum concurrendi

ad materiale peccati, ad quod se determinatura est voluntas mala. Porrò in illo concurrendi decreto videt Deus futurum peccatum.

At, inquies, quomodo Deus ab æterno vidit voluntatem malam se determinaturam ad malum?

R. Eo modo vidit quo videt in tempore, cùm actu præbet concursum simultaneum, vel secundùm Thomistas, physicè præmoventem; scientia enim Dei, utpote immutabilis, rerum ortu aut interitu non crescit nec decrescit.

§. II. *De Voluntate Dei.*

Q. 1°. *Estne in Deo voluntas?*

R. Affirmativè. *Omnia quæcumque voluit, fecit*, Psal. 113. *Non mea voluntas, sed tua fiat*, Luc. 22. Et ratio est, quia voluntas nihil est aliud quàm naturalis inclinatio, quæ in sensitivis dicitur appetitus, & intellectualibus voluntas. Porrò sicut in Deo esse & intelligere unum sunt, ita esse & velle: ergo in Deo una est realiter voluntas & volitio, seu amor, quemadmodum est una natura; multiplex verò secundùm nostrum concipiendi modum.

Q. 2°. *Quomodo voluntas Dei dividitur nostro concipiendi modo?*

R. Dividitur generatim in voluntatem signi, & voluntatem beneplaciti.

Q. 3°. *Quid est voluntas signi?*

R. Est signum externum divinæ voluntatis; sic mandata Dei dicuntur voluntas Dei, quia iis significatur Deum velle fieri quod lege suâ sanxit.

Q. 4°. *Quid est voluntas beneplaciti?*

R. Est ipsemet actus internus & immanens divinæ voluntatis.

Q. 5°. *Quotuplex est voluntas signi?*

R. Quintuplex, scilicet præceptum, prohibitio, consilium, permissio, & operatio; Deus enim vult nos facere bonum quod præcipit aut consulit, abstinere à malo quod prohibet, pati persecutiones

quas permittit, & omnia adversa quæ immittit.

Q. 6°. *Quotuplex est voluntas beneplaciti?*

R. Duplex, antecedens & consequens.

Voluntas antecedens est ea quâ Deus aliquid vult fieri secundùm se spectatum, & non consideratum cum omnibus circumstantiis particularibus.

Voluntas consequens est ea quâ Deus aliquid vult simpliciter & absolutè, spectatis omnibus circumstantiis.

Q. 7°. *Voluntas Dei impleturne semper?*

R. Consequens & absoluta semper impletur; nam Rom. 9. *voluntati ejus quis resistit?* Sed antecedens non impletur semper, ut patet ex cap. 23. Matth. *Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Nec propterea dici potest eam vinci ab hominibus, quia sic vult eos salvare obedientes, ut velit etiam damnare inobedientes: alterutrum autem semper impletur. Infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cùm ejus Evangelio non credunt; nec ideò tamen eam vincunt, verùm seipsos fraudant magno & summo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt. Ita voluntas Dei semper invicta est; vinceretur autem, si non inveniret quid de contemptoribus faceret.

Q. 8°. *Voluntas salvandi omnes homines estne signi aut beneplaciti?*

R. Estius, Sylvius, & nonnulli veteres Thomistæ contendunt esse signi duntaxat; sed communis est Theologorum sententia post sanctum Thomam, esse voluntatem beneplaciti, non quidem consequentem, quia non omnes salvantur, sed antecedentem; ex qua Deus omnibus & singulis filiis Adæ, & peccato originali infectis præparat aut confert gratias verè sufficientes quibus saluti suæ consulere possint, ut fusè probamus tom. 2. cap. 7.

Q. 9°. *Voluntas Dei estne causa rerum?*

R. Est causa imperans, scientia causas dirigens,

& omnipotentia causas exequens ; quod explicatur exemplo artificis , cujus voluntas imperat domûs ædificationem , quam ars dirigit , & manus seu potentia motrix exequitur.

Q. 10°. *Estne etiam causa malorum* ?

R. Causat mala pœnæ , quia sunt justa & moraliter bona : *Ego Dominus* , inquit Isa. 45. *faciens pacem & creans malum.* Non causat mala culpæ , juxta illud Ps. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Et rationem affert S. Anselmus, lib. de liber. arbit. c. 8. quia justa voluntas hominis ea est quâ vult id quod Deus vult eam velle ; ac proinde injustitia non esset injustitia , si fieret secundùm Dei voluntatem.

Dices : Deus dicitur indurare corda : ergo.

Distinguo antecedens ; indurare negativè , subtrahendo gratiam , concedo : positivè , infundendo malitiam , nego antecedens.

Q. 11°. *Estne aliqua causa voluntatis divinæ* ?

R. Est causa volitorum , nam Deus unum facit propter aliud : nulla est causa ipsiusmet volitionis , quia ex dictis divina volitio est ipsamet divina essentia. Unde S. Augustinus , lib. de Genesi contra Manichæos , cap. 2. *Si habet causam voluntas Dei* , inquit , *est aliquid quod antecedat voluntatem Dei , quod nefas est credere .... Qui autem dicit , quare voluit facere cœlum & terram , majus aliquid quærit quàm est voluntas Dei ; nihil autem majus inveniri potest : compescat ergo se humana temeritas , & id quod non est non quærat , ne id quod est non inveniat.*

§. III. *De objecto & proprietatibus voluntatis divinæ.*

CErtum est bonum esse objectum voluntatis , sicut verum intellectus.

Objectum autem voluntatis duplex est , nempe materiale & formale. Objectum materiale voluntatis est res amata ; formale verò est motivum , seu ratio propter quam res illa amatur.

Sic pharmacum, v.g. est objectum materiale ægroti, sanitas verò formale ; quia sanitas est motivum

seu ratio propter quam pharmacum appetitur.

Q. 1°. *Quodnam est objectum materiale voluntatis divinæ ?*

R. Primarium est Deus ipse, quia est summum bonum; secundarium verò omnes creaturæ existentes in aliqua temporis differentia, juxta illud Sapientiæ 11. *Diligis ..... omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti.* Enim verò Deus diligit omne bonum; imperfectæ enim & deficientis voluntatis est non amare quod est bonum & amabile; atqui omnes creaturæ sunt bonæ, Gen. 1. *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* Deinde amare est bene velle, & benefacere; atqui Deus omnibus existentibus bene vult & benefacit, cùm illis tribuat esse: ergo Deus non amat res merè possibiles, quia illis nec bene vult, nec benefacit.

Q. 2°. *Quodnam est formale objectum divinæ voluntatis ?*

R. Est sola bonitas divina; propter eam seipsum diligit & cætera, juxta illud Proverb. 16. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus; Unde,* inquit sanctus Thomas, q. 19. art. 2. add. 2. *cùm Deus alia à se non velit nisi propter finem, qui est sua bonitas, non sequitur quòd aliquid aliud moveat voluntatem ejus, nisi bonitas sua.* Et qu. 20. art. 2. *Amor noster, quo aliquid bonum volumus, non est causa bonitatis ipsius, sed illam supponit; amor verò Dei est infundens & creans bonitatem in rebus.* Et S. Bernardus, lib. de Amore divino, c. 4. sic Deum alloquitur: *Non afficeris à nobis, vel ad nos, cùm nos amas: nos à te, & in te, & ad te afficimur, cùm amamus te.*

Q. 3°. *Deus amatne creaturas amore amicitiæ ?*

R. Ita amat rationales; ait enim Joan. 15. *Jam non dicam vos servos, sed amicos*: irrationales verò non ita amat, quia non vult illis bonum propter ipsas, sed in commodum & utilitatem rationalium.

Dices: Amat creaturas rationales propter semetipsum; ergo illas non amat amore amicitiæ, sed concupiscentiæ.

Nego consequentiam, quia Deus non in utilitatem suam diligit nos propter semetipsum, sed nos ad seipsum refert, tanquam ad summum nostrum bonum, & in hoc ipso nobis bene vult amore gratuito. Imò nos non diligeret amore veræ amicitiæ, si aliter nos amaret.

Q. 4°. *Amor Dei estne erga omnia æqualis?*

R. Ex parte voluntatis seu ratione ipsius volitionis, amor Dei est æqualis; quia ut sic unicus est & Deus ipse: ratione termini est inæqualis, quia cùm amare sit alicui bonum velle, illa profectò Deus plus amat quibus vult majora bona.

Q. 5°. *Deus amatne necessariò?*

R. Amat seipsum necessariò, quia est summum bonum; creaturas verò liberè, quia non sunt summum bonum.

Dices: velle in Deo & esse sunt unum & idem; atqui esse Dei est maximè necessarium; ergo & velle.

Distinguo majorem; sunt unum & idem entitativè, hoc est, sunt una & eadem entitas, concedo: sunt unum & idem connotativè & terminativè, nego majorem; nam velle ut sic, connotat aliquid intrinsecus volitum & productum aut producendum, quod Deus potuisset non velle producere.

Ergo Dei libertas est divini amoris modus tendendi in terminum extrinsecus connotatum, qui posset non poni: modus autem ille est quid Deo intrinsecum; connotatio verò ipsa prorsus extrinseca.

Instabis: vera libertas dicit indifferentiam; atqui in Deo nulla est indifferentia: ergo in Deo nulla libertas.

Distinguo majorem: dicit indifferentiam activam, concedo: passivam, quâ possit quis novum actum immanentem producere, & in se recipere, subdistinguo: libertas creata, concedo; Angelus quippe & homo in exercitio suæ libertatis producunt novum suæ volitionis actum, qui cùm sit immanens, in ipsis recipitur, & ita accidentaliter componuntur, ut diximus paragr. de Simplicitate Dei;

libertas increata dicit indifferentiam passivam, nego majorem; namque ex dictis Deus est suus actus, sua volitio, nec ullum actum novum producit aut recipit, cùm aliquid liberè decernit; ac proinde nulla fit in eo mutatio, sed in creaturis dumtaxat, quas de novo producit vel sanctificat.

Ergo voluntas Dei est immutabilis, juxta illud Proverb. 19. *Voluntas Domini permanet in æternum.*

Dices: frustrà ergo preces ad Deum dirigimus.

Nego sequelam, quia preces ad Deum non dirigimus sicut ad hominem. Hunc precamur ut trahamus voluntatem ejus ad nostram, ut velit quæ priùs nolebat, mutetque consilium, si quis adversùs nos statuerat. Deum autem oramus, ut voluntatem nostram ad suam, quæ recta est, & omnium bonorum origo, convertat; tumque nos plane exauditos credere oportet, cum evecta est voluntas nostra ad divinam, & sincero cordis affectu dicere possumus, *non mea, sed tua voluntas fiat.*

§. IV. *De Omnipotentiâ divinâ.*

Q. *Deus estne omnipotens?*

R. Affirmat Scriptura, *Unus est altissimus Creator omnipotens*, Eccli. 1. evincitque ratio, quia Deus est ens à se, ac proinde illimitatum, & continens omnes perfectiones; atqui omnipotentia est insignis perfectio, impotentia verò infirmitas & imperfectio: porrò facere male est deficere, ac proinde imperfectio, quæ in Deum cadere nequit. Cætera quæ ad omnipotentiam spectant, diximus parag. de Immensitate Dei.

Caput VII.

De Attributis divinis, quæ habitum sonant.

Q. 1°. *Suntne in Deo habitus?*

R. Minimè, quia habitus est accidens inclinans potentiam ad agendum; atqui in Deo

nullum eſt accidens, nulla eſt potentia paſſiva, ſed totus eſt actus puriſſimus: ergo in Deo nullus eſt habitus, ac proinde virtutes quæ in Deo ineſſe concipiuntur, ut charitas, magnificentia, &c. ſunt realiter ipſa ejus natura & bonitas eſſentialis.

Q. 2°. *Omnes virtutes ſuntne in Deo?*

R. Quæ ſunt ſubditi ad ſuperiorem, ut Religio, obedientia, nullatenus poſſunt convenire Deo. De cæteris verò idem dicendum quod de aliis perfectionibus, nempè virtutes quæ admixtam habent imperfectionem, ut temperantia, fortitudo, quæ totæ ſunt regendis paſſionibus, non ſunt formaliter in Deo, ſed eminenter dumtaxat, nec de eo dici poſſunt niſi metaphoricè: quæ autem nullam habent admixtam imperfectionem, ut charitas, beneficentia, magnificentia, ſunt formaliter in Deo, ac propriè de illo dicuntur.

Ergo diligere Deum, poſſidere Deum, & beatum eſſe, eſt diligere & poſſidere omnem virtutem; nec poteſt beatus eſſe qui omnia in ſe vitia non debellaverit, nec fuerit in omni genere virtutis perfectus: ergo obſervatio mandatorum ad viſionem beatificam non præparat.

Q. 3°. *Eſtne formaliter in Deo miſericordia?*

R. Non eſt quatenus dicit triſtitiam ob miſeriam alienam; eſt autem quatenus ſignificat voluntatem ſublevandi miſeriam alterius: unde Pſalm. 110. dicitur, *Miſerator & miſericors Dominus.*

Q. 4°. *Eſtne in Deo juſtitia?*

R. Non eſt propriè juſtitia, ſive legalis, ſive diſtributiva, multo minùs commutativa, quia omnis juſtitia propriè dicta ſupponit aliquod debitum; atqui in Deo nullum eſt debitum: *Reddis debita nulli debens*, inquit ſanctus Auguſtinus lib. 1. Confeſſ. cap. 4. Unde acceptio perſonarum in Deum cadere nequit, ſicut in Magiſtratum qui indebitè officia & onera communitatis diſtribuit; dona enim Dei non ſunt bona communitatis, ſicut officia & beneficia politica, ſed ſunt ipſi propria.

Dices, ex ſancto Auguſtino, lib. 4. contra Julianum, cap. 3. *Deus ipſe, quod abſit, erit injuſtus ſi ad ejus regnum verus non admittatur juſtus*, quia quod debetur ex pacto & conventione, debetur ex juſtitia ſtrictè ſumpta: atqui regnum cœlorum debetur juſtis ex pacto & conventione; ergo debetur ex vera juſtitia: unde Apoſtolus 2. Tim. c. 4. *In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex.*

Diſtinguo majorem: quod debetur ex pacto, debetur ex vera juſtitia, quando ambo contrahentes ita jus proprium habent & diſtinctum, ut alter jure ſuo cedat in commodum alterius, concedo: quando ambo non habent jus proprium, nec alter contrahentium jure quod habet ſpoliare ſe poteſt, nego majorem. Porrò omnes creaturæ cum Deo comparatæ, ſunt abſolutè & omnimodo ſub Dei dominio, quo Deus ſe ſpoliare non poteſt, alioquin deſineret eſſe omnium Dominus. Quidquid facimus, quidquid poſſumus, & quidquid ſumus, totum Dei eſt neceſſariò: ergo Deus nihil nobis debet, ſed ſuæ dumtaxat bonitati, ſapientiæ, & ubi aliquid nobis promiſit, non nobis debet, ſed ſuæ fidelitati, adversùs quam agere non poteſt, & eo ſenſu dicitur juſtus, quia fidem ſuam ſervat.

Caput VIII.

De Attributis divinis, quæ actionem ſignificant.

Ejuſmodi attributa ſunt providentia, prædeſtinatio, & reprobatio.

§ I. *De Providentia Dei.*

Q. 1°. *Quid eſt Providentia?*

R. Eſt ratio ordinis rerum creatarum in finem per media congrua.

Dupliciter autem ſpectari poteſt Providentia : 1°. in arte, ſeu mente divina, quo ſenſu definitur à Boëtio, lib. 4. de Conſolatione, divina ratio in ſummo Principe conſtituta, quæ cuncta diſponit : 2°. in executione, & eſt ipſummet Dei regimen, ſeu actualis rerum creatarum directio in finem. Ipſa rerum ordinandarum ratio eſt ab æterno, actualis verò gubernatio in tempore.

Q. 2°. *Daturne providentia ?*

R. Datur, teſte Scripturâ, Sap. 14. *Tua autem, Pater, providentia ab initio cuncta gubernat* ; & ratio demonſtrat, quia agens intellectuale, ut Deus, 1°. finem intendit, deinde omnia opera ſua ad eum dirigit : *Quis operator negligat operis ſui curam ?* inquit ſanctus Ambroſius, lib. 1. de Offic. cap. 12. *quis deſerat & deſtituat, quod ipſe condendum putavit ? ſi injuria eſt non regere, nonne eſt major injuria feciſſe, & non curare ; cùm aliquid non feciſſe nulla injuſtitia ſit, non curare quod feceris, ſumma inclementia.*

Q. 3°. *Providentia extenditurne ad omnes omnino creaturas ?*

R. Affirmat Scriptura, Sap. 6. *Magnum & puſillum ipſe fecit, & æqualiter eſt ipſi cura de omnibus.* Illud ipſum ratio evincit, quia nulla eſt creatura quam Deus non produxerit propter finem, ac proinde cui non provideat ; providentia quippe eſt ratio ordinis rerum in finem.

Dices 1°. Indecens eſt Deum minimis rebus ſe immiſcere : *Numquid de bobus cura eſt Deo ?* inquit Apoſtolus, 1. Cor. 9.

R. Reſpondet ſanctus Ambroſius citato libro : *Si non eſt injuria & probrum minutiſſimas quaſque res feciſſe & conſervare, multò minus opprobrium ipſi eſſet eas factas regere.* Imò repugnat ſapientiæ quidquam temerè facere & nullo ſibi fine præſtituto, vel opera ſua dirigere ad finem intentum. Apoſtolus autem vult ſolummodò Deum non providere bobus propter ipſos, ſed in hominum gratiam & commodum ;

nam Christus Dominus, Luc. 12. expressè docet nequidem passeres esse in oblivione coram Deo, & capillorum capitis numerum apud illum retineri.

Dices 2°. Si Deus res humanas gubernaret, tot peccata & defectus non contingerent, nec justi afflige-rentur cùm omnia impiis prosperè cedunt: ergo.

Nego antecedens; nam ex sancto Augustino, Enchir. c. 21. Deus, cùm summè bonus sit, nullo modo sineret malum aliquod esse in operibus, nisi usque adeò bonus & omnipotens esset, ut de malo etiam benè faceret; quot bona elicuit ex perfidia Judæ & crudelitate Judæorum.

Dices 3°. Multa fiunt casu; ergo non omnia subjacent providentiæ divinæ.

Distinguo antecedens: fiunt casu respectu causarum secundarum, concedo; respectu causæ primæ, nego antecedens. Hanc responsionem illustrat sanctus Thomas, exemplo duorum famulorum quorum iter dominus sic direxit ut alicubi sibi occurrant præter utriusque intentionem: occursus ille est casualis respectu famulorum, & intentus respectu domini.

Q. 4°. *Providentia divina causatne violentiam in rebus quas gerit?*

R. Minimè: dicitur enim Sap. 7. *Attingit à fine usque ad finem fortiter, &* DISPONIT OMNIA SUAVITER. Ratio autem est quòd Deus, utpote sapientissimus, quaslibet creaturas aptaverit operibus ad quæ illas destinavit; lapidi, v. g. dedit gravitatem, quâ inclinaretur ad centrum: quo fit ut Deus omnia suaviter disponat; suave quippe est unicuique sequi naturæ suæ propensionem: ergo omnes molestiæ & animi ægritudines inde nascuntur quòd contra divinam providentiam & ejus ordinationem nitamur.

Dices: miracula sunt contra naturam; ergo creaturæ violentiam inferunt.

Nego antecedens: miracula quippe sunt supra, non contra naturam; inest enim in qualibet creatura dispositio, quam potentiam obedientialem

vocant, per quam inclinatur ad obediendum ſuo auctori, etiam in iis quæ repugnant ſuo privato commodo: ſic manus naturaliter, & minimè violenter, periculo ſe exponit ad ſalvandum caput.

Q. 5°. *Providentia eſtne idem quod fatum?*

R. Fatum propriè & formaliter ſumptum non eſt providentia, ſed effectus providentiæ; definitur enim fatum, ordinatio cauſarum ſecundarum ad effectus à Deo præviſos. Deus quippe ordinat motus ſiderum, ut ſequatur temperies vel intemperies aëris, pluvia vel ſiccitas, ubertas vel ſterilitas terræ, ſanitas animalium vel peſtilentia.

Dixi, *propriè & formaliter ſumptum*; nam apud Gentiles fatum vulgò ſumebatur pro ea diſpoſitione ſiderum, quæ voluntatibus humanis neceſſitatem imponeret. Hinc apud eos fatalis neceſſitas per quam homo ſub talibus ſideribus natus, credebatur futurus neceſſariò bonus aut malus, beatus aut felix. Contra fatum hoc modo acceptum ſancti Patres ſcripſerunt, ut ſanctus Gregorius, Homil. 10. in Evangelia: *Abſit*, inquit, *à Fidelium cordibus, ut fatum eſſe aliquid dicant.*

Q. 6°. *Omnia ſubduxturne fato propriè & formaliter ſumpto?*

R. Minimè, quia multa fiunt & diriguntur à Deo independenter ab ordinatione cauſarum ſecundarum: *Ea quæ ſunt divinitati propinqua & ſtabiliter fixa*, inquit Boëtius, lib. 4. de Conſol. Phil. *fatalis ordinem mobilitatis excedunt.* Unde concludit ſanctus Thomas 1. p. q. 116. art. 4. homines, quò longiùs à Deo recedunt, eò majoribus fati nexibus implicari, quia magis ſubjiciuntur ordini cauſarum ſecundarum, & à pluribus dependent; quod videre eſt in avaro, nam pecunia, cui adhæret, pendet à fructibus agri quem colit; fructus autem à temperie aëris, & temperies aëris ab influxu ſiderum: hanc autem ſeriem juſtus ſuperat uni Deo adhærens.

Q. 7°. *Quotuplex eſt Providentia?*

R. Duplex, naturalis, & ſupernaturalis. Naturalis

est ordinatio causarum secundarum ad finem naturalem per media naturalia. Supernaturalis autem est ordinatio creaturæ rationalis sive spiritalis ad finem supernaturalem per auxilium gratiæ.

Q. 8°. *Providentia supernaturalis estne idem quod prædestinatio?*

R. Minimè, quia prædestinatio est decretum efficax perducendi hominem infallibiliter ad finem supernaturalem: providentia verò supernaturalis est ordinatio non efficax creaturæ rationalis ad finem supernaturalem per auxilia gratiæ sufficientia. Unde providentia supernaturalis se extendit ad reprobos, prædestinatio verò est solummodò electorum.

§. II. *De Prædestinatione.*

Q. 1°. *Quid est prædestinatio?*

R Secundùm vim nominis, est æterna quorumdam præ aliis destinatio ad gratiam & gloriam: destinatio autem idem est ac decretum efficax quosdam salvandi, seu, ut vult sanctus Thomas, transmittendi ad gloriam. Particula verò *præ* significat vel prælationem, vel antecessionem temporis; ita ut quidam potiùs quàm alii ante omnia secula fuerint ad gloriam prædestinati.

Definitur prædestinatio à sancto Augustino, lib. de Dono perseverantiæ, cap. 14. *præscientia & præparatio beneficiorum, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur.*

Dicitur 1°. *præscientia*, non quidem speculativa, quâ Deus præscit quod facturus non est, ut peccatum; sed practica, id est, conjuncta cum voluntate aliquos perducendi ad gloriam; à qua præscientia prædestinati dicuntur in Scripturis à Deo cogniti & prægnoti, scilicet amoris cognitione.

Dicitur 2°. *præparatio beneficiorum*, quibus vocibus significatur firmum dandi propositum; solemus enim habere apud nos parata & sepositа, quæ dilecto dare efficaciter decrevimus. *Inter gratiam porrò & prædestinationem hoc tantùm interest*, inquit sanctus

Auguſtinus, libro de Prædeſtinatione Sanctorum, cap. 10. *quòd prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio, gratia verò jam ipſa donatio.*

Dicitur 3°. *quibus certiſſimè liberantur*, ut denotentur auxilia efficacia, quibus adjuti non pereunt.

Dicitur 4°. *quicumque liberantur*, ut oſtendatur in hoc ſtatu neminem actu & de facto ſalvari, niſi certiſſimè, id eſt, niſi adjutum auxilio efficaci; quamvis enim verè poſſit quis potentiâ proximâ & completâ cum gratia ſufficiente ſaluti ſuæ conſulere, actu tamen non conſulet, niſi gratiâ efficaci adjuvetur.

Q. 2°. *Daturne prædeſtinatio?*

R. De fide eſt dari: Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* Rom. 8. *Quos præſcivit & prædeſtinavit conformes fidei imagini Filii ſui.*

Q. 3°. *Quotuplex eſt prædeſtinatio?*

R. Propriè una eſt; quia Deus unico decreto vult dare gloriam, & media ad illam infallibiliter obtinendam: *Vult quidem hoc eſſe propter hoc, ſed non propter hoc vult hoc*, inquit ſanctus Thomas, 1. p. qu. 14. art. 5. id eſt, dat gratias efficaces propter electorum beatitudinem, ſed non vult gratias efficaces propter illorum beatitudinem. Sic artifex uno actu decernit ſcalam conficere, nec vult unum gradum propter alium, ſed facit unum, v. g. primum propter ſecundum, & ſic deinceps. Uſus tamen obtinuit in ſcholis, ut divideretur prædeſtinatio in totalem & partialem.

Q. 4°. *Quid eſt prædeſtinatio totalis & partialis?*

R. Totalis eſt decretum Dei efficax dandi ſimul gloriam & gratiam; partialis verò eſt decretum efficax dandi vel gloriam vel gratiam.

Q. 5°. *Quotuplex eſt prædeſtinatio ad gratiam?*

R. Duplex; alia ad primam gratiam, ut vocatio ad fidem; alia ad ſecundam.

Q. 6°. *Quanam eſt cauſa prædeſtinationis?*

Quæſtio non eſt de cauſa phyſica, cùm certum

sit Deum esse auctorem gratiæ & gloriæ; sed de morali & meritoria.

R. Vera & unica causa meritoria prædestinationis totalis, vel partialis ad primam gratiam, est Christus Dominus. Est contra Pelagianos & Semipelagianos, qui, ne Deus videretur injustus personarum acceptor, docebant Deum ideò unum eligere præ alio, quia bonis operibus viribus naturæ elicitis, vel saltem orationibus, præferri meruerat. Contra ejusmodi errorem

Probatur responsio Ephes. 1. *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate: qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ.* Act. 4. *Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

Q. 7°. *Prædestinatio ad gloriam estne ex præviſis meritis, ita ut concipiatur Deus priùs decreviſſe gratias ad bene operandum, & intuitu bonorum operum inde consequentium prædestinaviſſe ad gloriam?*

R. 1°. Potuit esse; nam ab actu ad posse valet consequentia: atqui Angeli prædestinati sunt ad gloriam ex præviſis meritis, nam ex communi Theologorum sententia, post sanctum Augustinum, non sunt eis collatæ gratiæ per se efficaces, sed solùm sufficientes, quibus pro libero arbitrio uti & non uti possent; ac tum demùm quos Deus prævidit bene usuros, prædestinavit ad gloriam.

Dices: electio & præparatio mediorum præsupponit intentionem finis; atqui præparatio gratiarum est medium ad gloriam tanquam ad finem: ergo intentio gloriæ conferendæ priùs concipitur in Deo quàm præparatio gratiarum, & consequenter quàm prævisio bonorum operum.

Distinguo majorem: præsupponit intentionem vel efficacem & absolutam, vel conditionatam & hypotheticam, concedo; efficacem & absolutam,

ſubdiſtinguo : ſi eligantur media efficacia & infallibiliter cum fine conjuncta, concedo ; ſi eligantur ſufficientia dumtaxat, nego majorem. Reſponſio patet familiari exemplo. Paterfamilias omnes pauperes ſuæ viciniæ ſublevare intendit, ſed diverſimodè ; alios abſolutè, & nullâ conditione appoſitâ, iis diſtribuit quotquot ſufficiunt panes ; alios conditionatè, nempe ſi laborare voluerint in ſua vinea, aliàs nihil ipſis daturus. Porrò Deus omnium Angelorum ſalutem conditionatè tantùm voluit, modo ſcilicèt uterentur auxiliis ſufficientibus ad ſalutem promerendam, quorum efficacia penderet ex eorum voluntate à Deo præparata : cùm autem in hocce ſtatu electis conferat beneficia, quibus certiſſimè liberentur, meritò colligunt S. Auguſtinus & S. Thomas, prædeſtinationem ad gloriam non eſſe ex præviſis meritis. Quare

R. 2°. Prædeſtinatio ad gloriam eſt omninò gratuita, & ante præviſa merita.

Probatur è Scriptura, Matth. 24. v. 22. de electis ſic habetur : *Niſi breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro ; ſed propter electos breviabuntur.* Et v. 24. de pſeudo-chriſtis, *Dabunt ſigna magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi.* Joan. 10. de iiſdem electis dicitur, *Non peribunt in æternum.* Item, *Nemo poteſt rapere de manu Patris mei.* Rom. 8. v. 36. *Quos prædeſtinavit, hos & vocavit ; & quos vocavit, hos & juſtificavit ; quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.* In quibus textibus electio ſeu prædeſtinatio ad gloriam eſt cauſa cur Deus electos efficaciter vocet, invigiletque ut in gratia accepta invincibiliter perſeverent. Et ita laudatum Apoſtoli textum interpretatur ſanctus Auguſtinus, libro de Prædeſtinatione Sanctorum, cap. 17. *Electi ſunt itaque ante mundi conſtitutionem,* inquit, *eâ prædeſtinatione quâ Deus ſua facta præſcivit ; electi è mundo eâ vocatione quâ Deus id quod prædeſtinavit, implevit. Quos enim prædeſtinavit, ipſos & vocavit, illâ ſcilicet prædeſtinatione ſecundùm*

propoſitum, non alios; ſed quos prædeſtinavit, ipſos & vocavit, non alios; ſed quos ita vocavit, ipſos & juſtificavit, nec alios; ſed quos prædeſtinavit, vocavit, juſtificavit, ipſos & glorificavit.

Hìc perſpicuè diſtinguit S. Doctor inter prædeſtinatos ad gratiam & prædeſtinatos ad gloriam. Illi quippe, quamvis efficaciter vocati & juſtificati, non perſeverant nec coronantur, quia nec vocati nec juſtificati ſunt ſecundùm propoſitum abſolutum conferendæ gloriæ: hi verò ſecundùm idem propoſitum vocati & juſtificati certiſſimè gloriam conſequuntur. Mentem ſuam non minùs clarè exponit libro de correptione & gratiâ, cap. 9. ubi ſic habet: *Nec nos moveat quòd filiis ſuis quibuſdam Deus non dat iſtam perſeverantiam; abſit enim ut ita eſſet, ſi de illis prædeſtinatis eſſent, & ſecundùm propoſitum vocatis, qui verò ſunt filii promiſſionis.* Et nonnullis interjectis ſic pergit de prædeſtinatis ſecundùm propoſitum: *Hi ergo Chriſto intelliguntur dari, qui ordinati ſunt in vitam æternam. Ipſi ſunt illi prædeſtinati, & ſecundùm propoſitum vocati, quorum nullus perit. Ac per hoc nullus eorum ex bono in malum mutatus finit hanc vitam, quoniam ſic eſt ordinatus, & ideò Chriſto datus, ut non pereat ..... propter hoc Apoſtolus, cùm dixiſſet,* ſcimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, *ſciens nonnullos diligere Deum, & in eo bono uſque in finem non permanere, mox addidit,* his qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt .... *oſtendens autem quid ſit ſecundùm propoſitum vocare, mox addit ea quæ jam ſuprà poſui,* quoniam quos ante præſcivit & prædeſtinavit, illos & vocavit, *ſcilicèt ſecundùm propoſitum. Talibus Deus diligentibus eum omnia cooperatur in bonum, ut etiam ſi qui eorum deviant & exorditant, hoc ipſum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt & doctiores.* Iſte ſancti Auguſtini diſcurſus ex Apoſtoli textu, funditùs evertit dogma prædeſtinationis ex prævisis meritis, cùm ex ea aſſerat gratuitum perſeverantiæ donum.

Numquid enim justus, qui à justitia sua per peccatum excidit, meretur perseverantiæ donum, cùm peccato ejus debeatur pœna æterna? accipiet tamen illud donum, si prædestinatus sit, imo illud ipsum peccatum quod in altero est causa damnationis, ipsi cooperatur in bonum. Porrò quanti ponderis sit auctoritas sancti Augustini in materia de gratia & prædestinatione, discimus ex sancto Hormisda, qui sexto seculo regebat Ecclesiam; sic enim scribit ad Possessorem: *De arbitrio tamen libero & gratiâ Dei, quid Romana, hoc est Catholica, sequatur & asseveret Ecclesia, licèt in variis libris beati Augustini, & maximè ad Hilarium & Prosperum possit cognosci*, &c. Et Petavius, inter Theologos Societatis Jesu doctissimus, lib. 9. cap. 6. Theolog. dogm. sic habet de doctrina sancti Augustini, *Cujus de gratia sententiam quotquot deinceps consecuti sunt Patres & Doctores, tum verò Ecclesia Romana Præsules, Præsulumque conventus aliorum, ratam & Catholicam esse judicarunt, ut hoc satis magnum putarent veritatis argumentum, quod ab Augustino positum ac decretum esse constaret.*

Sanctus Thomas concinit sancto Augustino 1. p. q. 23. art. 5. add. 3. ubi sic habet: *quare hos elegit ad gloriam & illos reprobavit, non habet rationem, nisi divinam voluntatem.*

Dices 1°. Beatitudo est merces, Matth. 25. reperditur bonis operibus, *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi; esurivi enim, & dedistis mihi manducare*; atqui merces supponit meritum: ergo.

Distinguo majorem: est merces in executione & retributione, concedo; in intentione, nego majorem. Solutio explicatur exemplo divitis, qui necessaria subsidia pauperibus largiri statuit; sed ne eorum inertiam foveat, injungit operas sibi satis inutiles, putà reparationem cujusdam viæ publicæ, cum pacto retribuendi juxta cujusque laborem. Vides in proposito subveniendi pauperibus prædesti-

nationem gratuitam in intentione; nam consilium divitis est actus meræ misericordiæ, ut patet: in retributione verò pro labore susceptо mercedem quam Deus reddit bonis justorum operibus.

Instabis: quod debet obtineri per meritum, & propter ipsum retribui, non potest absolutè decerni: ergo.

Nego antecedens; namque licèt finis non obtineatur nisi per media, decernitur tamen ante media, utpote qui sit mediorum causa.

Dices 2°. Decretum efficax dandæ gloriæ tollit libertatem: ergo.

Negari potest antecedens; namque prædestinatio ad gloriam non magis nocet libertati quàm prædestinatio ad gratiam efficacem; atqui ex adversariis datur prædestinatio ad gratiam efficacem sine præjudicio libertatis: ergo. Sed

Distinguo antecedens; decretum efficax dandæ gloriæ tollit libertatem, si gloria danda sit per media quæ necessitatem inferant, concedo: si gloria danda sit per media cum libertate cohærentia, nego antecedens. Porrò gratia efficax per quam electi gloriam promerentur, libertatem perficit, nedum illam perimat.

Dices 3°. Sanctus Ambrosius, lib. 5. de Fide, & sanctus Augustinus, lib. 1. ad Simplicianum, disertè docent electionem ad gloriam esse ex præviſis meritis; prior enim sic scribit: *non antè prædestinavit quam præscierit; sed quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit.* Posterior verò, *quomodo est justa, aut qualiscumque omninò electio, ubi omnino nulla distantia est? .... Non electio præcedit justificationem, sed electionem justificatio; nemo enim eligitur nisi distans ab illo qui rejicitur*: ergo.

Distinguo antecedens: electio ad gloriam supponit justificationem & merita; in executione, concedo; in intentione, nego antecedens. Duplex itaque est electio: prima præcedit merita, & est ipsa prædestinatio; secunda subsequitur merita, &

præeſt in retribut ione præmiorum & pœnarum. De prima intelligitur illud Apoſtoli, Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo* (Chriſto) *ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati.* Elegit, inquit, non quia ſancti & immaculati eramus; ſed malos & filios iræ elegit, ut ſancti eſſemus. De ſecunda autem loquitur Chriſtus, Matth. 25. v. 32. *Separabit eos ab invicem* (nempe bonos & malos) *ſicut Paſtor ſegregat oves ab hædis.* Illos aſſumet in gloriam, hos ejiciet in ignem æternum. Porrò illa electio & ſeparatio ſupponit præſcientiam meritorum & demeritorum, eſſetque injuſta, ſi nulla eſſet diſtantia inter electos & rejectos.

Q. 8°. *Quinam ſunt effectus prædeſtinationis?*

R. Omnia & ſola beneficia, quæ per merita Chriſti efficaciter, ſive directè, ſive indirectè, ſive meritoriè, ſive diſpoſitivè, conducunt (Deo ita ordinante) ad vitam æternam. Colligitur hæc reſponſio ex ipſa prædeſtinationis definitione, quæ eſt præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur.

Ergo non ſunt effectus prædeſtinationis, 1°. Incarnatio, & inſtitutio Sacramentorum; quia ejuſmodi myſteria ſunt in gratiam etiam reproborum, quos certiſſimè non liberant. 2°. Creatio; quia Chriſtus non meruit ut homines naſceremur, ſed ut jam nati fiiii Dei renaſceremur. 3°. Peccati permiſſio; quia illa non eſt gratia, ſed denegatio gratiæ efficacis, quam denegationem à nobis deprecamur, cùm dicimus, *& ne nos inducas in tentationem.* Nec obſtat illud ſancti Auguſtini, lib. 14. de Civitate Dei, cap. 13. *Audeo dicere ſuperbis eſſe utile cadere in aliquod apertum manifeſtumque peccatum, unde ſibi diſpliceant*; non enim ipſa permiſſio, ſed bona quæ Deus ex malis noſtris novit elicere, ad ſalutem noſtram proficiunt.

Ergo effectus prædeſtinationis ſunt vocatio, juſtificatio, perſeverantiæ donum, bona etiam naturalia, ſi à Deo ad ſalutem efficaciter ordinentur,

ut nasci ex parentibus piis, persecutiones pati, vel ab iis liberari, cùm obesse possent; omnia enim Deum diligentibus secundùm propositum vocatis & prædestinatis cooperantur in bonum.

Q. 9°. *Potestne quis esse certus de sua prædestinatione?*

R. Non potest esse omninò certus sine speciali Dei revelatione; ita enim definiit Conc. Trid. sess. 6. can. 15. & can. 16. *Nescit homo*, ait Sapiens, Eccles. 9. *utrùm amore vel odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta.*

Potest tamen quis morali quâdam certitudine id conjicere ex bonitate & misericordia Dei, quam in multis expertus est. De hac certitudine intelligendus est Apostolus, Rom. 8. *Certus sum .... quia neque mors, neque vita .... neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei.* Item, *ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii Dei.*

Q. 10°. *Numerus prædestinatorum estne major numero reproborum?*

Quæstio non est de omnibus hominibus infidelibus & fidelibus, sed solùm de fidelibus reprobis. De quibus

R. Longè plures sunt fideles reprobi, quàm prædestinati; quia plures sunt hædi in grege Christi Domini qui non audiunt vocem ejus nec sequuntur. Hinc Matth. 3. Ecclesia comparatur areæ, in qua plus est paleæ quàm tritici: *Permundabit* (Christus) *aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Sanctus Augustinus, libro 3. contra Cresconium, cap. 16. de mystico tritico in horreum cœleste congregando, sic habet: *Boni verique Christiani qui per se ipsos multi sunt, in comparatione malorum falsorumque iidem pauci sunt.* Et S. Gregorius, Homiliâ 19. in Evangelia: *Multi*, inquit, *ad fidem perveniunt, & ad cœleste regnum pauci perducuntur.*

Q. 11°. *Quid est liber vitæ?*

R. Est divina notitia prædestinatorum, sive ad gloriam

gloriam ſive ad gratiam. Quare duplex eſt liber vitæ; alius ſimpliciter dictus, eſtque divina notitia ſalvandorum; alius ſecundùm quid, qui eſt divina notitia eorum qui gratiam conſecuturi ſunt, ſed non in ea permanſuri. De hoc libro multi delentur, de priori autem nullus.

§. III. *De Reprobatione.*

Q. 1°. *Quid ſignificat reprobationis nomen?*

R. Reprobatio, ſecundùm vim nominis, eſt rejectio: *Reprobatio*, inquit Apoſtolus, Heb. 7. . . . . *fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus.* Ex uſu autem Chriſtianorum intelligitur rejectio à gloria cœleſti.

Q. 2°. *Daturne reprobatio ſic ſumpta?*

R. Certum eſt dari; Matth. enim 25. v. 41. ait Chriſtus: *Diſcedite à me, maledicti, in ignem æternum.*

Q. 3°. *Quomodo dividitur reprobatio?*

R. In poſitivam & negativam.

Q. 4°. *Quid eſt reprobatio poſitiva?*

R. Definitur, æternum & efficax Dei decretum privandi aliquos gratiâ finali & gloriâ cœleſti, illoſque addicendi pœnis æternis.

Dicitur, *gratiâ finali & gloriâ*, quia nullus poſitivè reprobatur, niſi propter peccatum finale & cum morte conjunctum, in quo intelligitur excluſio à gratia finali, quæ in hoc ſtatu eſt ſemper donum efficax. David v. g. permiſſus eſt labi in adulterium, S. Petrus in negationem, & S. Thomas in incredulitatem, nec propterea reprobati ſunt, quia excluſi non fuere à gratia finali, nec proinde à gloria.

Additur in definitione, *illoſque addicendi pœnis æternis*; quia in die Judicii generalis non dabitur medius locus inter beatitudinem ſupernaturalem & pœnam æternam; in hypotheſi etiam quòd parvuli qui ſine baptiſmo exeunt, igne non crucientur; pœnam enim æternam ſubeunt, ut ſuo loco dicetur.

Q. 5°. *Quid eſt reprobatio negativa?*

R. Definitur efficax Dei decretum non præparandi

quibusdam beneficia, quibus certissimè liberentur; quia reprobatio negativa contrariè opponitur prædestinationi; contrariorum autem contrariæ sunt rationes: cùm ergo prædestinatio in hoc statu fit decretum præparandi ejusmodi beneficia, reprobatio negativa in hoc statu intelligi debet decretum eadem non præparandi.

Dices: reprobatio negativa est exclusio à gloria; atqui decretum non præparandi ejusmodi beneficia, non est exclusio à gloria, cùm illam consequi possint ii quibus non præparatur: ergo.

Distinguo majorem; est exclusio voluntatis efficacis dandi gloriam, concedo: est exclusio voluntatis antecedentis & conditionatæ, nego majorem: Deus enim hâc voluntate vult omnes & singulos homines salvos fieri, & hâc voluntate ipsis præparat media quibus salutem consequi possint.

Q. 6°. *Quænam est causa reprobationis positivæ?*

Zuinglius & Calvinus non aliam statuunt præter voluntatem Dei, qui ex Angelis & hominibus alios antecedenter prædestinavit ad pœnas æternas, alios ad felicitatem æternam; docentque Deum vi illius decreti, & ex potestate quâ dominatur creatis voluntatibus, reprobos ad mala opera, & electos ad bona efficaciter movere, adeò ut traditio Judæ non minùs sit opus Dei quàm confessio sancti Petri. Quam doctrinam ipsimet Calvini sectatores exhorruerunt, & Concilium Arausicanum, can. 25. Tridentinum quoque, sess. 6. can. 6. & 17. anathemate percusserunt. Quare ad propositam quæstionem.

R. Peccatum est causa, non verò effectus reprobationis positivæ.

Probatur è Scriptura, Oseæ cap. 13. v. 9. *Perditio tua, Israël* (ex te) *tantummodò in me auxilium tuum.* Sapientiæ 11. *Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti.* Psalmo 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Jacobi 1. *Nemo, cùm tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur.*

Dices: Deus in Scripturis dicitur excæcare, dare

in reprobum ſenſum, Rom. 1. Facere vaſa alia in contumeliam, alia in honorem, Rom. 9. Execrandum inceſtum Abſalonis vocat opus ſuum, 2. Reg. c. 12. Satanæ præcipit, ut ſit ſpiritus mendax in ore pſeudo-Prophetarum ad decipiendum Achab, 3. Reg. c. 22. S. Petrus injuſtam & crudelem Chriſti mortem æterno Dei decreto tribuit, *Hunc*, inquit: *definito conſilio & præſcientiâ Dei traditum .... interemiſtis*, Act. 2. Ergo Deus movet ad malum æquè ac ad bonum.

Nego conſequentiam; namque 1°. excæcat, & in reprobum ſenſum tradit, non infundendo malitiam, ſed ſubtrahendo gratiam. 2°. Inducit in tentationem & peccatum, non quòd ad illud moveat, ſed quòd malas voluntates ſibi ipſis dimittat, iiſque utatur ſive ad puniendos malos, ſive ad exercendos bonos; atque eo ſenſu inceſtus Abſalonis dicitur opus ejus, maledictio Semei ab eo præcepta ad puniendum Davidem; mors Chriſto illata ſecundùm ejus conſilium & decretum: ſic venator dicitur immittere canem, cùm illum ſolvit. 3°. Ex eadem maſſâ, ſed peccato originali infectâ, vaſa facit, alia in honorem, quòd miſericordiæ eſt; alia in contumeliam, quatenus à corruptione non liberat, quod juſtitiæ eſt.

Inſtabis: Deus convertit corda Ægyptiorum, *ut odirent populum ejus, & dolos facerent in ſervos ejus*, Pſal. 104. ergo reverà Deus incitat ad malum.

Diſtinguo antecedens: convertit indirectè & occaſionaliter, quatenus Iſraëlitas cumulavit beneficiis, quæ odium & invidiam Ægyptiorum provocarunt, concedo: directè, nego antecedens. Iſta habentur fuſiùs explicata tom. 1. cap. 20.

Q. 7°. *Quanam eſt cauſa reprobationis negativæ in hoc ſtatu?*

R. Peccatum originale, quia ex dictis reprobatio negativa in hoc ſtatu eſt decretum denegandi quibuſdam beneficia, quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur; atqui peccatum originale eſt

causa hujusmodi decreti: *Hæc massa*, inquit Augustinus, epist. 186. aliàs 106. num. 18. *si esset ita media ut quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur non frustra videretur iniquitas, ut ex ea fierent vasa in contumeliam.* Et S. Thomas, q. 3. de veritate, art. 2. ad 9. *In ipsa electione*, inquit, *ratio est divina bonitas; ratio autem reprobationis peccatum originale, ut Augustinus dicit.*

Dices: peccatum originale in multis reprobis in baptismo fuit remissum: ergo in iis saltem non est causa reprobationis negativæ.

Distinguo antecedens: fuit remissum quoad culpam, concedo; quoad pœnalitates, nego antecedens: in baptisatis enim remanent ignorantia & concupiscentia, quæ difficultatem pariunt resistendi malo & operandi bonum, adeo ut nec malo actu resistat, nec bonum actu operetur homo, nisi gratia efficax succurrat.

Instabis: Deus vult omnes & singulos homines etiam peccato originali infectos, salvos fieri; atqui generalis illa Dei voluntas non potest stare cum decreto excludendi aliquos à gloria præcisè propter peccatum originale: ergo.

Distinguo minorem: si illud decretum excludat voluntatem antecedentem præparandi auxilia sufficientia, quibus improbi saluti suæ consulere verè possint, concedo: si non excludat, ut suprà diximus ubi de voluntate Dei, nego minorem.

Q. 8°. *Quinam sunt effectus reprobationis?*

R. Sunt exclusio à gloria, pœnæ æternæ inflictio, derelictio in peccatis usque ad mortem, & permissio peccati, non cujuscumque, (cùm permissio adulterii in Davide, & infidelitatis in sancto Thoma, non fuerit effectus reprobationis) sed peccati causati damnationis æternæ.

Quodnam autem sit illud peccatum, diximus tom. 1. cap. 20.

Q. 9°. *Peccatum ipsum estne effectus reprobationis?*

R. Minimè, quia effectus reprobationis debet esse

à Deo, ſicut & ipſa reprobatio; atqui peccatum non eſt à Deo, ſed à mala voluntate: ergo.

Hactenus de Attributis abſolutis: de relativis verò diſſeremus Tractatu ſequenti.

TRACTATUS DE MYSTERIO SMÆ TRINITATIS.

CAPUT I.

De notione hujus Myſterii.

Q. 1°. *Quare ſanctiſſima Trinitas dicitur Myſterium?*

R. Quia ratione naturali demonſtrari non poteſt, ſed ſolâ Dei revelatione nobis innoteſcit: *Nemo novit Filium niſi Pater*, ait Chriſtus, Matth. 11. *neque Patrem quis novit niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Et ratio eſt, quam urget S. Thomas; quia omnis demonſtratio vel eſt à priori, ſeu per cauſas; vel à poſteriori ſeu per effectus: atqui Trinitatis exiſtentia probari non poteſt à priori, cùm Deus nullam ſui cauſa agnoſcat; neque etiam à poſteriori, quia creaturæ non dependent à Deo quatenus trinus eſt, ſed quatenus omnipotens; omnipotentia autem eſt attributum ad naturam divinam pertinens, nec minimam diſtinctionis inter perſonas ſuſpicionem ingerit: ergo.

Dices: ratione naturali cognoſcimus Deum intelligere & velle; atqui intelligere eſt producere verbum mentis; & velle eſt ſpirare amorem: ergo ratione naturali cognoſcimus verbum & amorem

esse apud Deum, ac proindè in Deo esse tres personas divinas, unam producentem, & duas productas; quidquid enim est in Deo, infinitum est, immensum, æternum, &c.

Distinguo minorem: intelligere est producere verbum, & velle est spirare amorem, in creatis, concedo; in divinis, nego minorem: namque lumine naturali in præcedenti Tractatu demonstravimus in Deo, esse, diligere, & velle, esse unum & idem: Deum non componi ex potentia & actu, ex substantia & accidente, quemadmodum Angelus intelligens componitur ex natura angelica, & actuali intellectione; sed esse actum purissimum & simplicissimum. Unde ratio naturalis sibi derelicta, ut in Philosophis Ethnicis, pernegaret Deum intelligendo & amando producere verbum mentis, & amoris pondus, ac proinde trinitatem personarum in una singulari natura repugnare. Utrùm autem Mysterium Trinitatis lumini naturali reverà repugnet, suo loco examinabimus.

Confirmatur: Filius & Spiritus sanctus æquè ac Pater intelligunt, & tamen nullum verbum producunt: Spiritus sanctus vult & amat nullo volitionis producto termino.

Instabis: Plato, Zoroastres, Trismegistus, & Sybillæ mysterium Trinitatis agnovere, & sancti Patres eorum scriptis Paganos revincunt.

R. 1°. Plato creditur ex sacris Judæorum libris multa desumpsisse, sed malè intellecta; nam tres personas proponit tanquam tres Deos, quorum unus sit major, secundus minor, & tertius infimus. 2°. Quæ ex Zoroastre, Trismegisto & Sybillinis proferuntur, sunt supposititia, & post Christum conficta. Sed esto, genuina fuerint Sybillina carmina ab antiquis Patribus laudata, fœtus luminis naturalis dici nequeunt, sed habenda ut revelationes, quemadmodum dicta ab Ariolo Balaam, Num. 23.

Q. 2°. *Quomodo definitur mysterium sanctissimæ Trinitatis?*

R. Definitur, unus Deus in tribus perſonis ſubſiſtens.

Dicitur 1°. *unus Deus*, ſcilicet unitate numericâ & ſingulari, non verò unitate ſpecificâ, quæ per differentias ſingulares dividatur & multiplicetur, ut natura humana in Petro, Paulo, & Andrea, qui idcircò ſunt reverà tres homines. Undè tres perſonæ divinæ non ſunt tria individua, in quibus natura divina una ſolùm ſpecificè multiplicetur, ut definiebant ſexto ſeculo Tritheïtæ, ſic dicti, quia in eorum ſententia, in tribus perſonis multiplicatur natura divina, ſicut natura humana in tribus hominibus. In eumdem errorem hac noſtra ætate impegit privatus quidam, ex ignorantia potiùs quàm ex contumacia.

Dicitur 2°. *in tribus perſonis*, contra Noetum & Sabellium, qui in tertio ſeculo docuerunt Patrem & Filium & Spiritum ſanctum eſſe tria nomina unius & ejuſdem perſonæ, quæ quatenus creat, vocatur Pater; quatenus homines doctrinâ imbuit, nominatur Filius; & quatenus ſanctificat, dicitur Spiritus ſanctus.

Dices: omnipotentia, juſtitia & miſericordia ſolâ ratione diſtinguuntur propter diverſos effectus: ergo à pari Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus.

Nego conſequentiam; & ratio diſparitatis eſt quòd omnipotentia, juſtitia & miſericordia relativè non opponantur, nec ſe habeant ad invicem tanquam producens & productum, ſicut paternitas & filiatio: repugnat autem productum non diſtingui realiter à producente.

Dicitur 3°. *ſubſiſtens*, contra Abbatem Joachimum, qui duodecimo ſeculo finxit Patrem, Filium & Spiritum ſanctum habere naturas partiales, ex quibus una tota coaleſcat, adeò ut Pater, aut Filius, aut Spiritus ſanctus ſeorſim non ſit Deus, nec proinde perſona, cùm nomen perſonæ ſignificet ſubſtantiam completam & in ſe totam, ut patebit ex ſequenti definitione.

Q. 3°. *Quid est persona?*

R. Definitur, substantia singularis, intelligens, tota in se, & incommunicabilis alteri.

Dicitur 1°. *substantia*, id est, ens per se subsistens: ergo accidens, quod est ens alteri inhærens, non potest esse persona.

Dicitur 2°. *singularis*; quia substantia universalis, v.g. animal in genere non existit nisi in singularibus: persona autem per se existit, & est incommunicabilis alteri.

Dicitur 3°. *intelligens*, quia substantia intellectu carens, v. g. lapis, equus, non vocatur persona, sed suppositum; nomen enim personæ aliquam dignitatem exprimit, quæ non competit creaturis ratione destitutis. Absque tamen injuria, persona nonnunquam vocatur suppositum.

Dicitur 4°. *tota*, ut excludantur substantiæ partiales, v.g. anima, quibus non convenit ratio personæ.

Dicitur 5°. *in se*; nam si sit in alio, à quo ulteriùs perficiatur, quemadmodum natura humana in Christo, persona non est. Hinc Verbum assumpsit naturam humanam totam, non verò personam humanam; quia natura humana in Christo non est in se ultimò terminata, sed est unita Verbo, à quo mirum in modum perficitur.

Dicitur 6°. *incommunicabilis alteri*; quia personalitas est ultimus terminus substantiæ completæ, quæ est tota in se, & incommunicabilis alteri.

Ergo persona est nomen concretum substantiale, significans subjectum & formam. Natura completa est subjectum aut velut subjectum: forma est ipsa personalitas seu subsistentia, quæ à Græcis dicitur hypostasis. Licet itaque dicere trés esse in Deo sive hypostases, sive personas; ita enim definitum est in Concilio Alexandrino, sub S. Athanasio, anno 363. ubi sopita est gravis controversia, quæ erat solùm de nomine Græcos inter & Latinos; cùm enim plures è Latinis non intelligerent vim nominis, contendebant unam tantùm dicendam hypostasim,

quia apud eos hypoſtaſis idem erat ac ſubſtantia.

Dices: ſi hypoſtaſis ſeu perſonalitas eſt ultimum complementum naturæ, quo redditur incommunicabilis, ſequitur in Deo non poſſe eſſe tres perſonas, ſed unam dumtaxat; quia natura divina in Patre habet hypoſtaſim ſeu perſonalitatem: ergo non poteſt ulteriùs communicari Filio & Spiritui ſancto.

Nego antecedens, cujus confirmationis diſtinguo conſequens: ergo natura divina non poteſt ulteriùs communicari Filio & Spiritui ſancto cum paternitate ſeu cum ſubſiſtentia Patris, concedo, ut ſic enim eſt incommunicabilis: non poteſt communicari ſine paternitate ſeu ſine ſubſiſtentia Patris, nego conſequentiam: natura enim divina ſecundùm ſe præcisè ſpectata non eſt perſona, & tribus perſonis poteſt eſſe communis.

Inſtabis: ad multiplicitatem concreti non ſufficit multiplicitas formæ; ſed inſuper requiritur multiplicitas ſubjecti; ponantur, v. g. duæ albedines in uno pariete, unum album facient, non duos: ergo cùm in Trinitate ſit una natura, erit quoque una perſona, etiamſi ſint tres perſonalitates ſeu hypoſtaſes.

Diſtinguo antecedens: concreti accidentalis, concedo; ſubſtantialis, nego antecedens: nam ad multiplicitatem concreti ſubſtantialis ſufficit multiplicitas formæ, ut videre eſt in fœtibus monſtroſis, in quibus ſi ſint duæ animæ rationales, cenſentur duo homines in uno & eodem corpore; & unus homo, ſi una anima rationalis informet duo corpora. Et ratio eſt, quia forma ſubſtantialis conſtituit rem in ſuo eſſe; forma verò accidentalis, ut albedo, gratia ſanctificans, ſupponit rem jam conſtitutam, & ei additur ſicut veſtis corpori, quæ quantumcùmque multiplicetur, erit nihilominùs unum veſtitum. Porrò tres perſonalitates ſeu ſubſiſtentiæ in Deo ſunt tres formæ ſubſtantiales, quæ conſtituunt totidem perſonas, non verò tres Deos aut tria individua; quia in tribus illis perſonis una eſt divinitas, quæ tanquam forma ſubſtantialis Deum conſtituit,

Q. 4°. *Estne aliquis ordo inter divinas personas, propter quem Pater debeat primo loco nominari, Filius secundo, Spiritus sanctus tertio?*

R. Est ordo originis, non temporis, aut dignitatis propriæ dictæ.

Est ordo originis, qui in eo consistit ut una persona respectu alterius habet rationem principii, atque adeò priùs attendatur; atqui ita se habent divinæ personæ, namque Pater est ingenitus, & à nullo procedens, & est principium Filii & Spiritûs sancti; Filius verò est à Patre, & unà cum ipso est principium Spiritûs sancti; ergo ordine originis Pater est prior Filio, hoc est, priùs attenditur, Filius verò Spiritu sancto.

Non est ordo temporis, quia Deus ab æterno est intelligens & volens, imò est ipsamet actualis intellectio & volitio: ergo Filius & Spiritus sanctus, qui sunt termini, ille divinæ intellectionis, iste divinæ volitionis, necessariò sunt ab æterno. Præterea Deus est subsistantia in se subsistens & ultimò completa in tribus subsistentiis; atqui tres illæ subsistentiæ sunt tres proprietates personales, nempe paternitas, filiatio, & spiratio passiva: ergo tres illæ subsistentiæ æquè necessariò sunt ab æterno ac ipse Deus.

Neque etiam est ordo dignitatis, quia tres personæ sunt consubstantiales & ejusdem naturæ, ac proinde omnino æquales, licèt paternitas nomine tenùs sonet aliquam dignitatem.

Accuratiorem notionem tum mysterii sanctissimæ Trinitatis, tum personæ generatim sumptæ præmittere oportuit, ut Lector intelligat quæ & quo ordine nobis tractanda sint in materia adeò remota à sensibus & à naturali hominum intelligentia. Primo loco occurrunt processiones, quibus totum nititur Trinitatis mysterium, cùm ex iis pendeat personarum pluralitas; si enim nulla sit in divinis processio, nullus erit Pater, nullus Filius, nullus Spiritus sanctus. Ex processionibus autem exurgunt

relationes seu respectus producentis ad productum, de quibus secundo loco nobis erit agendum : constitutis verò personis per relationes, expendendum erit, quod caput est, an personæ sint consubstantiales & æquales; quæ sint propria cujusque personæ attributa, ac tandem utrùm mysterium adeo incomprehensibile repugnet lumini naturali, destruat ratiocinii humani principia, sitque ab omnibus explicitè credendum.

Caput II.

De divinis Processionibus.

Q. 1°. *Quid est divina processio ?*

R. Est emanatio unius personæ ab alia.

Q. 2°. *Dariurne in Deo processiones ?*

R. De fide est dari; probaturque ex Scriptura, Psal. 2. *Ego hodie genui te* : Joan. 8. *Ego* (ait Christus) *ex Deo processi* : Joan. 15. *Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.*

Q. 3°. *Quot sunt in Deo processiones ?*

R. Duæ, nec plures, nec pauciores esse possunt, quia in agente intellectuali non possunt esse nisi duæ operationes immanentes, scilicet intellectio & volitio, quibus respondent duo termini, nempe Verbum & Amor; atqui Deus est agens intellectuale : ergo.

Ergo tres sunt in Deo personæ, nec plures nec pauciores; altera improducta & producens, nimirùm Pater; & duæ productæ, scilicet Filius, terminus & Verbum intellectionis paternæ; & Spiritus sanctus, Amor & terminus volitionis Patris & Filii.

Dices : Sicut Pater intelligit & amat, ita Filius & Spiritus sanctus : ergo Filius & Spiritus sanctus æquè producunt Verbum ac Pater, & Spiritus sanctus amorem æquè ac Pater & Filius; ac proinde plures sunt in Deo personæ quàm tres.

Distinguo antecedens : Filius & Spiritus sanctus

intelligunt intellectione essentiali & absolutâ, concedo; intellectione notionali & relativa, nego antecedens.

Intellectio itaque & volitio dupliciter in Deo accipiuntur: 1°. essentialiter, quomodo illas spectavimus Tractatu de Attributis, ubi ratione naturali demonstravimus Deum non esse compositum ex natura, potentiis & actibus, v. g. ex intellectu & intellectione, sed esse actum simplicissimum, minùsque propriè dici intelligentem & volentem quàm ipsammet intellectionem & volitionem: unde cùm Filius & Spiritus sanctus sint cùm Patre unus Deus, sunt quoque cum Deo ipsamet essentialis intellectio & volitio.

2°. Notionaliter sumuntur intellectio & volitio, nempe cùm spectantur ut conjunctæ cum paternitate & spiratione activa, quæ à Theologis notiones vocantur, quia per eas una persona cognoscitur ut distincta ab alia: Pater, v. g per paternitatem cognoscitur distingui à Filio, & uterque per spirationem activam à Spiritu sancto.

Porrò intellectio & volitio non sunt fœcundæ & productivæ ullius termini, nisi quatenus notionales, hoc est, conjunctæ cum notionibus, intellectio cum paternitate, volitio cum spiratione activa, paternitate & filiatione.

Q. 4° *Quot ergo sunt notiones in divinis?*

R. Theologi numerant quinque, quæ sunt innascibilitas, paternitas, filiatio, spiratio activa, & spiratio passiva. Per innascibilitatem designatur primum principium à nullo alio procedens; unde innascibilitas primariò significat aliquid positivum, secundariò verò negationem non solùm nativitatis, quia nec Spiritus sanctus nascitur, sed etiam cujuscumque processionis, ac proinde per eam Pater distinguitur à Filio & Spiritu sancto. Sterilitas autem, quæ est in Spiritu sancto non numeratur inter notiones (quamvis absolutè numerari posset,) tum quia non sonat dignitatem aliquam, sicut innasci-

bilitas; tum quia ſine ea Spiritus ſanctus ſatis intelligitur diſtingui ab aliis perſonis per amorem notionalem ſeu ſpirationem paſſivam, quæ eſt terminus volitionis Patris & Filii, poſt quam ulterior actus immanens concipi non poteſt in ſubſtantia ſpirituali. Quæri autem poſſet num paternitas aliunde procedat, niſi videretur innaſcibilitas, quâ deſignatur primum principium, & negatio omnis proceſſionis.

Q. 5°. *Quodnam eſt principium divinarum proceſſionum?*

R. Principium proximum *quo* Filii, eſt intellectus notionalis; & Spiritûs ſancti, eſt voluntas notionalis; remotum *quo*, ſeu radicale, eſt natura divina; & principium *quod* ſeu denominationis, eſt perſona producens. Explicatur reſponſio exemplo rerum naturalium. Principium quo homo, v. g. intelligit, eſt intellectus, & quo vult, eſt voluntas; remotum ſeu radicale, eſt natura humana, utpote radix & prima ratio, quâ ambæ illæ facultates conveniunt homini: principium autem *quod*, eſt ipſe homo; quia principium *quod*, eſt ſubjectum ſeu perſona quæ denominatur ab operatione; atqui homo propriè denominatur intelligens ab intellectione, & volens ab actu voluntatis. Sic intellectus notionalis eſt ratio proxima quâ Pater producit Filium ſeu Verbum; & voluntas notionalis, quâ Pater & Filius producunt Spiritum ſanctum, qui eſt terminus amoris utriuſque: ipſa denique perſona Patris denominatur producens Verbum, ſeu generans Filium, & utraque ſimul perſona producens Spiritum ſanctum.

Q. 6°. *Quis eſt terminus divinarum proceſſionum?*

R. Similiter terminus formalis *quo* productus, ſunt Verbum ſeu filiatio & ſpiratio paſſiva; terminus *qui* eſt perſona producens.

Q. 7°. *Spiritus ſanctus proceditne à Patre & Filio?*

R. De fide eſt ab utroque procedere; ita enim definitum eſt in Concilio ſecundo Lugdunenſi, &

in Concilio Florentino, consentientibus Græcis, qui in iis Conciliis adfuerunt, sed à doctrina catholica postmodum recessêre, negantque pertinaciter Spiritum sanctum à Filio procedere, contra expressa Scripturæ verba; de eo enim dicitur Joan. 16. *Ille me clarificabit quia de meo accipiet.* Joan. 15. *Cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Missio autem in divinis non est nisi à persona producente, ut infrà dicetur Rom. 8. & Galat. 4 Spiritus sanctus dicitur Spiritus Christi, Spiritus Filii, ergo reverà à Filio procedit.

Dices 1°. Patres Græci scribunt Spiritum sanctum ex Patre procedere per Filium: ergo Latini asserere non debuerunt eum procedere ex Filio.

Nego consequentiam; namque (fatentibus ipsis Græcis in Concilio Florentino) procedere per Filium idem est ac procedere ex Filio. Ideo autem Patres Græci sic loquuntur, quia Pater communicat Filio spirandi virtutem: unde sanctus Augustinus docet Spiritum sanctum principaliter procedere à Patre.

Dices 2°. Quatuor prima Concilia docent Spiritum sanctum procedere à Patre, nullâ factâ Filii mentione; imò Concilium Ephesinum, quod est tertium generale, sub anathemate prohibet ne quidquam addatur Symbolo Nicæno, ubi simpliciter definitum est circa Spiritum sanctum, *qui à Patre procedit*: ergo culpandi sunt Latini, quòd in eodem symbolo addiderint, *Filioque*.

Nego consequentiam, tum quia Concilia tractant solummodò de rebus quæ in controversiam veniunt: unde cùm in Concilio Nicæno quæstio non moveretur de divinitate spiritûs sancti, sed de divinitate Filii, Concilium solùm asseruit Filii divinitatem. Postmodum mota est quæstio de divinitate Spiritûs sancti, quæ asserta est in Concilio primo Constantinopolitano. Posterioribus autem seculis, Græci excitarunt controversiam circa processionem Spiritûs sancti, quæ controversia terminata est in Concilio

Lugdunenſi, in quo Græci cum Latinis decantarunt Symbolum cum additione *Filioque*. Nec obſiſtit prohibitio Concilii Epheſini; quia Concilia Lugdunenſe & Florentinum, utpote œcumenica, ſunt ejuſdem auctoritatis ac Concilium Epheſinum; & Concilia poſteriora mutare poſſunt quæ à prioribus ſunt ſancita in iis quæ ſpectant diſciplinam, tum maximè cùm id exigit rerum mutatio. Porrò Concilium Epheſinum cautè prohibuit ne quidquam adderetur Symbolo Nicæno, propter Arianos, qui tunc temporis novas in dies fabricabant fidei formulas ad evertendum Symbolum Nicænum, & occultandum ſuum errorem: tempore verò Concilii Lugdunenſis, Arianis jam extinctis, propulſandus erat Græcorum error, quo docebant Spiritum ſanctum à Filio non procedere.

Q. 8°. *Spiritus ſanctus diſtingueretur ne à Filio ſi ab eo non procederet?*

R. Affirmant Græci, quibus ſe adjungunt Scotiſtæ; ſed effatum ſancti Anſelmi ab omnibus Theologis eſt receptum, nempe in divinis omnia ſunt unum, ubi non obviat relationis oppoſitio; atqui ſi Spiritus ſanctus à Filio non procederet, inter eos non obviaret relationis oppoſitio: ergo eſſent una perſona.

Dices: paternitas & filiatio relativè non opponuntur ſpirationi paſſivæ, & tamen ab ea realiter diſtinguuntur: ergo.

Diſtinguo antecedens: non opponuntur præcisè ſpectatæ, concedo; non opponuntur quatenus modificatæ per ſpirationem activam, cum qua conferunt ad productionem Spiritûs ſancti, nego antecedens. Itaque in hypotheſi quòd Spiritus ſanctus non procederet à Patre nec à Filio, paternitas & filiatio eſſent alterius rationis, nec conſtituerent perſonas à Spiritu ſancto realiter diſtinctas.

Q. 9°. *Pater & Filius ſuntne duo principia Spiritûs ſancti?*

R. Minimè, quia in illis unica eſt ſpiratio activa, ſeu virtus ſpirandi; quemadmodum ergo tres

personæ non sunt tria principia creaturarum, quia per unicam omnipotentiam illa producunt; sic Pater & Filius non sunt duo principia Spiritûs sancti, quia spirant unicâ virtute. Possunt tamen dici adjectivè duo spirantes, quia, ut jam observavimus, ad multiplicationem concretorum adjectivorum sufficit multiplicitas subjectorum.

Caput III.

De Relationibus divinis.

Q. 1°. *Dantur ne in Deo relationes reales?*

R. Affirmativè; quia paternitas & filiatio absque mentis operâ, & nemine cogitante, existunt in Deo; atqui paternitas & filiatio sunt relationes; Pater enim per paternitatem refertur ad Filium, & Filius viciſſim per filiationem refertur ad Patrem: ergo.

Dices: Relatio realis dicit dependentiam unius ab altero: ergo in Deo nulla est relatio realis.

Nego antecedens: Pater enim non dependet à Filio, nec paries similis ab altero pariete: ergo relatio non dicit dependentiam, sed solummodo connotationem omnino necessariam, adeo ut non possit esse pater sine filio, nec paries similis nisi coexistat alter paries ei similis.

Q. 2°. *Quot sunt in Deo relationes reales?*

R Quatuor, nempe paternitas, filiatio, spiratio activa, & spiratio passiva; quia totuplex est relatio quotuplex est ordo seu respectus unius ad alterum; atqui in Deo quadruplex est respectus, paternitas enim est ad Filium, & filiatio ad Patrem; spiratio activa ad personam spiratam seu Spiritum sanctum, & spiratio passiva ad spiratorem.

Q. 3°. *Relationes illæ sunt ne cathegoricæ?*

R. Minimè; quia relatio cathegorica est accidens; atqui in Deo nullum est accidens: ergo.

Q. 4°. *Quomodo relationes divinæ inter se distinguuntur?*

R. Vel sibi invicem opponuntur, vel non: si primum, distinguuntur realiter: si secundum, non distinguuntur nisi virtualiter, & per mentem formaliter; quia in divinis non est distinctio realis, ubi non obviat relationis oppositio.

Ergo spiratio activa est realiter distincta à spiratione passiva, utpote ipsi opposita: indistincta verò à paternitate & filiatione, quibus non opponitur.

Ergo paternitas, filiatio, & spiratio passiva realiter inter se distinguuntur propter oppositionem quæ inter eas intercedit, directa quidem & immediata paternitatem inter & filiationem; indirecta verò & mediata paternitatem & filiationem inter & spirationem passivam, ratione scilicet spirationis activæ; paternitas enim & filiatio conferunt ad productionem Spiritus sancti, ut jam observavimus.

Ergo paternitas, filiatio, & spiratio passiva sunt relationes personales, id est, constitutivæ trium personarum; quod enim est principium distinctivum, est & constitutivum: rationalitas, v. g. per quam homo essentialiter differt à bruto, hominem essentialiter constituit in esse hominis; atqui tres personæ non distinguuntur nisi per relationes: ergo per illas constituuntur in esse personæ.

Dices: persona, ex sancto Augustino, dicitur ad se, non ad alium: ergo ratio constitutiva divinæ personæ, seu personalitas, non est relatio.

Distinguo antecedens: persona non est ad alium quoad vocis sonum, concedo; quoad rem hâc voce significatam, subdistinguo: in creatis, concedo: in divinis, nego antecedens. Itaque persona, secundùm rationem genericam, significat subsistantiam completam in se existentem, ac proinde absolutum quid & minimè relativum; sed secundùm rationem specificam potest significare subsistantiam completam in se ita existentem, ut ordinem & relationem habeat ad aliam personam; nam in divinis hæc eadem

persona est Pater aut Filius, nec constituitur persona nisi per paternitatem aut filiationem, cùm per eam solam ab altera persona distinguatur.

Instabis: priùs est constitui quàm referri: ergo personæ divinæ non constituuntur per relationem.

Distinguo antecedens: quàm referri relatione accidentali & cathegoricâ, concedo; quàm referri relatione substantiali & transcendente, nego antecedens: nam potentia, v. g. visiva non constituitur in esse potentiæ, nisi per aliquid relativum; quia natura tota potentiæ est ad aliud, putà ad objectum visibile.

Caput IV.

De Æqualitate & Consubstantialitate trium Personarum.

Circa personam Patris nulla est controversia; omnes enim sive Mahumetani, sive Judæi, sive Christiani conveniunt personam divinam, quam vocamus Patrem, esse verum Deum; sed gravis est controversia inter Christianos Catholicos, & Mahumetanos, Judæos, & plures hæreticorum sectas, utrùm Filius & Spiritus sanctus sint Patri æquales & consubstantiales.

§. I. *Filius est verus Deus Patri consubstantialis.*

Probatur ex Scriptura. Joan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum . . . omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Hìc verbum non est factum, ergo non est creatum; sed verus Deus, qui fuit semper apud Patrem.

Nec dicant Sociniani Verbum in textu Græco dici Deum sine articulo ὁ, qui semper præfigitur quando significatur verus Deus, Θεὸς nam v. 13. & 18. Deus summus legitur sine articulo, sicut &

Matth. 14. v. 33. & 1. Cor. 8. v. 4. & 6. Contra verò Christus cum articulo dicitur Deus, Rom. 9. v. 5. ut observat sanctus Chrysostomus, hom. 3. in Joan. Quin & falsi Gentium Dii nominantur cum ejusmodi articulo, Gal. 4. v. 8. Act. 7. v. 43. Rom. 9. *Ex quibus* (Judæis) *est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus.*

Philipp. 2. *Cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Insignis est iste locus, solusque sufficit ad convincendos Socinianos: Christo hîc duplex tribuitur forma, scilicet forma Dei, & forma servi, id est, hominis, quam accipiendo semetipsum exinanivit. Ergo sicut per formam servi verus est homo, ita per formam Dei verus est Deus, adeo ut potuerit absque rapina, ut loquitur Apostolus, se exhibere æqualem Deo; sed majestatem suam voluit occultare, vilem servi formam induens velut habitum.

Primæ Joannis 5. *Hic* (Christus) *est verus Deus, & vita æterna.*

Dices 1°. Nomen Dei est æquivocum, soletque in Scripturis indiscriminatim tribui Deo & creaturis in dignitate constitutis, ut Exod. 7. ubi Deus ait Moysi, *Constitui te Deum Pharaonis.* Psal. 181. *Deus stetit in Synagoga Deorum*, id est Judicum. Et infrà, *Ego dixi, Dei estis & filii excelsi omnes.* Ergo non potest concludi Filium esse Patri consubstantialem, ex eo quòd in Scripturis vocetur Deus.

Distinguo antecedens: est æquivocum in novo Testamento, nego; nam apud Latinos Deus est nomen substantiæ, inquiebat supra Tertullianus, sicut & apud Græcos Θεός; *neque Dominus*, inquit sanctus Irenæus, lib. 3. c. 6. *neque Spiritus sanctus, neque Apostoli, eum qui non esset Deus, definitivè & absolutè Deum nominassent, qui non esset verus Deus.* Est æquivocum in veteri Testamento, subdistinguo: quando in textu originali, Hebraïco scilicet, Deus exprimitur per vocem *Elohim*, transeat;

quando exprimitur per nomen tetragmaton *Jehova*, nego antecedens; in confesso enim est apud omnes tum Judæos, tum Christianos, hoc nomine significari Dei essentiam: atqui Christus in veteri Testamento sæpè vocatur *Jehova*: Isa. 7. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*, Jehova, cap. 9. *Parvulus natus est nobis ..... vocabitur nomen ejus Admirabilis .... Deus*, Jehova, Zach. 11. *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos, & dixit Dominus* (Jehova) *ad me .... decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis.* Quæ de Christo esse prædicta constat ex Matthæi capite 27. v. 9. Idem Propheta, cap. 12. inducit Deum *(Jehova)* de se loquentem, *Aspicient ad me, quem confixerunt*, scilicet quando unus militum lanceâ latus ejus aperuit. Joan. 19. Malach. 3. Deus *(Jehova)* sic loquitur: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam*; quem Angelum ipse Gabriel Angelus, Luc. 1. v. 16. & 17. interpretatur de Joanne Baptista: *Multos filiorum Israël*, inquit, *convertet ad Dominum Deum ipsorum, & ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ*; ac proinde Christus, quem præcessit Joannes, est Deus *(Jehova)* filiorum Israël. Sociniani textibus Zachariæ & Malachiæ se victos confitentur, dum unum reponunt, nempe illos esse corruptos.

Dixi in responsione, *transeat*, scilicet nomen *Elohim* esse æquivocum, quia reverà non est, ex eo quod semel aut bis tribuatur creaturis; quis enim dixerit nomina, *Leo*, *lapis angularis*, esse æquivoca, quia Christus in Scripturis aliquando appellatur Leo de Tribu Juda, lapis angularis? Æquivoca quippe sunt nomina quæ ex communi usu tribuuntur rebus diversæ prorsus naturæ: sic canis est nomen æquivocum respectu canis terrestris & marini, quia ambo conveniunt in illo nomine, & vix aliter vocantur, quamvis naturâ prorsus differant. Sed quemadmodum non sequitur nomen *Leo* esse æquivocum, quia metaphoricè & figuratè rarò

de Christo prædicatur, ita nec dici potest nomen *Deus* esse æquivocum, quia creaturis semel aut bis tribui legitur.

Dices 2°. Christus, Joan. 10. amovit hancce Judæorum opinionem, quòd se Deo æqualem faceret; ostenditque se Deum dixisse, aut Filium Dei, quomodo in Scripturis ii, ad quos sermo Dei factus est, dicuntur Dii & filii Excelsi: ergo.

Nego antecedens: Christus enim, ut compescat furentes adversùm se Judæos, quia dixerat, *Ego & Pater unum sumus*, sic argumentatur à minori ad majus. Scriptura Deos appellat, qui indubitatis signis probant se à Deo missos, & nomine ejus locutos; atqui opera mea quæ nemo alius fecit, probant me à Patre missum & vera locutum, Deus enim non potest miracula edere ad confirmandum mendacium: ergo absque blasphemiâ dixi me esse Filium Dei. Si ratione tam opportunâ & ad persuadendum accommodatâ placabiles se præbuissent Judæi, audissent à Christo, quàm sublimiori modo verè dixisset se esse Filium Dei. Sed cum nihilominùs in ipsum furerent, eos in cæcitate suâ dimisit, monente Scripturâ, Eccli. 32. 6. *Ubi auditus non est, non effundas sermonem.*

Instabis: Christus probat ex operibus & miraculis à se patratis, se esse Filium Dei; atqui miracula non probant verum Deum esse & Filium ejus naturalem, qui ea operatur; nam Elias & alii Prophetæ patrarunt miracula, ex quibus colligi non potest ipsos fuisse filios Dei naturales & consubstantiales: ergo Christus hoc suo ratiocinio non concludit se esse Filium Dei consubstantialem, sed solùm secundùm quamdam denominationem.

Distinguo majorem: ex operibus & miraculis editis in confirmationem suæ doctrinæ, quâ asserebat esse se Filium Dei unigenitum, Joan. 3. v. 16. æqualem Patri, Joan. 5. v. 18. concedo: quâ asserebat se esse Filium Dei eo modo quo Elias & alii Prophetæ dicuntur Filii Dei, nego majorem. Itaque

miracula, si secundùm se præcisè spectentur, non probant Deum esse qui ea operatur, ut patet ex capite 14. Actuum v. 10. sed quando eduntur ad probandam divinitatem ejus qui loquitur, sunt signa indubitata illum esse Deum. Porrò nec Prophetæ, nec Apostoli patrarunt miracula ut persuaderent se èsse Deos, absit; sed ut testarentur Messiam in lege promissum & in Evangelio exhibitum, esse unigenitum Dei filium, Patri consubstantialem; quam veritatem Christus ipse innumeris signis & prodigiis confirmavit.

Dices 3°. Eccli. 24. v. 5. & 12. Sapientia, quæ est Christus, inter creaturas prima numeratur, *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam ... Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Ergo.

Nego conseq. Sapientia enim dicitur 1°. primogenita eo sensu quo legitur Matth. 1. de beata Virgine, *Peperit filium suum primogenitum*, non quòd alios postea pepererit, sed quòd nullum priùs pepererit. 2°. Dicitur creata creatione latiùs sumptâ pro quâvis productione, enimverò quæ eodem capite dicuntur de Sapientia, convenire non possunt creaturæ.

Alii textus benemulti objiciuntur à Socinianis, sed facilè solvi possunt.

Matth. 17. ait Christus ad Jacobum & Joannem, *Non est meum dare vobis*, scilicet ratione propinquitatis carnalis, quo titulo ambo illi fratres primas sedes ambiebant.

Matth. 19. Christus rejicit nomen Magistri boni: *Nemo bonus*, inquit, *nisi solus Deus.* Sed ejusmodi responsum est ad mentem juvenis, qui Christum ut purum hominem habebat.

Matth. 24. de die ultimo ait Christus: *Nemo scit, neque Filius*, &c. quod de Christo ut homine intelligi debet. Utrùm autem reverà Christus sit spectatus ignoraverit diem judicii, expendetur ubi de Incarnatione.

Joan. 14. ait Christus, *Pater major me est*, nempe secundùm Christi humanitatem.

Joan. 17. v. 3. Christus Patrem sic alloquitur: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum.* Sed hoc dicitur comparatè ad falsos Deos Gentilium, non verò ad duas personas sanctissimæ Trinitatis; ita ut vox *solus* conjungatur substantivo *Deus*, non verò substantivo *Pater*, quasi sensus sit, tu, Pater, es solus verus Deus, non verò, tu solus, Pater, es verus Deus. Et v. 22. *Ut sint unum, sicut & nos unum sumus.* Quæ à Christo dicuntur ratione humanitatis, quâ affectu unum est cum Patre; non ratione divinitatis, quâ cum Patre unum est in naturâ.

1. Cor. 15. v. 28. *Cùm autem subjecta fuerint illi* (Patri) *omnia, tunc & ipse Filius subjectus erit ei*; scilicet ratione corporis mystici, quod est Ecclesia, quæ destructâ morte & omni peccato, evacuatoque omni principatu & potestate inimici, perfectè cum suo capite subjicietur Deo.

§. II. *Spiritus sanctus est æqualis & consubstantialis Patri ac Filio.*

PRobatur Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.* 1. Joan. 5. *Hi tres unum sunt.* Sub hac fide initiantur Christiani, & tribus personis consecrantur. Act. 5. S. Petrus Ananiam sic increpat: *Cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto? non est mentitus hominibus, sed Deo.* 1. Cor. 6. *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritûs sancti?* atqui templum soli vero Deo competit, nec ullius creaturæ dici possumus templa.

Dices 1°. Quæ in Scripturis de Spiritu sancto leguntur, intelligenda sunt de donis gratiæ, ut 1. Thessal. 4. *Spiritum nolite extinguere*: ergo Spiritus sanctus non est persona divina.

Distinguo antecedens: intelligenda sunt de donis gratiæ, aliquando, ut citato capite, concedo;

semper, nego antecedens: namque Spiritus sanctus à suis donis manifestè distinguitur, Rom. 9. *Charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum ... hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Unde Dydimus sic concludit c. 1. de Spiritu sancto, *Quorum ergo una est operatio, una est substantia.*

Dices 2°. Plura de Spiritu sancto leguntur quæ Deo vero convenire nequeunt, ut Rom. 8. *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Ephes. 4. *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei.* Ergo Spiritus sanctus non est Deus.

Distinguo antecedens: Plura leguntur scripta figuratè & metaphoricè, quemadmodum Genes. 6. Deus dicitur tactus dolore cordis, concedo: plura leguntur scripta propriè, nego antecedens. Itaque Spiritus postulat gemitibus, id est, postulare facit, interprete S. Augustino & aliis. Contristatur, hoc est, improbat quod malè gerunt homines.

Dices 3°. Qui mittitur minor est eo qui mittit; atqui Spiritus sanctus mittitur à Patre & Filio: ergo.

Distinguo majorem: qui mittitur cum imperio & dependentia, concedo; qui mittitur sine imperio & dependentiâ, ut accidit in missionibus divinis, de quibus mox, nego majorem.

Caput V.

De Missionibus divinis.

Q. 1°. *Danturne missiones divinæ?*

R. Dantur; Christus enim, Joan. 7. de seipso ait, *ab ipso sum, & ipse me misit.* Et cap. 14. de Spiritu sancto, *quem mittet Pater in nomine meo.*

Q. 2°. *Quomodo definitur missio?*

R. Definitur processio unius personæ ab alia, adjunctum habens effectum temporalem, pertinentem ad ordinem gratiæ.

Dicitur 1°. *processio*; quia persona, quæ non procedit, propriè

propriè non mittitur: *Pater*, inquit S. Augustinus lib. 4. de Trinitate, cap. 20. *non dicitur missus, non enim habet de quo missus sit, aut ex quo procedat.*

Dicitur 2°. *adjunctum habens effectum temporalem*; quia processio præcisè spectata est æterna; missio verò temporaliter dicitur Galat. 4. *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* Unde sanctus Augustinus citato cap. 20. sic habet, *Non eo ipso quòd de Patre natus est, missus dicitur Filius, sed vel eo quòd apparuit mundo Verbum caro factum, vel eo quòd ex tempore cujusque mente percipitur.*

Dicitur 3°. *pertinentem ad ordinem gratiæ*; persona enim divina propriè non dicitur mitti propter opera ordinis naturalis.

Dices 1°. Isa. 48. Filius dicitur missus à Spiritu sancto: ergo missio in divinis non est processio.

Distinguo antecedens: missus est à Spiritu sancto quatenus homo, quem Spiritus sanctus omnium gratiarum donis ornavit, concedo: quatenus Verbum & secunda persona sanctissimæ Trinitatis, nego antecedens.

Dices 2°. qui mittit, voluntatem ejus qui mittitur movet ac determinat; atqui Pater voluntatem Filii nec movet nec determinat: ergo.

Distinguo majorem: quando mittens & missus habent diversas naturas & voluntates ut in creatis, concedo: quando una est mittentis & missi singularis natura & voluntas, nego majorem.

Ergo una persona non mittitur, quin aliæ adsint propter circuminsessionem, juxta illud Joan. 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Sed in illa inhabitatione Filius & Spiritus sanctus propriè mitti dicuntur, quia procedunt: Pater verò dari, quia à nullo procedit.

Q. 3°. *Quid est circuminsessio?*

R. Definitur à Theologis, intima existentia unius personæ in altera, sine confusione personæ: *Totus Pater in Filio & Spiritu sancto*, inquit S. Fulgentius lib. de Fide, cap. 1. *& totus Filius in Patre & Spiritu*

ſancto, & totus Filius & Pater in Spiritu ſancto eſt, nimirum propter unitatem naturæ, à quâ tres perſonæ non diſtinguuntur realiter.

Q. 4°. *Quare una perſona potiùs dicitur mitti quàm alia, cùm ſola nec mittatur, nec operetur adjunctum effectum temporalem?*

R. Ideo una perſona potiùs mitti dicitur, quia effectus temporaliter producendus ſpecialem habet affinitatem & ſimilitudinem cum propria ejus notione. Hinc quia Pater eſt primum notionale principium, appropriatur illi creatio & gubernatio univerſi: Filio quoque, quia procedit ut Verbum & terminus cognitionis æternæ, adſcribitur omne donum intellectuale, ut ſapientia, & propter illud dicitur mitti: denique ad Spiritum ſanctum, qui eſt terminus volitionis & amoris Patris & Filii, referuntur omnia dona quæ perficiunt voluntatem, ut ſanctificatio, charitas, &c. quorum infuſio appellatur Spiritus ſancti infuſio.

Q. 5°. *Quotuplex eſt miſſio?*

R. Duplex; alia viſibilis, cùm adjunctum habet effectum viſibilem vel permanentem, putà Incarnationem; vel tranſeuntem, v. g. ſpeciem columbæ, linguas igneas die Pentecoſtes: alia inviſibilis, quæ eſt cum effectu inviſibili, qualis eſt infuſio gratiæ & charitatis.

Caput VI.

De prima Perſona.

Q. 1°. *Quæ ſunt nomina propria primæ Perſonæ?*

R. Dicitur 1°. Pater, quia propriè generat Filium. 2°. Ingenitus, non quia non naſcitur, hoc enim ſenſu Spiritus ſanctus eſt ingenitus, ſed quia non producitur.

Q. 2°. *Pater poteſtne dici fons & origo totius divinationis?*

R. Non poteſt niſi impropriè, quia principium

denotat proceſſionem : divinitas autem non procedit, ſicut definitum eſt in Concilio Lateranenſi quarto, capite *Damnamus*; ſed eſt ipſamet principium radicale omnium proceſſionum.

Q. 3°. *Poteſtne vocari auctor aut cauſa Filii ?*

R. Primam appellationem deteſtatur ſanctus Auguſtinus lib. 3. contra Maximinum, cap. 14. exiſtimans illud nomen ſignificare quamdam excellentiam & auctoritatem; uſurpatur tamen à ſancto Hilario, lib. 4. de Trinitate. Similiter apud Græcos Pater ſæpiùs dicitur cauſa; ſed juxta uſum Latinæ vocis non poteſt ita vocari, quia cauſa eſt principium influens in aliud, id eſt, in rem alterius naturæ : Filius autem in divinis non eſt aliud à Patre, ſed alius dumtaxat.

Q. 4°. *Veræ ſuntne hæ propoſitiones* : Pater omnia intelligit verbo : Pater & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto.

R. Si ſumantur notionaliter, veræ ſunt, nam Pater producendo Verbum omnia intelligit : Pater & Filius mutuo amore producunt Spiritum ſanctum : ſi autem accipiantur eſſentialiter, falſæ ſunt, quia neque Filius eſt forma per quam Pater intelligit, neque Spiritus ſanctus forma per quam Pater & Filius ſeſe diligunt; Pater enim intelligit per intellectionem, & amat per volitionem, quæ ſunt attributa eſſentialia communia tribus perſonis : unde ſanctus Auguſtinus improbat hanc propoſitionem, *Pater eſt ſapiens ſapientiâ genitâ.*

CAPUT VII.

De ſecunda Perſona.

Q. 1°. *Quæ ſunt nomina propria ſecundæ Perſonæ ?*

R. Dicitur 1°. Filius, quia procedit per veram generationem. 2°. Verbum, & à Tertulliano Sermo, quia eſt terminus intellectionis paternæ, ob eamque rationem nonnunquam vocatur

Sapientia genita. 3°. Imago, quia imago definitur unius ab alio deducta similitudo ; atqui secunda Persona deducitur seu producitur à Patre tanquam ejus similitudo ; quid enim est verbum, nisi similitudo & imago rei ? *Ista imago*, inquit sanctus Ambrosius, lib. 1. de Fide, cap. 4. *non est falsa, quia veritas est ; non est muta, quia Verbum est ; non est mortua, quia vita est ; non est inanis, quia virtus est.* Hæc imago dicitur splendor gloriæ, candor majestatis divinæ, figura & character substantiæ paternæ, hoc est, similitudo expressa personæ Patris.

Q. 2°. *Quare secunda Persona dicitur Filius ?*

R. Quia procedit per veram generationem ; generatio enim definitur, origo viventis à vivente principio conjuncto in similitudinem naturæ ; atqui hæc definitio convenit processioni Filii, est enim origo Personæ viventis à Patre vivente, principio conjuncto, id est, substantiâ generantis communicatâ genito in similitudinem naturæ : ergo.

Q. 3°. *Quare processio secunda Persona est potiùs generatio quàm processio Spiritûs sancti, cùm processio Spiritûs sancti sit etiam origo viventis à vivente, principio conjuncto, in similitudinem naturæ ; Spiritus enim sanctus est vivens ; proceditque à principio vivente, scilicet Patre & Filio, quorum substantia ipsi communicatur in similitudinem naturæ, utpote qui sit Deus, æqualis Patri & Filio ?*

R. Hîc exclamare licet cum Propheta Is. 53. *Generationem ejus quis enarrabit ?* Unde S. Gregorius Nazianzenus oratione primâ, *Honoretur silentio.* Et S. Augustinus lib. 3. contra Maximinum, cap. 14. *Distinguere inter illam generationem & hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio.* Quin S. Irenæus lib. 2. contra hæreses, cap. 48. & S. Athanasius, or. 3. insanos pronuntiant qui divinæ generationis rationem enarrare præsumunt, & hæc est unica Sanctorum responsio adversùs argutias Hæreticorum ex Philosophia petitas.

Verùm iidem Patres, ubi Catholicis illud mysterium

explanare ſtudent, probabilibus conjecturis diſcrimen definiunt divinam generationem inter & Spiritûs ſancti proceſſionem, illudque præſertim repetunt, ut ſanctus Auguſtinus in Pſalmum 44. & lib. 9. de Civitate Dei, cap. 12. ſanctus Athanaſius Orat. 3. ſanctus Gregorius Nazianzenus Orat. 36. & alii, ex eo quòd ſecunda Perſona, non verò tertia, procedat ut Verbum ſeu terminus cognitionis paternæ, ac proinde ut vivens Patris imago ab eo deducta, & verus Filius; namque proprium eſt intellectûs aſſimilare ſibi objectum cognitum, ejuſque imaginem exprimere.

Dices: Spiritus ſanctus habet naturam divinam vi ſuæ proceſſionis; tum quia illam non habet à ſe, tum quia procedit ut Deus: ergo.

Nego antecedens; Spiritus enim ſanctus non procedit ut Deus, ſed ut amor, qui identicè & realiter, non autem vi ſuæ proceſſionis eſt Deus; quia amor ex ratione ſua non aſſimilat amanti objectum amatum, ſed unit ſolummodò: contra verò cognitio eſt expreſſa imago & ſimilitudo objecti cogniti, ac proinde ſecunda perſona, utpote Verbum & terminus cognitionis paternæ, procedit ut Deus, hoc eſt, ut Patri per omnia ſimilis.

Q. 4°. *Ex quarum rerum cognitione procedit Verbum?*

R. 1°. Procedit per ſe & formaliter ex cognitione comprehenſiva eſſentiæ divinæ, trium Perſonarum, & creaturarum poſſibilium; quia Verbum eſt formalis expreſſio adæquata & infinitè perfecta perſonæ Patris, ac proinde divinæ ejus naturæ & proprietatum perſonalium; atqui non eſſet perfecta & adæquata expreſſio, niſi cognitio ex qua procedit, eſſet comprehenſiva divinæ naturæ, hoc eſt, niſi ſe extenderet ad omnia quæ poteſt divina natura, & ad omnes ejus ſubſiſtendi modos, qui ſunt tres perſonalitates: ergo.

R. 2°. Verbum non procedit formaliter ex cognitione creaturarum exiſtentium; quia Verbum, utpote ſummè neceſſarium, non procedit formaliter

nisi ex cognitione absolutè necessariâ; atqui cognitio creaturarum existentium non est absolutè necessaria, cùm earum existentia sit contingens, & absolutè possint non existere.

R. 3°. Verbum procedit concomitanter ex cognitione creaturarum existentium; quia illa cognitio, quamvis non necessaria, est tamen æterna, & identicè eadem ac cognitio essentiæ divinæ: ergo processio Verbi non est sine cognitione creaturarum existentium: *Verbum*, inquit sanctus Augustinus, libri 11. Confessionum, capite secundo, *sempiternè dicitur, & eo sempiternè dicuntur omnia.*

Dices: Nondum concipitur Verbum existere in instanti quo producitur, alioquin supponeretur priùs existere quàm generaretur: ergo non procedit ex cognitione sui ipsius, multò minùs ex cognitione Spiritûs sancti, aut creaturarum possibilium, quæ sunt Verbo posteriores.

Nego antecedens; Verbum enim est Patri coæternum, & Spiritus sanctus utrique, nec in æternitate ulla est prioritas durationis, sed solùm originis, quæ non est instans in quo non fuerit Verbum, sed dumtaxat instans à quo Verbum emanare concipitur: cùm autem Pater ex cognitione sui ipsius producat Verbum, nec possit esse aut concipi Pater, vel spirator, quin concipiatur habere Filium, & producere Spiritum sanctum; manifestè sequitur Filium æquè procedere ex cognitione sui & Spiritûs sancti, ac ex cognitione Patris.

Ergo, inquies, Verbum ex seipso & ex Spiritu sancto procedit, objectum enim cognitionis concurrit ad Verbum efformandum.

Nego sequelam, cujus confirmationem distinguo; objectum concurrit, si sit motivum, hoc est, si intellectum moveat, concedo: si sit terminativum solummodo, nego. Porrò intellectus divinus ex sese infinitam habet vim intelligendi, nec indiget concursu objectorum, ac proinde nec Verbum, nec Spiritus sanctus, nec creaturæ concurrunt ad

intellectionem notionalem Patris, sed illam solummodò terminant.

Caput VIII.

De tertia Persona.

Q. 1°. *Quæ sunt nomina propria tertiæ Personæ?*

R. Vocatur 1°. Spiritus sanctus, 2°. Amor, 3°. Donum.

Q. 2°. *Cur tertia Persona dicitur Spiritus sanctus, cùm Pater & Filius sint æquè spiritus & sancti?*

R. Spiritus dupliciter accipi potest: 1°. essentialiter pro substantia immateriali, & sic nomen Spiritûs est commune tribus personis, quia una est earum substantia simplicissima, & omnis materiæ expers. 2°. Notionaliter, ita ut spiritus idem sit ac spiritus; & hoc sensu nomen Spiritûs est proprium tertiæ Personæ, quia nullâ aliâ producitur spiratione.

Q. 3°. *Quare non simpliciter dicitur Spiritus, sed cum adjuncto sanctus?*

R. Quia procedit per voluntatem, ut amor purissimus & immutabilis; cùm enim amor sit unio & nexus amantis cum re amatâ, substantiæ spiritales puræ vel impuræ fiunt, quatenus per amorem rebus vel præstantioribus aut vilioribus admiscentur, *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt*, Oseæ 9. Ergo tertia Persona, utpote nexus seu amor Patris & Filii purissimus & comprehensivus, vi suæ processionis est sancta, vel potiùs ipsa sanctitas, cujus participatione Angeli & homines sancti evadunt; & ideo eorum sanctificatio Spiritui sancto appropriatur.

Ergo amor notionaliter sumptus est nomen proprium Spiritus sancti, essentialiter verò est commune tribus Personis, juxta illud, Joan. 4. *Deus charitas est.*

Q. 4°. *Ex quarum rerum amore procedit Spiritus sanctus?*

R. Per se formaliter procedit ex amore divinæ

essentiæ & trium Personarum, quia solus ille amor est necessarius: concomitanter verò ex amore creaturarum existentium, quia in Deo est unus amor, quo se & cætera diligit propter seipsum; sed seipsum diligit necessariò, cætera liberè: Spiritus autem sanctus, cùm sit persona summè necessaria, non procedit formaliter & per se ex amore libero, sed solùm concomitanter, ut diximus de processione Verbi.

Dixi, *creaturarum existentium*, quia cùm ex dictis Deus non benè velit creaturis possibilibus & nunquam futuris, nullus in Deo est earum amor ex quo procedat Spiritus sanctus.

Q. 5°. *Quare Spiritus sanctus vocatur Donum?*

R. Quia donum definitur res gratuitò ac liberaliter data sine spe retributionis; atqui prima donatio est amor quo quis alteri bene vult: ergo cùm Spiritus sanctus procedat ut amor notionalis, propriè est donum notionaliter sumptum.

Ergo Spiritus sanctus non est donum, nisi per ordinem ad creaturas, quia donatio debet esse libera; amor autem in Deo non est liber, nisi quatenus terminatur ad creaturas.

Ergo productio Filii & Spiritûs sancti non potest dici donum, quia est emanatio naturalis necessaria & minimè libera.

Ergo licèt donatio actualis sit in tempore, sicut & omissio, nomen tamen doni competit Spiritui sancto ab æterno, quia Deus ab æterno dilexit quos in tempore vocat, justificat & glorificat. Hæc supernaturalia dona dumtaxat in exemplum appellamus, quia Spiritus sanctus non dicitur dari aut mitti propter dona naturalia, qualis est creatio aut conservatio.

Caput IX.

Utrùm myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis ita ſit ſupra rationem ut ei repugnet ?

R. Minimè, tùm quia ratio naturalis eſt lumen à Deo infuſum; atqui quod eſt à Deo non poteſt determinare ad falſum & erroris principium; tum quia homo creatus eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei : eſſet autem diſſimilis, ſi ex principiis rationis naturalis cogeretur negare hoc myſterium : ergo.

Dices : Illud eſt primum principium totius ratiocinii humani, *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe* ; atqui myſterium Trinitatis deſtruit hoc principium ; namque Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt quid unum in uno tertio, nempe in natura divina, & tamen non ſunt idem inter ſe : ergo myſterium Trinitatis eſt contra rationem naturalem.

R. 1°. Negando majorem : illud quippe principium, *quæ ſunt eadem uni tertio*, &c. non eſt æquè univerſaliter verum, ac iſtud, *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe* ; ac proinde non eſt primum principium totius ratiocinii humani. Si enim abſolutè & univerſaliter eſſet verum, cur à Philoſophis inventæ ſunt tot regulæ, figuræ & modi, quibus non ſervatis, ratiocinia noſtra reperiuntur falſa ? niſi quia multa poſſunt eſſe eadem in uno tertio, quæ tamen non ſunt inter ſe eadem, ut patet ſequentibus exemplis : Aliquod vivens eſt rationale ; atqui omne brutum eſt vivens : ergo aliquod brutum eſt rationale. In hoc ſyllogiſmo, licèt brutum & rationale ſint quid unum in vivente, diverſa tamen ſunt inter ſe. Item, omnis homo eſt vivens ; ſed omnis planta eſt vivens : ergo omnis planta eſt homo. Hîc planta & homo conveniunt in vivente, & tamen non conveniunt inter ſe.

Ergo principium illud, *quæ ſunt eadem uni tertio,*

&c. non est ita verum ut nullas admittat exceptiones, etiam in rebus creatis, propter quas Philosophi docent satis non esse res convenire utcumque in uno tertio, ut sint quid unum inter se, sed certo quodam modo, & secundùm regulas ab ipsis traditas.

Porrò si ratio naturalis has regulas adinvenit, ut certò discurrat circa res creatas & finitas, prudenter hærere debet circa divinas, & dubitare num scilicet istæ ratiocinii leges sufficiant; multa enim effata valent in rebus creatis, quæ si ad divina transferas, falsa reperiuntur, quale est istud, *ex nihilo nihil fit.* Quare.

R. 2°. Negando minorem, cujus confirmationem distinguo: Pater & Filius sunt quid unum in essentia divina inadæquatè, concedo: adæquatè, nego. Nam essentia divina non solùm convenit Patri, sed etiam Filio, & Spiritui sancto, iisque est communicabilis, quemadmodum animal convenit & communicatur rationali & bruto. Unde sicut non sequitur brutum & rationale esse quid unum inter se, quia sunt unum in animali, sed inadæquatè; rationale quippe non est omne animal, sed aliquod: sic Pater & Filius non sunt una persona, ex eo quòd sint quid unum in natura divina, quia Pater non est totum id quod est natura divina.

Instabis: atqui mysterium Trinitatis repugnat primario huic principio, *impossibile est idem simul esse & non esse*; admisso enim sanctissimæ Trinitatis mysterio, idem simul erit & non erit; Deus erit ens à se, & non erit ens à se; Filius quippe & Spiritus sanctus sunt Deus, & tamen non sunt à se: ergo.

Nego subsumptum, cujus confirmationem distinguo: idem erit à se & non erit sub diverso respectu, concedo; sub eodem respectu, nego: namque Filius & Spiritus sanctus absolutè & essentialiter spectati sunt unum ens à se; notionaliter autem non sunt à se, sed ab alio, non tanquam à causa diversæ naturæ, sed tanquam à principio ejusdem naturæ singularis, quæ exigit subsistere tribus modis,

quorum ipſamet eſt radicale principium; & ab ipſa emanant mediante intellectu & voluntate notionaliter ſumptis.

Caput X.

Utrùm notitia myſterii ſanctiſſimæ Trinitatis ſit ad ſalutem neceſſaria.

Reſpondeo cùm omnibus Catholicis, eſt neceſſaria neceſſitate tum medii, tum præcepti in lege Evangelica. Probatur ex Scriptura, Matth. 28. *Euntes docete ergo omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti.* Additur Marc. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.* Unde Apoſtolus Act. 19. obſtupeſcens quòd Epheſii dicerent ſe neſcire an eſſet Spiritus ſanctus, reſpondit: *In quo ergo baptizati eſtis?* Quæ verba innuunt notitiam trium Perſonarum uti neceſſariam Baptiſmo præire, & ita ab initio intellexit Eccleſia, quæ ab initiandis expreſſam ſanctiſſimæ Trinitatis fidem ſemper exegit. Enimverò initiandus Patri, Filio, & Spiritui ſancto in Baptiſmo conſecratur, illis fidem & obſequium pollicetur: noverit ergo neceſſe eſt, quæ ſit cujuſque natura & dignitas, ne cultum divinum ad creaturam transferat, vel debitum honorem vero Deo deneget. Quare meritò Innocentius XI. an. 1679. & Clerus Gallicanus anno 1700. damnarunt hanc quorumdam Modernorum propoſitionem: *Abſolutionis capax eſt homo, etiamſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis & Incarnationis.* Præiverat Academia Lovanienſis an. 1653. Porrò ſi incapaces ſunt abſolutionis qui adorandum illud myſterium ignorant, à fortiori Paſtores quorum ſilentio & incuriâ plures animæ pereunt.

Dixi, *in lege Evangelica*, quia in lege veteri notitia explicita hujus myſterii non erat omnibus & ſingulis ad ſalutem neceſſaria, cùm non eſſet ita clarè revelatum.

TRACTATUS DE RERUM CREATIONE.

DICEMUS 1°. generatim de creatione mundi, deinde ſpeciatim de præcipuis ejus partibus, ſcilicet de Angelis & de Homine.

CAPUT I.

De Creatione Mundi.

Q. 1°. *Quid eſt creatio?*

R. Latiùs ſumitur pro qualibet productione; quo ſenſu Eccli. 27. Sapientia ait, *Ab initio & ante ſecula creata ſum*: ſtrictiùs verò ſumpta definitur, productio totius entis ex nihilo.

Q. 2°. *Mundus eſtne ab æterno?*

R. De fide eſt mundum non eſſe ab æterno, ſed creatum in tempore ex nihilo; nam Proverb. 8. Sapientia de ſeipſa ſic loquitur: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequàm quidquam faceret à principio*: ergo fuit, cùm Deus non fecerat quicquam. Et Geneſ. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram*, hoc eſt, initio temporis, interprete Concilio Lateranenſi quarto, capite *Firmiter*, ubi ſic habet: *Unum univerſorum principium, Creator omnium viſibilium & inviſibilium, ſpiritualium & corporearum, qui ſuâ omnipotenti virtute ſimul* AB INITIO TEMPORIS *utramque de nihilo condidit creaturam ſpiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam, ac deinde humanam, quaſi communem, & ſpiritu & corpore conſtitutam.*

Ergo ex Concilio, Angeli non ſunt creati ante mundum corporeum, ut viſum eſt nonnullis è Patribus; confirmaturque Exodi cap. 20. *Sex ... diebus fecit Dominus cœlum & terram ... & omnia quæ in eis ſunt*, ac proinde Angelos.

Ergo Angeli creati ſunt primo die, & ut loquitur Concilium, ab initio temporis; illudque colligit venerabilis Beda ex cap. 1. Geneſ. ubi dicitur: *Terra erat inanis & vacua*, non verò cœlum, utpote ſtatim Angelorum ſedes. Certè conſtat Angelos creatos ante lapſum hominis, cùm ceciderit ſuggeſtione dæmonis.

Q. 3°. *Cur Moyſes nihil de creatione Angelorum inſeruit in ſua Hiſtoria.*

R. Quia ſolam rerum corporearum originem & ſeriem deſcribendam ſuſceperat.

Quomodo autem Moyſes texere potuerit hiſtoriam ab orbe condito uſque ad ſuam ætatem, cùm nullus ſit Scriptor ipſo antiquior; quo ordine condita ſit rerum univerſitas, & intelligenda plura difficilia, quæ in illa Hiſtoria occurrunt, ſat fusè expoſuimus tom. 1. Tractatu de Creatione, ſecundâ parte.

Caput II.

De Angelis.

Q. 1°. *Quid ſignificat Angeli nomen?*

R. Nuntium: *Angelorum vocabulum*, inquit ſanctus Gregorius, homiliâ 34. in Evang. *nomen eſt officii, non naturæ.* Hoc ſenſu Sacerdotes, Malach. 2. Angeli vocantur, & Joannes Baptiſta, Matth. 11. quin ipſe Chriſtus Dominus appellatur Angelus teſtamenti, Malach. 3. utpote miſſus ad annuntianda gratiæ myſteria.

Q. 2°. *Exiſtuntne Angeli?*

R. De fide eſt exiſtere; de iis enim frequenter loquitur Scriptura, Gen. 22. *Angelus Domini de cœlo clamavit, dicens, Abraham*, &c. Exod. 23. *Ecce ego*

mitto Angelum meum, audi vocem ejus. Matth. 18. *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris.*

Q. 3°. *Potestne ratione naturali demonstrari Angelorum existentia?*

R. Affirmant Theologi non pauci, probantque tum ex incantationibus Magorum, tum ex quibusdam energumenorum operationibus, quæ nec ad Deum referri possunt, cùm in illis impia deprehendantur, nec ad animas separatas, cùm anima plus non possit separata à corpore quàm conjuncta; alioquin unio ad corpus non esset illi naturalis, sed violenta & pœnalis, ut somniarunt Origenistæ: ergo illa opera refundenda sunt in substantias spirituales creatas, animâ rationali præstantiores.

Verùm quamvis argumentum illud sit probabilissimum, omninò tamen non convincit: namque seclusâ revelatione divinâ, fingi posset plures animas corporibus solutas portenta illa conjunctim operari.

Q. 4°. *Quid est Angelus?*

R. Definitur, substantia creata, omnis materiæ expers, completa & intellectualis.

Dicitur 1°. *substantia creata*, ut explodatur error Gentilium, qui Angelos custodes, quos vocabant Genios & Deos penates, quasi penes se manentes, tanquam Deos inferiores colebant.

Dicitur 2°. *omnis materiæ expers*, quo differt Angelus ab homine; rejiciturque quorumdam antiquiorum opinio, ut sancti Justini, Tertulliani, &c. qui Angelis tribuerunt corpora subtilia, per quæ ante diluvium genuerant Gigantes, de quibus Gen. 6.

Dicitur 3°. *completa*, ut distinguatur Angelus ab anima rationali, quæ quidem est substantia spiritualis, sed incompleta, & unum per se cum corpore efficiens.

Dicitur 4°. *intellectualis*, hoc est, vi intelligendi prædita, & quidem tantâ, ut Angeli simpliciter vocentur Intelligentiæ.

Ergo Angeli sunt incorruptibiles & immortales, quia non constant ex partibus quæ dissolvi possint, utpote spiritus.

Ergo Angeli ſunt homines perfectiores, ut conſtat ex Pſal. 8. in quo de homine ſic habetur, *Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis*; quem locum Apoſtolus urget Hebr. 2. ut probet Filium Dei aſſumendo naturam humanam ſe infra Angelos dejeciſſe; enimverò ſubſtantia merè ſpiritalis melior eſt ſubſtantiâ compoſitâ ex ſpiritu & corpore.

Q. 4°. *In quo Angeli hominibus excellunt?*

R. Excellunt 1°. facultate motrice, quam Scripturæ paſſim, ut in Machabæorum libris & in Apocalypſi ſtupendam exhibent. 2°. Intelligendi virtute; intellectus enim angelicus humanum tripliciter ſuperat; 1°. cùm non ſit materiæ & ſenſibus alligatus, ſemper eſt in actu, non tamen in eodem; nam tranſit ab uno ad alium. 2°. Non eſt diſcurſivus circa res naturales, ſed earum naturas intuitivè videt, concluſiones cognoſcit in principiis, cauſas in effectibus, & viciſſim effectus in cauſis.

Dixi: *circa res naturales*; circa ſupernaturales quippe Angelus diſcurrere poteſt, nec Deum naturaliter cognoſcit, niſi abſtractè. 3°. Angeli, utpote naturâ, ingenii acumine & amplitudine longè præſtantiores hominibus, atque ad majora miniſteria deputati, tum in cœlo, tum in terrâ: *Sunt enim adminiſtratorii Spiritus*, Hebr. 1. multò plura naturaliter cognoſcunt; ſi enim Deus formavit primum hominem rerum naturalium ſcientiâ inſtructum, ut habetur Eccli. 17. à fortiori Angelos puras mentes & intelligentias, quibus ſcientia non minùs eſt naturalis quàm materia formæ diſpoſitæ.

Q. 6°. *Quomodo cognoſcunt Angeli?*

R. Non cognoſcunt per propriam ſubſtantiam, utpote quæ non ſit cauſa, neque idea aut exemplar rerum, quemadmodum eſſentia divina; ſed per ſpecies ſeu ideas ipſis à Deo inditas rerum omnium naturalium ſaltem exiſtentium, quemadmodum nobis innatus eſt habitus primorum principiorum: dixi, *rerum exiſtentium*, quia Angeli non cognoſcunt omnia poſſibilia.

Q. 7°. *Angeli cognoſcuntne naturaliter futura?*

R. Cognoſcunt quæ futura ſint neceſſariò, quia continentur in ſuis cauſis, quas comprehendunt: futura verò libera non cognoſcunt niſi conjecturaliter, quia non habent neceſſariam connexionem cum cauſis ſecundis, dependentque à liberis Dei decretis & determinatione voluntatis humanæ; quare horum præſcientia Dei propria eſt, *Annuntiate quæ ventura ſunt in futurum*, ait Dominus ad idola gentium, Iſa. 41. *& ſciemus quia Dii eſtis vos.*

Q. 8°. *Angeli cognoſcuntne ſecreta cordium?*

R. Non cognoſcunt certò, niſi Deus ipſe, aut perſona cogitans ea ipſis aperuerit; ſcriptum eſt enim 3. Regum, c. 8. v. 39. *Tu ſolus noſti cor .... filiorum hominum.* Cur autem Angeli ignorant cordis aliorum ſecreta, id refundendum eſt in Providentiam divinam, quæ cordis arcana ſuo examini & judicio retinuit.

Dixi, *niſi .... perſona cogitans ea ipſis aperuit*: quia Angelis patent ſecreta noſtra, quando volumus, conſtatque ex Scripturâ Angelos ſibi invicem loqui & patefacere quid mente gerant, alioquin nulla inter eos eſſet ſocietas.

Q. 9°. *Quid eſt Angelorum locutio?*

R. Eſt unius ad alium mentis directio, ita ut Angeli, tum cenſeantur ad invicem loqui, cùm ad ſe invicem dirigunt cogitationes ſuas; ſic & nos orantes Deum, vel Angelos alloquimur.

Q. 10°. *Quomodo Angeli, per hujuſmodi directionem, acquirunt novam notitiam, cùm directio illa ſit actus immanens, nec tranſeat ad intellectum audientis?*

R. Directio illa confert ad notitiam Angeli audientis, quatenus ſolvit ſignaculum quo claudebantur proprii cordis arcana, efficitque ut cogitationes ſint perviæ Angelo audienti, quemadmodum & res cæteræ exiſtentes. Hujuſmodi itaque directio non eſt cauſa influens in alterius intellectum, ſed cauſa dumtaxat impedimentum removens, nempe velum ſupra corda expanſum, quo remoto conſilia

cordis patent Angelis sive bonis, sive malis, sicut alia objecta existentia

Q. 11°. *Locutio Angelorum estne idem quod illuminatio?*

R. Minimè, nam discipulus loquitur Magistro, & creatura rationalis Deo, non ut illuminet, sed ut discat.

Q. 12°. *Quid est ergo illuminatio?*

R. Est locutio per quam veritas ante ignorata manifestatur inferiori Angelo per superiorem, quem inferior non illuminat. Unde illuminatio pertinet ad doctrinam, quod de simplici locutione dici non potest.

Caput III.

De gratia & lapsu Angelorum.

Q. 1°. *Angeli fueruntne cum gratia conditi?*

R. Fuerunt, nam Joan. 8. Christus de Diabolo dicit, quod in veritate non steterit, id est, in justitia in qua constitutus est. Unde S. Augustinus lib. 12. de Civitate Dei, c. 9. sic scribit, *Simul ut facti sunt, ei à quo facti sunt, amore, cum quo facti sunt, adhaserunt; eoque sunt isti* (Dæmones) *ab illorum societate discreti, quòd hi in bona voluntate manserunt, illi ab eâ deficiendo mutati sunt.*

Ergo Angeli non fuerunt beati ab instanti suæ conditionis, aliàs fuissent impeccabiles.

Ergo Dæmones mali sunt non naturâ, sed propriâ voluntate, ut definitum est in Concilio Lateranensi IV. cap. *Firmiter.*

Q. 2°. *Angeli ceciderunt ne in magno numero?*

R. Communis est Patrum & Theologorum sententia Angelos cecidisse in magno numero, minori tamen quàm eorum qui steterunt; nam Apoc. 12. legitur Draconem traxisse post se tertiam partem stellarum, id est, Angelorum.

Q. 3°. *Ceciderunt ne ex omnibus Ordinibus?*

R. Negat S. Damaſcenus, lib. 2. de fide, c. 4. ubi vult Luciferum fuiſſe primum ex inferioribus Ordinibus: ſed S. Auguſtinus lib. 11. de Geneſi ad litteram, c. 26. rejicit hanc ſententiam, adhæretque communi, ſcilicet Luciferum fuiſſe ex Ordine Seraphinorum, nec Angelum habuiſſe ſuperiorem, colligiturque è Scriptura, Matth. 25. ubi dicitur ignis æternus paratus Diabolo, ſcilicet Lucifero, & Angelis ejus.

Q. 4°. *Lucifer fuitne aliis Angelis cauſa ruinæ?*

R. Affirmant communiter Patres & Theologi, colliguntque ex citato capite, Matth. 25. quo innuitur Luciferum fuiſſe auctorem defectionis angelicæ.

Q. 5°. *Quodnam fuit peccatum Luciferi?*

R. Certum eſt fuiſſe ſuperbiam, in eo quòd inordinatè, hoc eſt propriis viribus, voluerit acquirere ſuam beatitudinem, in qua ſeipſo frueretur tanquam ſibi ſufficiens, & eatenus ſimilis Altiſſimo, *Ipſe ſibi ad beatam vitam ſufficere voluit*, inquit S. Ambroſius in Pſalm. 118.

Q. 6°. *Quæ pœna conſecuta eſt peccatum Angelorum?*

R. Quadruplex, prima eſt cæcitas mentis, per quam Angeli mali ſimpliciter dicuntur tenebræ, Luc. 22. v. 53. *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Cæcitas autem illa non eſt privatio luminis naturalis, quia peccatum non deſtruit naturam; ſed eſt privatio omnis luminis ſupernaturalis. *Reprobi ſpiritus*, inquit S. Bernardus Epiſt. 77. ad Hugonem, *etſi deſtituti ſunt participatione gratiæ ſpiritalis, non tamen vivacitate induſtriæ naturalis.* Secunda eſt obſtinatio voluntatis in malo, & averſio ab omni bono, à qua denominantur Spiritus mali, ſpiritus nequam. Tertia eſt excluſio à gloria. Quarta tormentum ignis, *qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus*, Matth. 25.

Q. 7°. *Quomodo ignis corporeus torquet malos ſpiritus?*

Certum eſt ignem ratione caloris nativi quantumcumque intenſi, non poſſe torquere ſpiritus;

quia calor nimius eatenus est noxius corporibus viventibus, quatenus eorum temperiem corrumpit, & partium juncturas dissolvit; quod in substantiam spiritalem, utpote simplicem non cadit: unde S. Augustinus lib. 20. de Civit. cap. 10. scribit spiritus incorporeos posse pœnâ corporalis ignis affligi, veris quidem, sed miris & ineffabilibus modis, quos Theologi utcumque explicare conantur. Quare.

R. Ex omnibus Scholæ opinionibus verisimilior apparet quæ statuit Dæmones igne torqueri, quatenus alligantur igni eo ferè modo, quo anima rationalis ligatur corpori humano, per quam unionem fit ut cum dolore & quidem vehementissimo, ignem percipiat proprium corpus devorantem.

Hanc opinionem probat S. Augustinus l. 21. de Civit. c. 10. dummodo non credantur spiritus per illam unionem evadere animalia, hoc est, fieri unum totum substantiale ex Dæmone & igne, sicut ex anima rationali & corpore humano unitis exurgit unus homo.

Caput IV.

De numero Angelorum.

Q. 1°. *Angeli suntne in magno numero?*

R. Constat ex scripturis innumeros esse Angelos. Danielis 7. *Millia millium ministrabant ei.* Job. 25. *Numquid est numerus militum ejus?*

Q. 2°. *Numerus Angelorum exceditne numerum rerum corporearum?*

R. Res est admodum incerta; quidam, ut S. Gregorius, hom. 34. in Evang. opinantur plures esse homines quàm Angelos, numerando ab Adam usque ad finem seculi; sed S. Thomas 1. parte, quæst. 50. art. 3. absolutè definit longè majorem esse numerum Angelorum quàm rerum corporearum: *Rationabile est*, inquit, *quòd substantiæ immateriales excedant secundùm multitudinem substantias materiales incom-*

parabiliter, nititurque auctoritate lib. de cæleſti Hierarchia, c. 14. in quo ſic habet auctor, *Multi ſunt beati exercitus ſupernarum mentium, infirmam & conſtrictam excedentes noſtrorum materialiorum numerorum commenſurationem.*

Q. 3°. *Omnes Angeli ſuntne ejuſdem ſpeciei ut homines?*

R. Veriſimiliùs videtur Angelos ejuſdem Ordinis convenire in natura ſpecifica, differre verò ab aliis, præſertim ſi ſint diſtinctæ Hierarchiæ; quia ſicut pertinet ad pulchritudinem mundi corporei quòd in eo exiſtant corpora diſtinctæ ſpeciei; ſic mundus intelligibilis multò præſtantior, & ſecundùm plures Theologos, partibus locupletior, ex intelligentiarum varietate magis ſplendeſcit.

Q. 4°. *Eſtne ordo in Angelis beatis?*

R. Eſt, & quidem perfectiſſimus, juxta Eccleſiæ Collectam, *Deus, qui miro ordine Angelorum miniſteria hominumque diſpenſas.*

Q. 5°. *In quo conſiſtit ille ordo?*

R. Auctor libri de cœleſti Hierarchia, & alii deinceps, ut SS. Gregorius & Bernardus, omneſque communiter Theologi, Angelos dividunt in tres Hierarchias, & quamlibet Hierarchiam in tres Ordines, qui & Chori dicuntur ad denotandam ordinatiſſimam Angelorum ſocietatem. Chorus quippe eſt ſocietas pſallentium, in qua ne minima diſſonantia debet reperiri.

Q. 6°. *Quid eſt Hierarchia?*

R. Secundùm vim nominis Græci idem eſt ac ſacer Principatus, definiturque collectio perſonarum ſub aliquo principe ad functiones ſacras deſtinatarum.

Ergo in Dæmonibus non remanet Hierarchia, quia nullam obeunt functionem ſacram: remanet tamen in illis diſtinctio graduum eſſentialium, utpote qui ex diverſis Ordinibus & Hierarchiis ceciderint, exiſtitque inter illos nonnulla ſubordinatio & dependentia in actionibus naturalibus, propter quam Beelzebub vocatur Princeps Dæmoniorum.

Q. 7°. *Quæ ſacræ functiones competunt unicuique Hierarchiæ?*

R. S Auguſtinus, lib. contra Priſcillianiſtas, c. 11. ultrò fatetur ſe id neſcire, ſic enim ſcribit, *Eſſe itaque Sedes* (Thronos) *Dominationes, Principatus & Poteſtates in cœleſtibus apparatibus firmiſſimè credo, & differre inter ſe aliquid indubitatâ fide teneo, ſed quænam iſta ſint, & quid inter ſe differant neſcio.*

S. Bernardus, lib. 5. de Conſideratione, c. 4. conjectat ex nominibus Angelorum cujuſque Hierarchiæ, quæ ſint ſingulorum proprietates & officia, quæ S. Thomas qu. 112. art. 3. veriſimilia exhibet exemplo regiminis politici, in quo triplex eſt regiorum Miniſtrorum ordo. In primo ordine occurrunt viri primarii, qui Regi ſemper aſſiſtunt tanquam ejus familiares, & ejus præcepta immediatè audiunt. In ſecundo ordine ſunt Præfecti provinciarum, qui à Miniſtris Regi aſſiſtentibus mandata accipiunt in ſuis provinciis obſervanda & exequenda per inferiores Magiſtratus ſingularum urbium. In tertio itaque ordine ſunt illi Magiſtratus inferiores, qui mandata regia ſibi denuntiata per provinciæ Præfectos exequuntur. Atque juxta hanc ideam.

Prima Hierarchia conſtat ex Angelis aſſiſtentibus, quibus Deus immediatè ſua conſilia revelat & decreta manifeſtat, quæ primarii illi Principes Angelis ſecundæ Hierarchiæ denuntiant, ut curent executioni demandari per Angelos tertiæ Hierarchiæ.

Porrò ſicut inter eos qui aſſiſtunt Regi, unus ſolet eſſe conſcius plurium ſecretorum quàm alter, ut obſervat angelicus Doctor citato articulo ad. 4. ita Deus nonnullis ex aſſiſtentibus Angelis ſecreta ſua familiariùs communicat. Hinc inter aſſiſtentes triplex exurgit ordo: in tertio ordine collocantur Throni, ſic dicti quia Deus in iis firmiſſimè ſedere dicitur, quatenus ipſi immobiliter adhærent, & ab ipſo accipiunt rationes rerum ab inferioribus Angelis obſervandas. Licèt autem commune ſit tribus

ordinibus primæ Hierarchiæ revelationes à Deo immediatè accipere, & eatenus quilibet trium illorum ordinum Thronus vocari poſſit, ſolus tamen tertius, utpote ſpecies minùs nobilis, nomen illud retinet, & Angeli ſecundi ordinis vocantur Cherubim, hoc eſt, ſcientiarum Magiſtri, quia ampliùs hauriunt ex ipſo luminis fonte. Sed ſupra illos exiſtunt Angeli primi ordinis dicti Seraphim, id eſt, incenſi & incendentes; quia intenſiſſimum lumen, quo à Patre luminum perfunduntur, non ſolùm illos illuminat, ſed & incendit.

Secunda Hierarchia in tres ordines ſimiliter diſtributa, nempè Dominationes, Virtutes & Poteſtates, diſponit de Miniſteriis divinis ſecundùm rationes univerſales à prima Hierarchia acceptas: Dominationes quidem, tanquam Domini in familia, inferioribus denuntiant & præcipiunt quid ſit agendum; ſed ad opus externum non exeunt, nec mittuntur. Virtutes verò & Poteſtates, veluti Duces in miniſteriis divinis præſunt tertiæ Hierarchiæ, cui executio demandata eſt: Virtutes quidem, ut fert illud nomen, dant efficaciam inferioribus ſpiritibus ad exequenda divina miniſteria, quatenus miracula edunt, quibus confirmatur fides eorum quæ annuntiant Angeli: Poteſtates ordinant quæ ſunt agenda, & arcent Dæmones, ne ea impediant.

Tertia Hierarchia tota incumbit exequendis operibus per ſecundam diſpoſitis & ordinatis. In primo ordine Principatus præſunt operibus, & univerſaliora curant, putà regna, & aliàs hominum ſocietates. In ſecundo ordine Archangeli, & in tertio Angeli ſingularia adminiſtrant, illi majora, iſti minora, qualis eſt cuſtodia ſingulorum hominum.

Q. 8°. *Deputanturne Angeli ad cuſtodiam ſingulorum hominum?*

R. Conſtat deputari tum è Scriptura, Pſal. 90. *Angelis ſuis Deus mandavit de te.* Matth. 18. *Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris*, tum ex Traditione. Conſule tom. 1. cap. 6. ubi iſta fusè tractantur.

Q. 9°. *Quænam ministeria circa nos exercent Angeli Custodes?*

R. 1°. Avertunt exteriora pericula tam corporis quàm animæ nobis incognita. 2°. Animam excitant ad operandum bonum & fugiendum malum, quatenus pias cogitationes immittunt. 3°. Dæmones arcent, ne acriùs tentent. 4°. Orationes alumnorum suorum offerunt Deo, Tob. 12. Apoc. 8. 5°. Orant & intercedunt pro suis alumnis, ex S. Bernardo lib. 5. de Consideratione, c. 4. & 5. & Serm. 31. in Cant. 6°. Corrigunt & puniunt pœnis medicinalibus, ex S. Augustino lib. 9. de Civitat. c. 5. 7°. Suscipiunt è corpore egredientem justi animam, ut habetur de Lazaro, Luc. 16. in quem locum sic loquitur S. Chrysostomus, hom. de Lazaro, *Portabatur in humeris Angelorum, ne saltem ambulans laboraret, gaudet unusquisque Angelorum tale onus tangere.*

Ergo omnes functiones tertiæ Hierarchiæ spectant ecclesiasticam Hierarchiam ipsi immediatè subordinatam, quemadmodum functiones primæ Hierarchiæ secundam respiciunt, & secundæ tertiam.

Porrò ecclesiastica Hierarchia ad formam cœlestium divinitùs instituta, suis quoque gradibus perficitur. Episcopi in primo ordine sunt constituti, Presbyteri in secundo, & Ministri tertium & ultimum locum obtinent. In illis sacris ordinibus Laïci non numerantur, quia functiones eorum non sunt sacræ, utpote quæ versentur circa temporalem & civilem rerum administrationem. Laïci ergo in ecclesiastica Hierarchia passivè se habent, quatenus ab Hierarchicis Ministris purgantur, illuminantur, & perficiuntur, sicque sanctificantur, & ad Deum reducitur temporale eorum regimen.

Atque hæc ex angelico Doctore summatim exscripta sunt, ut lector uno intuitu inspiciat Deum ubique operantem, & omnia ad se reducentem, infima per media, & media per prima sibi immediatè assistentia.

CAPUT V.

De primo Homine.

Q. 1°. *ADamus fuitne omnium hominum primus?*

R. Affirmativè; nec Præadamitæ, qui fingunt Adamum dici primum dumtaxat in Genealogia Chriſti, detorquere poſſunt Scripturæ textus luce clariores. Sap. 10. v. 1. *Hæc* (ſapientia) *illum, qui primus formatus eſt à Deo, pater orbis terrarum, cùm ſolus eſſet creatus, cuſtodivit.* Act. 17. v. 26. *Fecit ex uno omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam faciem terræ.*

Dices: Rom. 5. v. 14. *Regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen, etiam in eos qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ*: ergo fuerunt homines qui in Adamo non peccaverunt, nec proinde ab ipſo procreati.

Nego conſeq, vult ſolum Apoſtolus mortem, quæ per peccatum in mundum intravit, ſæviiſſe etiam in infantes propter peccatum originale in Adamo contractum, licèt actualiter, ſeu propriâ voluntate non peccaverint ſicut Adam.

Q. 2°. *Cur homo non eſt conditus ſicut cætera creaturæ, ſcilicet voce Dei imperante, ſed unum contrectante?*

R. Ut hominis dignitas & imago Dei in eo elucens commendaretur, *Beſtias non fecerunt manus tuæ, ſed dixiſti, producat terra*, &c. inquit S. Ambroſius in Pſalm. 118. & Tertullianus lib. de reſurr. carnis: *Recogita totum illi Deum occupatum ac deditum, manu, ſenſu, opere, conſilio, ſapientiâ, providentiâ, & ipsâ imprimis affectione, quæ lineamenta ductabat.*

Q. 3°. *Quid indicant illa verba*, inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ?

R. Indicant animam rationalem, utpote ſpiritalem & incorpoream, non fuiſſe eductam ex materia, ſed

ſed à Deo inſpiratam, non quidem tanquam particulam ſubſtantiæ divinæ, ut ſomniarunt nonnulli Hæretici, ſed à Deo creatam.

Q. 4°. *Quomodo probatur animam rationalem eſſe ſpiritalem?*

R. Probatur, tum ſcripturâ, tum ratione. Scripturâ quidem, Eccl. 12. v. 7. *Antequam revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Ratione etiam, quia illa anima eſt ſpiritalis & incorporea, quæ producit effectus ſpiritales & incorporeos; atqui anima rationalis producit actus ſpiritales, contemplatur ſapientiam ac Deum ipſum, attingit poſſibilia æque ac exiſtentia, univerſalia æque ac ſingularia; habet actus reflexos, per quos ſupra ſe & ſupra omnem materiam aſſurgit, intentiones cordis diſcutit, approbat vel reprobat; de actibus ſuis diſponit tanquam domina, nec ab objectis trahitur ſicut irrationalis, ſed ſeipſam determinat etiam contra naturalem propenſionem.

Porrò omnes illi actus procul dubio ſunt ſpiritales: ergo & principium à quo procedunt; ac proinde meritò definivit Concilium IV. Lateranenſe, cit. cap. *Firmiter*, animam rationalem eſſe ſpiritalem.

Dices: Eccleſ. 2. v. 19. Similiter ſpirant omnia, & nihil homo habet jumento amplius: de terra facta ſunt, & in terram pariter revertuntur: ergo.

Diſtinguo antec. Similiter ſpirant omnia & in terram revertuntur quoad corpus & vitam animalem, concedo; quoad animam & vitam ſpiritalem, nego antecedens.

Inſtas; eo loci additur, quis novit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum: ergo.

Diſtinguo ant. quis novit ſenſu, ſupra quem pauci ſe erigunt, concedo; ratione & intelligentiâ, nego antec. Sapiens enim capite immediatè ſequenti colligit, ex eo quod in hac vita eadem ferè omnibus eveniant bonis & malis, futurum poſt hanc

vitam Dei Judicium, in quo reddet unicuique juxta opera ſua.

Q. 5°. *Anima rationalis eſtne immortalis?*

R. Solus Atheus & impius negavit animæ immortalitatem, quam ſcripturæ tam luculenter aſtruunt, Joan. 10. v. 28. *Ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum*, & in qua fundatur ſpes reſurrectionis & beatitudinis, timor Judicii, ignis æterni, & tota Religio chriſtiana.

Q. 6°. *Poteſtne probari ratione anima rationalis immortalitas?*

R. Probatur evidenter ex ejus ſpiritalitate, namque ut ſupra dicebamus de Angelis, ſubſtantia corrumpi non poteſt niſi ex diſſolutione ejus partium; atqui ſubſtantia ſpiritalis, qualis eſt anima rationalis, non componitur ex partibus, ſed eſt ſimpliciſſima: ergo corrumpi non poteſt.

Dices: gratia ſanctificans, licèt ſpiritalis, corrumpi poteſt: ergo & anima rationalis.

Nego conſeq. & paritatem, quia gratia ſanctificans & alii habitus ſpiritales ſunt accidentia quæ educuntur ex ſubjecto diſpoſito, ac proinde ab eo dependent in ſuo eſſe & conſervari, ita ut pereant cùm ſubjectum eſt malè diſpoſitum: at ſubſtantia ſpiritalis non educitur ex ſubjecto, ſed creatur: ergo ſicut non dependet ab eo in ſuo eſſe, ita nec in conſervari.

Q. 7°. *Homo eſtne factus ad imaginem Dei ſecundùm corpus?*

R. Minimè; *Imago Dei eſt intùs, non in corpore*, inquit S. Auguſtinus, Serm. 2. in Pſalm. 48. *ſed ubi eſt intellectus, ubi mens, ubi ratio inveſtiganda veritatis.* Enimverò res corporeæ non poſſunt eſſe expreſſæ ſimilitudines entis ſpiritalis & incorporei. Dicuntur ſolummodò veſtigia Dei; quia ſicut ex veſtigiis colligitur quæ ſpecies animalis pertranſierit, ſic inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, Rom. 1.

Imago autem in homine duplex eſt, alia naturalis

& eſſentialis, quæ fœdari poteſt per actus difformes naturæ rationali, ſed corrumpi omninò non poteſt, ſicut nec ipſa anima: alia accidentalis, quæ conſiſtit in donis ſupernaturalibus, ac præſertim in gratia ſanctificante, per quam juſti conſortes fiunt divinæ naturæ, 2. Petri, c. 1. filii Dei adoptivi, & conformes imagini filii ejus. Hæc imago per quodlibet peccatum mortale prorsùs deletur.

Q. 8°. *Primi parentes fueruntne conditi in gratia?*

R. Fuerunt, Eccleſ. 7. v. 30. *Fecit Deus hominem rectum*, Eccli. 12. v. 6. *Creavit illis ſcientiam ſpiritûs, & ſenſu implevit cor illorum.* Et Concilium Tridentinum, ſeſſ. 5. c. 1. Si quis non confitetur primum hominem Adam, cùm mandatum Dei in paradiſo fuiſſet tranſgreſſus, ſtatim ſanctitatem & juſtitiam, in quâ conſtitutus fuerat, amiſiſſe... anathema ſit.

Q. 9°. *Juſtitia originalis eſtne quid idem cum gratia ſanctificante?*

R. Minimè, quia per Baptiſmum & Pœnitentiam gratia cum omnibus virtutum donis, quam in Adamo amiſeramus, nobis reſtituitur, non verò juſtitia originalis: ergo juſtitia originalis plura complectitur quàm gratia ſanctificans.

Q. 10°. *Quid ultra complectitur?*

R. Perfectam ſubordinationem partis inferioris cum ſuperiore, adeo ut quemadmodum mens primi hominis pleniſſimè erat ſubdita Deo, ſic pars inferior in omnibus ſequeretur nutum rationis. Per originalem itaque juſtitiam nulla erat in homine innocente membrorum rebellio, nullus concupiſcentiæ motus, nulla imaginationis aut alterius ſenſus evagatio; paſſiones nec rationem præveniebant, nec ei imperanti reluctabantur; corpus non aggravabat animam, ſed adjuvabat, nulla in eo infirmitas, nulla ægritudo, ſive ab intrinſeco & humorum intemperie, ſive ab extrinſeco & ab ulla creatura circumſtante; rectus enim ordo deposcebat, ut quemadmodum ſpiritus Deo & corpus ſpiritui

obtemperabat, sic creaturæ inferiores, v. g. elementa, anni tempestates, & omnia animalia, ut in obsequium hominis condita erant, ita ipsi ad nutum deservirent.

Ergo primus homo in illo felici statu, sicut poterat non peccare, ita & non mori poterat; nam per peccatum mors in hunc mundum intravit, ait Apostolus, Rom. 5. Ergo si Adamus non peccasset, justitiam originalem in posteros transmisisset.

Q. 11°. *Fuissetne perpetuò mansurus in terra?*

R. Minimè; sed sine morte translatus esset ad beatitudinem; quandiù autem in terris egisset, prorsùs incertum.

Q. 12°. *Perseverante statu innocentiæ, fuissetne ordo inter homines?*

R. Fuisset, tum quia societas stare non potest sine ordine, tum quia vir naturaliter est caput mulieris.

Dices: in pœnam peccati dicitur Evæ, *& ipse dominabitur tui*, Gen. 3. ergo ante peccatum non fuisset illi subdita.

Distinguo conseq. non fuisset illi subdita cum molestiis & pœnis quas nunc patiuntur mulieres sub virorum potestate, concedo; ejusmodi quippe molestiæ sunt pœna peccati: non fuisset subdita subjectione naturali & suavi, qualis cernitur inter membra ejusdem corporis, nego consequentiam. Sic serpenti dicitur eodem capite, *super pectus tuum gradieris*, non quòd rectus antea incederet, sed quòd ille serpendi modus non fuisset illi pœnalis, sicut nunc existit propter odium & horrorem in illum conceptum.

Instas: primis parentibus adhuc innocentibus datur solùm potestas dominandi cunctis animalibus: ergo nullam potestatem acceperant in alios homines.

Distinguo consequentiam: potestatem dominationis & proprietatis, quæ inducit servitutem, concedo: nam ex S. Augustino, lib. 19. de Civit. Dei, c. 15. *nomen servitutis culpa meruit, non natura*, potestatem jurisdictionis, quantùm necessaria

est ad servandum ordinem, nego consequentiam.

Q. 13°. *In statu innocentiæ homines fuissentne propagati per carnalem generationem?*

R. Negarunt nonnulli ex SS. Patribus, ut sanctus Augustinus; sed retractavit suam sententiam, & communem amplexus est, lib. 1. Retract. c. 10. & lib. de Genesi ad litteram, c. 3. *Non video*, inquit, *quid prohibere potuerit ut essent hominibus etiam in paradiso honorabiles nuptiæ & thorus immaculatus, hoc Deo præstante fideliter justèque viventibus, ut sine inquieto ardore libidinis, sine ullo dolore laboreque pariendi fœtûs, ex eorum semine gignerentur.*

Q. 14°. *Quodnam fuit peccatum Adami?*

Certum est peccasse superbiâ, Eccli. 10. v. 14. *Initium omnis peccati est superbia*, quæ adjunctam habuit inobedientiam & inordinatam complacentiam erga uxorem: utrùm autem peccaverit contra fidem non satis constat.

Affirmat Tertullianus, l. 2. contra Marcionem c. 2. Negat verò S. Augustinus lib. 11. de Genesi ad litteram, c. 42. quia ex Apostolo Adam non fuit seductus, nec proinde falsum crediderit.

Q. 15°. *Si sola Eva peccasset, posteri fuissentne peccato obnoxii?*

R. Minimè, quia in Eva non continebamur tanquam in capite.

Q. 16°. *Primi parentes suntne veniam consecuti?*

R. Affirmativè; de iis enim sic habetur Sapientiæ 10. *Hæc* (sapientia) *illum qui primus formatus est à Deo .... custodivit & eduxit illum à delicto suo*, communisque est Ecclesiæ traditio Christum, cùm ad inferos descendit, illos inde eduxisse.

Q. 17°. *Quomodo veniam sunt consecuti?*

R. Per fidem in Christum venturum; *Non enim est in alio aliquo salus*, Act. 4. & S. Augustinus Epistolâ 102. aliàs 49. *Etiam illi justi salvi facti sunt, qui priusquàm veniret in carne, crediderunt in carne venturum; eadem namque fides est & nostra & illorum, quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum.*

Q. 18°. *Cur Filius Dei venit ad liberandum hominem potiùs quàm Angelum ?*

R. Non occurrit alia responsio quam Apostoli, Rom. 11. *Quis cognovit sensum Domini, aut quis Consiliarius ejus fuit ?* Item, *Vide bonitatem Dei in te, & severitatem in eos* qui derelicti sunt. Convenientia tamen hæc afferri potest, quòd peccatum Angelorum fuit personale, nec totam naturam angelicam infecit, sicut peccatum Adami.

TRACTATUS DE MYSTERIO INCARNATIONIS.

CAPUT I.

De ejus Nomine.

Quid intelligitur nomine Incarnationis ?

R. Secundùm vim nominis, idem est ac unio Verbi divini cum carne, juxta illud Joan. 1. *Verbum caro factum est*, ubi pars sumitur pro toto, ut Genes. 6. *Omnis caro corruperat viam suam*, & Luc. 2. *Videbit omnis caro salutare Dei.* Maluit autem Evangelista scribere, Verbum caro, quàm homo factum est; tum quia caro, utpote magis distans à Verbo, *minùs assumptibilis videbatur*, ut loquitur S. Thomas q. 5. art. 3. ad. 1. tum quia magis commendatur Dei erga nos dilectio, quâ se usque ad carnem demisit.

Cùm autem Apollinaristæ, ex laudato Joannis textu, assererent solam carnem sine anima saltem rationali fuisse à Verbo assumptam; apud veteres scriptores Græcos, pro Incarnatione legitur inhumanatio, hoc est, unio Verbi cum natura humana.

Caput II.

De possibilitate Incarnationis.

Q. 1°. *Mysterium Incarnationis estne possibile?*

R. Affirmativè; quia ab actu ad posse valet consequentia; atqui mysterium Incarnationis est actu per actum: ergo.

Q. 2°. *Potestne lumine naturali demonstrari Incarnationem esse possibilem?*

R. Non potest positivè, quia cùm mysterium Incarnationis sit supernaturale, ratio naturalis illud attingere nequit: potest autem negativè, dissolvendo scilicet omnia momenta quæ contra opponi possunt, & ostendendo lumini naturali non repugnare.

Dices 1°. Illa non possunt inter se uniri, inter quæ est distantia infinita; atqui inter Verbum & naturam humanam est distantia infinita: ergo.

Distinguo majorem: sicut alibi distantia infinita tum entitatis, tum habitudinis, concedo: entitatis tantùm, nego majorem; namque ex dictis est infinita entitatis distantia inter Deum videndum & intellectum creatum: nihilominùs intellectus creatus elevari potest ad eliciendam visionem intuitivam, per quam Deo unitur in ratione objecti propter habitudinem quam creatura intellectiva habet ad objectum intelligibile. Porrò est habitudo Verbum inter & naturam humanam, quatenus natura humana est terminabilis, & Verbum infinitè terminativum.

Dices 2°. Repugnat Verbum mutari; atqui non potest uniri naturæ humanæ in unitatem personæ, quin mutetur: ergo.

Distinguo majorem: non potest mutari intrinsecè acquirendo vel deperdendo aliquam perfectionem, concedo; non potest mutari extrinsecè per novam denominationem quæ exurgit ex termino intrinseco, nego majorem; Deus enim quando condidit mundum, factus est ex non creante Creator per

novam denominationem petitam ex creaturis, quæ sunt quid extrinsecum Deo: atqui per Incarnationem Verbum nec acquirit nec deperdit ullam perfectionem, sed solùmmodò terminat naturam humanam, à qua denominatur homo, tanquam ab aliquo ipsi extrinseco.

Instas: atqui Verbum per Incarnationem intrinsecè & substantialiter fit homo; ergo intrinsecè mutatur.

Distinguo subsumptum: intrinsecè & substantialiter fit homo, quatenus substantialiter unitur naturæ humanæ in ratione termini & suppositi, nihil prorsùs perfectionis ab ea accipiens, concedo: intrinsecè & substantialiter fit homo, accipiendo naturam humanam tanquam sui perfectivam, quemadmodùm corpus organizatum, recipiendo animam rationalem tanquam sui formam, fit substantialiter vivens: nego subsumptum.

Caput III.

De existentia mysterii Incarnationis.

Q. 1°. *Mysterium Incarnationis estne in Christo Domino impletum?*

R. Affirmativè, Joan. 1. *Verbum caro factum est*; sed cùm ista doctrina *Gentilibus* sit *stultitia*, & *Judæis scandalum*, 1. Cor. 1. utpote qui Evangelium non recipiant, aliis momentis adversùs eos astruenda est existentia Incarnationis.

§. I. *Mysterium Incarnationis asseritur adversùs Gentiles.*

Primum momentum ducitur ex Prophetiis, quæ evidenter in Christo Domino impletæ sunt, ut patebit ex paragrapho sequenti; namque *idoneum testimonium veritatis est veritas divinationis*, inquit Tertullianus Apol. 20. Origenes tanti fecit illud argumentum, ut libro contra Celsum asseruerit omnium

quæ ad Chriſti fidem aſtruendam adhiberi poſſunt, argumentum maximum hoc eſſe, quòd Chriſtus prædictus ſit à Prophetis, qui apud Judæos fuerunt.

Secundum momentum petitur ex miraculis. Illud enim myſterium evidenter eſt credendum, in cujus commendationem Deus evidentia patravit miracula; atqui in commendationem myſterii Incarnationis & doctrinæ quâ Chriſtus dixit ſe miſſum à Deo in hominum ſalutem, Deus innumera eaque evidentiſſima patravit miracula: ergo.

Majorem negare non poſſunt Infideles, apud quos duo conſtant. Primò, miraculum eſſe opus virtutis divinæ, utpote excedens omnes naturæ vires & ſupra naturalem rerum ordinem. Secundò, Deum eſſe veracem, nec quicquam poſſe facere ad confirmandum errorem.

Minor probatur ex Apoſtolorum ſcriptis, in quibus tam patentia & tam multiplicia referuntur miracula, ut ne Judæi repetitis examinibus ea inficiari potuerint. *Quid facimus*, (inquiunt Joan. 11.) *quia hic homo multa ſigna facit?* Et de claudo per S. Petrum ſanato, Act. 4. *Notum ſignum factum eſt per eos.... manifeſtum eſt, & non poſſumus negare.*

Illud inſuper movere debet Infideles, quòd Chriſtus tanquam naturæ auctor & dominus, contulerit Apoſtolis omnimodam poteſtatem operandi miracula, Matth. 11. *Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, Dæmones ejicite.* Hæc dixit, & facta ſunt. Nam Apoſtoli poſt ejus mortem & reſurrectionem mundum miraculis impleverunt; ut liquet, tum ex libro Actuum, tum ex Epiſtolis Apoſtolorum, ac præſertim ex prima ad Corinthios, capite 12. ubi Apoſtolus præſcribit quo ordine Corinthii uterentur poteſtate acceptâ patrandi miracula, adeò frequentia erant apud illos; tum ex ſcriptis eorum qui proximè Apoſtolis ſucceſſerunt. *Alii*, inquit S. Irenæus lib. 2. c. 57. & 58. *Dæmones excludunt; alii autem & præſcientiam habent futurorum; alii laborantes aliquâ infirmitate, per manûs*

impoſitionem curant & ſanos reſtituunt. Jam etiam, ut diximus, & mortui reſurrexerunt & perſeveraverunt nobiſcum annis multis. Quid autem? non eſt numerum dicere gratiarum quas per univerſum mundum Eccleſia à Deo accipiens in nomine Jeſu Chriſti crucifixi ſub Pontio Pilato, per ſingulos dies in opitulationem Gentium perficit.

Dices 1°. Scripta Apoſtolorum nullam habent auctoritatem apud Infideles: ergo ex iis perſuaderi nequeunt.

Diſtinguo antecedens; nullam habent auctoritatem divinam, & tanquam à Deo inſpiratam, concedo: nullam habent auctoritatem humanam, & qualem merentur hiſtoriæ, putà Suetonii, Taciti, &c. nego antecedens. Enimverò libri Apoſtolorum fidem faciunt Gentilibus Chriſtum extitiſſe, crucifixum ſub Pontio Pilato, quidni & operatum ea quæ in iiſdem libris referuntur geſta, non occultè, ſed in oculis omnium, ut reſurrectio Lazari, &c.

Inſtas: Gentilis ſuſpicari poteſt illa ſcripta eſſe ſuppoſititia, & à Chriſtianis poſt mortem Apoſtolorum exarata, ſicut plura Sybillarum carmina.

Contra 1°. conſtat ſcripta Apoſtolorum fuiſſe vulgata illis adhuc ſuperſtitibus; nam S. Petrus, Epiſt. 2. c. 3. laudat S. Pauli Epiſtolas, ſcribitque illas tunc fuiſſe in manibus etiam indoctorum, & SS. Clemens, Ignatius, & Polycarpus, Apoſtolorum diſcipuli, teſtimonia ex eorum ſcriptis depromunt ad erudiendos fideles. 2°. S. Irenæus auditor S. Polycarpi, & S. Juſtinus, ex ſcriptis Apoſtolorum hæreticos revincunt: idipſum præſtant Patres qui eos proximè excipiunt, ut Origenes & Tertullianus: ergo.

Dices 2°. Magi in Ægypto prodigia edidêre ſicut Moyſes; Antichriſtus etiam ſigna facturus eſt: ergo veritas doctrinæ miraculis non probatur.

Diſtinguo antecedens: prodigia quorum falſitatem Deus detexit, concedo; prodigia quæ erant vera & indubitata miracula, nego antecedens. Itaque Deus nonnunquam in vindictam quorumdam

impiorum hominum, ad tempus permittit illos illudi præſtigiis & fallaciis Dæmonum; ſed ne omnes, præſertim electi, in errorem inducantur, certis & indubitatis indiciis prodit Magorum fallacias, & confirmat operum ſuorum veritatem. Moyſis quippe virga Magorum Ægyptiorum virgas devoravit, qui coacti ſunt publicè confiteri digitum Dei in Moyſe contra illos pugnare, Exod. 7. v. 2. & cap. 8. v. 19. Sic miracula Chriſti & Diſcipulorum ejus magicas Philoſophorum & Gentilium artes traduxerunt: ſic & Prophetia Chriſti de futuris ſignis Antichriſti probabit eorum vanitatem, ſicut prædicatio Enoch & Heliæ, ſecunduſque Chriſti adventus mox ſubſecuturus.

§. II. *Myſterium Incarnationis aſſeritur adversùs Judæos.*

ILle eſt verus Meſſias, qui venit tempore à Prophetis notato, cuique ſoli competunt omnia quæ de Meſſia prædicta ſunt; atqui Chriſtus venit tempore à Prophetis notato, eique ſoli conveniunt omnia quæ de vero Meſſia prædicta ſunt: ergo.

Minor ex innumeris Prophetarum teſtimoniis probatur, duobus dumtaxat, utpote omnium celeberrimis.

Primum habetur Gen. 49. ubi Patriarcha Jacob morti proximus, cùm filiis ſuis fauſta precaretur, & quæ ipſis poſtmodum eſſent ventura, prædiceret, ſic Judam allocutus eſt: *Juda, te laudabunt fratres tui . . . non auferetur ſceptrum de Juda & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio Gentium.*

Duo continet hæc prophetia: 1°. Is mittendus dicitur, qui ſit expectatio Gentium; quod non poteſt intelligi de Cyro, Zorobabele, aut quovis alio quàm de Meſſia, ut agnoſcunt omnes veteres Judæi. 2°. Deſignatur tempus quo venturus eſt Meſſias, nempe vel antequàm deficiat, vel ſtatim atque defecerit ſceptrum de Juda, vox enim *donec* utrumque ſenſum pati poteſt.

Atqui hæc prophetia manifestè cadit in Jesum Christum Dominum nostrum; natus enim est regnante apud Judæos Herode, qui non erat de tribu Juda, sed ex genere Chanaam, scilicet ex patre Antipatre Ascalonita, qui migravit in Idumæam, ex Joseph lib. 1. de bello Judaïco, c. 5. unde Herodes cognominatur aliquando Ascalonita, aliquando Idumæus; Rexque Judæis præfectus est à Senatu Romano, nec post Herodem quisquam de tribu Juda regnavit apud Judæos: ergo post Christum Dominum Messias in lege promissus, & à Patriarcha Jacob prædictus, non est expectandus.

Dices: Sceptrum defecit apud Judæos sexcentis annis circiter ante nativitatem Christi, quando scilicet Nabuchodonosor, vastatâ Judæâ, incenso Templo, & destructâ civitate Jerusalem, Judæos cum eorum Rege catenis onusto transtulit Babylonem: ergo.

Nego antecedens; regnum enim Judæorum non fuit extinctum in captivitate Babylonica, sed solummodò intermissum cum spe illius repetendi, & reverà illud reperierunt paulò post subversum Templum, lib. 1. Esdræ, c. 4. Adde quòd in illo interregno resedit suprema potestas, seu jus vitæ & necis penes Judæorum Principes, ut patet ex historia Susannæ, Danielis 18.

Dices 2°. A diebus Machabæorum usque ad adventum Christi Domini, hoc est per 200. annos, Sacerdotes qui fuerunt de tribu Levi, præfuerunt genti Judæorum: ergo.

Nego consequentiam; namque sceptrum primariò resedit penes tribum Judam; secundariò verò tantùm & ministerialiter penes tribum Levi, quatenus summi Sacerdotes eligebantur per tribum Judam ad Rempublicam administrandam; sic hodiè apud Polonos viget regia potestas, licèt sceptrum gerant Principes exteri, quia in illa gente in Reges assumuntur.

Secundum prophetiæ testimonium ducitur ex c. 9.

Danielis, ubi Angelus Gabriel Prophetam deprecantem pro libertate populi sui, consolatur his verbis: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & Prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum.* Quis non videt ista dici de vero Messia? Pergit autem Angelus: *Scito ergo & animadverte: ab exitu sermonis*, (id est, Edicti Regis Persarum) *ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem & sexaginta duæ erunt; & post hebdomades 62. occidetur Christus; & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomadâ unâ, & in medio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, & erit in Templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* Hîc tam clarè pingitur Christus, ut videatur Propheta historiam rerum gestarum potiùs texere quàm vaticinium promere. Consule tom. 2. c. 5. ubi duo allata Prophetarum testimonia, & plura alia accuratiùs exponuntur.

Dices: ex ista Prophetia non potest colligi tempus venturi Messiæ, nisi certò numerentur anni ab Angelo prænotati; atqui certò numerari non possunt; maximè quia non constat etiam apud Catholicos de exordio, ex quo numerandæ sunt illæ hebdomades: ergo.

Distinguo majorem: non potest colligi præcisè ante oraculi eventum, transeat; post oraculi eventum, nego majorem. Porrò ex eventu potissimùm cognoscitur veritas prophetiæ. Hieremias, v. g. prædixerat Judæos Babylone in patriam redituros post 70. annos; sed quia non fixerat punctum temporis ex quo numerandi essent illi anni, Judæi non potuerunt illos numerare, nisi solutâ jam captivitate,

ex qua facile fuit retrogradiendo numerare 70. annos & devenire ad illorum exordium. Similiter cùm videamus omnes vaticinii Danielis circumstantias in adventum Christi Domini cadere, à die mortis ejus, quam Propheta prædixit futuram in medio septuagesimæ & ultimæ hebdomadis, certò ascendimus ad initium primæ hebdomadis, intelligimusque hebdomadas illas non esse dierum aut seculorum, sed annorum, ut citato loco, tom. 2. demonstravimus.

CAPUT IV.

De notione mysterii Incarnationis.

UT ex notione hujus mysterii promptiùs & faciliori viâ ac methodo confutentur varii errores, quibus Hæretici quovis seculo illud omnibus modis impugnarunt, paulò latius describi potest. Primarium Religionis Christianæ mysterium, quo Verbum inseparabiliter assumpsit veram & integram naturam humanam in unitatem personæ, ad Deum passione suâ placandum & reconciliandum generi humano.

Dicitur 1°. *primarium Mysterium*; nam ex Apostolo, 1. Cor. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Act. 10. v. 43. *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum.* Notitiam autem hujus mysterii esse necessariam necessitate medii multis probavimus tom. 2. cap. 2.

Dicitur 2°. *Verbum*, ut significetur, 1°. Christum non esse purum hominem, ut contendebat Paulus Samosatenus, cujus impiissimum errorem amplexi sunt Sociniani; sed esse verum Deum Patri consubstantialem, ut suprà demonstravimus pag. 90. 2°. Patrem non esse incarnatum, passum ut docuêre Sabelliani, qui personas non distinguebant, ac propterea dicti sunt Patripatiani. Potuit quidem Pater incarnari, quia omnipotentia & virtus termi-

nandi alienam naturam communis est tribus personis. Nec ulla foret contradictio quòd sub diverso respectu diceretur Pater & Filius; Pater quidem, quia ab æterno generat Filium; Filius quoque, quia temporaliter genitus esset ex beata Virgine, quemadmodum David, v. g. respectu Isaï est filius, & respectu Salomonis est pater. Conveniebat tamen Filium potiùs incarnari quàm Patrem aut Spiritum sanctum, quia sicut per Verbum omnia facta sunt, sic per illud reparanda videbantur. Ita sanctus Thomas, quæst. 3. art. 8.

Dicitur 3°. *Assumpsit*, hoc est, sibi univit, sibi sumpsit. Tres quidem personæ concurrerunt ad unionem hypostaticam, utpotè quæ sit opus omnipotentiæ divinæ; attamen unio ad solam filii personam terminata est. Unde solus naturam humanam assumpsit, quemadmodum is qui vestem induit, solus dicitur illam assumere, quamvis alii illum adjuvent ad illam aptandam & circumponendam.

Dicitur 4°. *Naturam humanam*, non verò hominem, quia homo est nomen concretum significans personam seu naturam subsistentem; atqui Verbum non assumpsit naturam humanam priùs subsistentem subsistentiâ humanâ, ut docuerunt Photinus & Nestorius: *Natura nostra*, inquit S. Leo, Epist. 11. *non sic assumpta est, ut priùs creata, post assumeretur, sed ut ipsâ assumptione crearetur.*

Dicitur 5°. *veram & integram*; 1°. adversùs Saturninum & Basilidem Simonis Magi discipulos, qui primo seculo docuerunt corpus Christi fuisse phantasticum, ac propterea minimè passum; quem errorem amplexi sunt secundo seculo Cerdo & Marcion, & tertio seculo Manichæus. 2°. Adversùs Apollinarem, qui quarto seculo negavit primò Verbum assumpsisse animam, cùmque ipsum tantæ amentiæ puderet, admisit animam; sed ratione carentem, fingens Verbum in Christo gerere vices intellectûs humani: *Videte absurditatem & insaniam non ferendam*, (inquit S. Augustinus, Tract. 47. in

Joan.) *animam irrationalem eum habere voluerunt, rationalem negaverunt; dederunt ei animam pecoris, subtraxerunt animam hominis.* 3°. Adversùs Monothelitas, qui in Christo agnoscebant unam voluntatem, nempe divinam, contra expressa scripturæ verba, *Non mea voluntas, sed tua fiat*, Luc. 22. Refelluntur autem ex omnibus Scripturæ textibus, ubi Christus sæpiùs dicitur homo, filius Abraham, ex semine David, Rom. 1. v. 3. natus ex Maria Virgine; homo enim essentialiter constat ex carne seu corpore & ex anima rationali, ac proinde Christus non esset verus homo, si aliquid ex iis ipsi defuisset; nec esset ex semine David, si, ut volebat Valentinus secundo seculo, accepisset corpus cœleste seu aëreum, quod per Mariam Virginem veluti per canalem transiisset nihil ab ea accipiens. Gravis olim fuit controversia in scholis, num Verbum immediatè assumpsisset sanguinem; sed post Clementem sextum sententia affirmans obtinuit, evasitque communis.

Dicitur 6°. *in unitatem personæ*, contra duos oppositos errores Eutychetis & Nestorii. Eutyches contendebat unionem factam in naturâ, adeo ut quemadmodum ex unione animæ & corporis fit una natura humana, ita ex unione divinitatis & humanitatis exurgeret una Christi natura. Nestorius ex adverso non admittebat in Christo nisi unionem accidentalem & moralem Verbum inter & naturam humanam, scilicet per charitatem, quâ justi sunt moraliter quid unum cum Deo, ut habetur Joan. 17. v. 21. & ita hæreticus ille in Christo admittebat duas naturas & personas, divinam scilicet & humanam, ac consequenter negabat beatam Virginem esse propriè Deiparam. Refelluntur autem duo illi errores, simulque asseritur in Christo unam esse personam, & duas naturas hocce Apostoli textu Philip. 2. *Cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem*

hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum. Hîc de Christo manifestè duæ prædicantur naturæ; alia quâ est in formâ Dei, alia quâ est in forma servi; per primam est æqualis Deo, & per secundam similis hominibus; hæc posterior alteri est obediens usque ad mortem, propter quod exaltatur ab alia. Atqui prædicata tam opposita non possunt convenire uni & eidem naturæ: ergo in Christo reverà duæ sunt naturæ, scilicet divina & humana; & hæc contra Eutychetem.

Contra Nestorium verò, illa prædicata quantùmcumque opposita de eadem persona enunciantur. Idem Christus dicitur Patri æqualis, hominibus similis, factus obediens & exaltatus; atqui prædicata tam opposita de eodem enunciari non possunt secundùm diversas ejus naturas, nisi substantialiter uniantur, & coalescant in unam personam seu suppositum; namque ex eo quòd Deus habitet in justo, & ei accidentaliter ac moraliter uniatur per gratiam sanctificantem, non potest dici per istam conjunctionem accidentalem fieri caro vel homo, exinaniri, obediens, vel mori, justo obediente vel occumbente: ergo cùm ista de uno Christo prædicentur, Christus reverà est una persona & unum suppositum.

At, inquies, quomodo concipi potest post unionem hypostaticam remanere in Christo duas naturas, scilicet divinam & humanam, & unicam personam, nempe divinam?

R. Facilè concipit qui tenet notionem seu definitionem tum naturæ, tum personalitatis seu subsistentiæ. Naturam definiunt Philosophi, principium motûs (id est operationis) & quietis ejus in quo est. Unde tot sunt naturæ in aliquo supposito, quot sunt principia ejus operationum: in homine, v. g. sunt duæ naturæ incompletæ, quia sunt duo diversa principia motûs & operationum, quæ in ipso sunt:

per corpus grave & corruptibile cadit nisi fulciatur, viget, deficit; per spiritum intelligit, discurrit. Personalitas autem sive subsistentia definitur ultimus terminus & complementum, quo natura tota est in se & incommunicabilis alteri. Sic Petrus, quamvis constet ex duabus naturis incompletis, corpore scilicet & spiritu, est unicum suppositum, sive unica persona; quia est quid unum totum in se & incommunicabile alteri, & ratione hujusce totalitatis de Petro prædicantur tot diversæ operationes quæ in ipso sunt; rectè enim dicitur, Petrus cadit, viget, deficit, intelligit, discurrit. Atqui in Christo Domino duo sunt principia diversarum operationum; miracula enim, putà mortuorum & sui ipsius resurrectio ex una parte, & dolores, defatigationes ex altera, arguunt diversa principia: ergo & duas naturas, divinam scilicet & humanam. Nihilominùs Christus est unum quid totum, quod adeò diversa operabatur; unus Christus mortuos & seipsum suscitavit, esurivit, doluit, mortuus est: ergo est unica persona, unicum suppositum.

Dices, inde sequitur naturam divinam æquè ac humanam in Christo amisisse suam subsistentiam seu personalitatem; ideo enim natura humana in Christo non subsistit propria subsistentia, quia est unita alteri; atqui similiter natura divina est unita alteri, nempe naturæ humanæ: ergo ambæ naturæ pariter amittunt suam subsistentiam.

Nego sequelam & paritatem pro confirmatione adductam. Ratio autem disparitatis est, quòd per unionem hypostaticam natura humana mirum in modum perficitur, ideòque non habet rationem totius, sed partis in toto, nempe Christo existentis. At Verbum, utpote infinitum in omni genere perfectionis, nullatenus perficitur per unionem hypostaticam; nec proinde pars evadit, quia cum natura humana conjunctum, non est quid majus aut melius quàm ab eâ separatum: ergo retinet rationem totius, & semper est in se. Unde Theologi docent

Christum esse compositum cum his, non verò ex his: compositum quidem, quia Christus est Deus & homo simul; cum his, quia constat ex duabus naturis; sed non ex his, quia natura divina & humana in Christo non se habent ex æquo tanquam partes.

Instas: Ex symbolo sancti Athanasii, sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus; atqui ex anima rationali & carne una fit natura completa, scilicet humana, ex quâ exurgit persona, v. g. Petrus, quæ priùs non erat: ergo ex natura divina & humana fit una natura totalis, ex qua exurgit Christus tanquam nova persona Theandrica, id est, partim divina, partim humana.

Distinguo majorem: Ita Deus & homo unus est Christus; unus, inquam, in persona, concedo; unus in natura totali, nego majorem: quia natura divina & humana non sunt duæ substantiæ incompletæ, quæ confluant in unam naturam totalem, sicut anima rationalis & caro, sed inconfusæ & impermixtæ subsistunt in Verbo, ex quo unus est Christus, scilicet in persona.

Ergo natura humana in Christo non est sui juris, sed tam ipsa quàm ejus potentiæ sunt conjunctum instrumentum Verbi, quo ita agit & operatur, ut ex earum operationibus denominetur agens & operans; quemadmodum enim de puro homine propriè non dicitur, oculus ejus videt, voluntas ejus amat, brachium ejus operatur, sed propria locutione dicendum est, homo, qui est suppositum, seu persona, oculis videt, voluntate amat, brachio operatur, quia actiones sunt suppositorum: sic ubi sermo est de natura assumpta à Verbo, figurata est locutio, si dicatur quòd videat, amet & operetur; sed ut servetur proprietas sermonis, dicendum est, Verbum incarnatum, seu Christus, videt, amat, operatur nimirùm per potentias humanas, quas unione hypostaticâ fecit suas.

Ergo in Christo agnoscenda est communicatio

idiomatum, hoc est mutua & reciproca attributorum & proprietatum divinæ & humanæ naturæ de se invicem & de Christo prædicatio, nominibus tamen concretis: v. g. Deus est homo, homo est Deus; Deus est passus, mortuus, homo est immortalis, æternus, &c. sensus enim est quod Christus habens humanitatem, mortalitatem, &c. sit etiam habens divinitatem, æternitatem.

Dixi, *nominibus tamen concretis*; quia nomina abstracta, ut divinitas, humanitas, æternitas, mortalitas, significant solummodò formam; atqui falsum est quòd divinitas sit humanitas, æternitas sit mortalitas, omnipotentia sit infirmitas: contra verò concreta significant subjectum & formam; album, v. g. & dulce in lacte significant lac habens albedinem & dulcedinem. Unde rectè dicitur lac est album, est dulce; item dulce est album, & album est dulce, non verò lac est albedo aut dulcedo. Item albedo est dulcedo.

Ergo natura humana in Christo est ineffabiliter sancta sanctitate substantiali, quia subsistit in Verbo, quod est ipsa sanctitas substantialis, & naturæ humanæ ultimum complementum substantiale.

Ergo natura humana in Christo est absolutè impeccabilis, quia repugnat dicere Verbum divinum peccare: id autem propriè de illo diceretur in hypothesi quòd natura humana in illo peccaret, quia actiones sunt suppositorum.

Ergo Christus propriè neque est creatura, quia nomen illud designat suppositum seu personam, quæ in Christo est increata; neque etiam servus, quia servus significat personam extraneam, quæ jus non habet ad hæreditatem. Ratione tamen officii Christus in Scripturis nonnunquam vocatur servus, sed eo sensu quo Filius dicitur servire Patri, cùm injunctum opus exequitur. Veteres etiam non timuerunt Christum nominare creaturam ratione humanitatis, quæ creata est; sed impropria est locutio, à quâ abstinendum.

Ergo Christus est Filius Dei, non adoptivus, sed naturalis; quia non est persona extranea ad hæreditatem assumpta, sed à Deo Patre genita in similitudinem naturæ.

Nec dicas Christum, ut homo est, non esse in similitudinem naturæ divinæ, sed humanæ; namque ex dictis homo est nomen concretum significans in Christo subjectum habens naturam divinam & humanam; atqui habens naturam divinam & humanam est Verbum quod procedit in similitudinem naturæ divinæ, non verò humanæ: ergo Christus, etiam ut homo, est filius Dei naturalis.

Ergo beata Virgo verè est Deipara, seu mater Dei, quia generatio terminatur ad personam, non ad naturam; non enim propriè dicitur natura humana genita, sed homo genitus; atqui homo quem beata Virgo ex sua substantia genuit, est Deus: ergo verè est Deipara. *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* inquit sancta Elisabeth ad beatam Virginem, mox ut conceperat de Spiritu sancto, Luc. 1.

Quòd si quæras cur Spiritus sanctus non æquè dicatur Pater Christi, cùm non minùs ad Incarnationem contulerit quàm beata Virgo; respondebitur, quia nihil contulit ex propria substantia, quemadmodum beata Virgo: ad generationem autem propriè dictam necesse est ut generans communicet propriam substantiam, ut diximus tractatu de Trinitate.

Ergo Christus est adorandum unico cultu, eoque supremo, quem Latriæ vocant, quia adoratio terminatur ad personam, debetque respondere ejus excellentiæ, quæ in Christo est increata & infinita.

Ergo actiones Christi, licèt physicè & secundùm entitatem spectatæ essent finitæ, nihilominùs moraliter & secundùm valorem à persona agente derivatum, fuerunt meriti infiniti; constat enim apud omnes quòd actio desumat suum valorem & meritum à dignitate & excellentia personæ à qua procedit: v. g. salutatio honorifica à Rege delata, quamvis

physicè spectata, sit ejusdem rationis cum simili salutatione personæ inferioris gradûs, attamen moraliter longè pluris æstimatur.

Porrò actiones humanitatis Christi erant à personâ infinitè digna. Imò (quod hîc præcipuè est advertendum & ponderandum) quædam Christi actiones, ut oratio, adoratio, satisfactio & actus obedientiæ, non solùm erant à persona divina, sed illam includebant; quia persona adorans, satisfaciens & obediens, non solùm actus adorationis, satisfactionis & obedientiæ, sed seipsam quoque offert, dejicit, & subjicit. Ipse Christus in formâ Dei æqualis Patri, idem ipse in forma servi factus est obediens usque ad mortem, Phil. 2. *Semetipsum obtulit immaculatum Deo*, Hebr. 9. v. 14.

Dices: persona divina non potest dejici nec subjici: ergo.

Distinguo anteced. non potest subjici directè & secundùm se præcisè spectata, concedo; indirectè & ratione naturæ assumptæ, nego antecedens; quia ut sæpiùs diximus, actiones sunt suppositorum, ac proinde Christus per humanitatem orans, adorans & obediens, seipsum dejiciebat & subjiciebat.

Ergo Christus infinitè meruit & satisfecit ultrà debitum offensæ, quantùmcumque supponatur infinita, sive ob gravitatem, sive ob multitudinem, quia in satisfactionem obtulit personam divinam, quæ est pretium substantialiter infinitum in omni genere perfectionis; offensa verò est infinita dumtaxat moraliter & derivatè à dignitate Dei offensi, & vilitate creaturæ offendentis. *Multò plura his quæ debebamus, dependit Christus, quantò mare immensum ad pusillam aquæ guttam collatum esse possit*, inquit S. Chrysostomus, hom. 10. in Epistolam ad Romanos.

Dicitur 7°. Verbum inseparabiliter assumpsisse naturam humanam, 1°. ut significetur Verbum in triduo mortis mansisse substantialiter unitum corpori in sepulchro, animæ descendenti ad inferos: *Sic in sepulchro carnem suam commoriendo non deseruit*,

ſicut in utero Verbum connaſcendo formavit, inquit S. Auguſtinus; alioquin Chriſtus nec fuiſſet ſepultus, ſed ejus corpus, nec ad inferos deſcendiſſet, ſed ejus anima. Unde celebre in Scholis effatum, quòd ſemel Verbum aſſumpſit, nunquam dimiſit. 2°. Ut excludatur error eorum qui, repugnante ſcripturâ, docuerunt poſt extremum judicium, expleto Chriſti miniſterio, humanitatem in nihilum redituram, ait enim Angelus, Luc. 1. *Regni ejus non erit finis*; & Apoſtolus, Heb. 7. *Hic autem eo quòd maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium.*

Dicitur denique, *ad Deum paſſione ſuâ placandum*, quibus verbis 1°. notatur Incarnationis finis, qui in ejus deſcriptione prætermitti non debuit, cùm beneficium imprimis æſtimetur ex fine & ex commodis quæ inde proveniunt: finis autem Incarnationis eſt reconciliatio generis humani cum Deo, qui licèt peccato offenſus, *ſic dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret ... ut ſalvetur mundus per ipſum*, Joan. 3.

Ergo Incarnatio ſupponit peccatum; adeo ut ſi homo non peccaſſet, Filius Dei incarnandus non fuiſſet. *Non veni vocare juſtos*, inquit Matth. 9. *ſed peccatores.* Hinc exclamat Eccleſia in Cantico, *O felix culpa, qua talem ac tantum meruit habere Redemptorem.*

2°. Iiſdem verbis excluduntur duo errores: primus eſt Socinianorum, qui contendunt Chriſtum miſſum fuiſſe ut homines verbo & exemplo doceret, ac pro illis interpellaret, in proprio ſanguine, non verò ut Deum placaret, eique ſatisfaceret pro peccatis; quæ impietas refellitur vel ex ſola Epiſtola ad Hebræos, in qua Apoſtolus à capite 5. ad caput 10. totus eſt, ut oſtendat Chriſtum ſe obtuliſſe in ſacrificium & hoſtiam piacularem pro peccatis.

Nec dicas indignum eſſe ſapiente offendi & iraſci adversùs vermiculum, qui contra ipſum caput erigeret; inde enim concludere liceret Deum non curare res humanas, nullamve habere rationem bonorum

& malorum operum. Certè si Deus malis operibus non offenditur, nec bonis honoratur, nec colitur: si illa non ulciscitur, nec ista remunerat, quod solus Atheus dixerit.

Alter error, qui iisdem definitionis vocibus exploditur, est quorumdam Eutychianorum, qui ideo dicti sunt incorrupticolæ, quòd docerent Verbum non assumpsisse defectus humani corporis, scilicet, famem, fatigationem, dolores, cùm tamen Christus, Isaiæ 53. dicatur vir dolorum, sciens infirmitatem: cùm Matth. 4. esurierit, Jo. 4. fatigatus fuerit ex itinere, Mat. 26. tristis fuerit usque ad mortem. *Esurivit*; inquit Hilarius in Psal. 53. *sitivit, dormivit, lassatus fuit, mœstus fuit, & flevit, & passus & mortuus est.* Unde patet quòd S. Doctor vel revocavit quæ scripserat lib. 10. de Trinit. scilicet ictus & vulnera dolorem passionis Christo non intulisse; vel benignè interpretando ejusmodi verba, eo nimirum sensu quòd Christus doloribus & aliis corporis defectibus naturaliter obnoxius non fuerit, cùm sint pœna peccati, sed illos liberâ voluntate & per insigne miraculum assumpserit, ita tamen ut ab iis obtutus non fuerit, *Pro his rogat dicens*, inquit c. 31. in Mat. *transeat à me calix, id est, quomodò à me bibitur, ita & ab iis bibatur, sine spei diffidentiâ, sine sensu doloris, sine metu mortis*, hoc est, sine sensu & metu animam obruente; neque enim Martyres fuerunt omnis doloris expertes.

Dixi Christum assumpsisse defectus corporis, non verò defectus animæ, putà ignorantiam, concupiscentiam, sensuum & appetitûs inordinationem, quia ejusmodi defectus fini Incarnationis obessent, nedum conferrent, sicut defectus corporis: ergo metus mortis & tristitia in Christo rationem non anteverterunt, sed ejus imperio parûerunt, nec ulteriùs fuerunt progressa.

Caput V.

Caput V.

De neceſſitate Incarnationis.

Q. *Incarnatio fuitne neceſſaria?*

R. 1°. Abſolutè non fuit neceſſaria, quia Deus potuit vel hominem peccatorem punire, quemadmodum Angelos perduelles, vel averſum per gratiam ſuam convertere, & offenſam condonare. *Si omnibus debitum damnationis ſupplicium redderetur, non injuſtè redderetur*, inquit S. Auguſtinus lib. de nat. & grat. c. 5. & lib. de Agone chriſtiano, c. 11. *Sunt ſtulti*, inquit, *qui dicunt, non poterat aliter ſapientia Dei homines liberare, niſi ſuſciperet hominem ... quibus dicimus, poterat omnino*; optimi enim eſt Principis veniam aliquando dare ſubditis pœnitentibus & Reipublicæ profuturis.

R. 2°. Incarnatio fuit neceſſaria ex hypotheſi quòd Deus plenè & perfectè ſibi ſatisfieri voluerit, nec ulla pura creatura, etiam gratiis ornata, id præſtare potuit, quia injuria creſcit pro vilitate perſonæ nocentis & dignitate perſonæ læſæ; contrà verò ſatisfactio iiſdem capitibus decreſcit. Patet exemplo: Magiſtratus, v. g. alapâ percuſſus, majori injuriâ afficitur ſi percuſſor ſit ex infima plebe, quàm ſi ſit æqualis dignitatis; quia perſona ejus per plebeium magis deprimitur quàm per æqualem: at longè minor erit ſatisfactio plebeii qui ſe offerret ad ſuſtinendam ſimilem contumeliam, quia ex dejectione vilis perſonæ vix aliquis effluit honos in Magiſtratum, magnus verò, ſi eò ſe deprimat perſona in ſimili dignitate conſtituta. Porrò diſtantia eſt infinita majeſtatem Dei inter & creaturæ vilitatem, ac proinde infinita quoque creaturæ in Deum offenſa, & ejus ſatisfactio qualiſcumque, quaſi nulla: *Omnes Gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum & inane reputata ſunt ei*, Iſaiæ 40.

Hæc ratio efficaciter concludit, etiam in hypothesi, quòd offensa in Deum non sit intrinsecè infinita ut peccatum veniale, quia etiamsi gravis contumelia Regi terreno irrogata, non sit infinitæ malitiæ; reus tamen pro ea condignè satisfacere nequit propter distantiam quæ inter ipsum & dignitatem regiam intercedit. Poterit tamen satis pati, sicut & justus, pro peccato veniali, quia malitia finita non meretur nisi pœnam finitam.

Caput VI.

Utrùm natura humana in Christo præter unionem hypostaticam aliarum gratiarum donis fuerit ornata.

R. Habuit ab instanti conceptionis plenitudinem scientiæ in intellectu, & in voluntate gratiæ sanctificantis, omniumque virtutum quæ imperfectionem non involvunt, quemadmodum fides, pœnitentia, Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratia & veritatis.*

Q. 1°. *Quotuplex in Christo distinguitur scientia?*

R. Triplex.

Prima est scientia beata, quâ Deum intuitivè videbat, Joan. 1. *Deum nemo vidit unquam, unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Unde S. Augustinus, lib. de consensu Evang. capite ultimo, scribit Christo soli concessum fuisse videre Deum in hac vita; & hæc propositio, quamvis non sit de fide, constans est tamen apud omnes Catholicos.

Secunda est scientia supernaturalis infusa, quâ Christus cognoscebat omnia etiam contingentia, sive præterita, sive præsentia, sive futura, secreta quoque cordium, saltem usque ad diem Judicii; hanc enim scientiam exigit officium Mediatoris, Judicis & Capitis omnium hominum.

Tertia est scientia naturalis seu Philosophia; magis enim pertinuit ad perfectionem secundi Adam quàm primi, ut naturas rerum cognosceret, colligeretque effectus ex causis, & vicissim causas ex effectibus. Hæc scientia dicitur acquisita, non quòd studio Christus illam acquisierit, infusione enim illam accepit sicut primus Adam, sed quòd naturaliter acquiri potuerit.

Dices: Luc. 2. habetur: *Jesus proficiebat sapientiâ, & ætate, & gratiâ*: ergo.

Distinguo ant. proficiebat quoad usum & exercitium, quatenus perfectiora in dies opera edebat, concedo: proficiebat quoad habitum, quasi novos gradus sapientiæ & gratiæ acquireret, nego antecedens: habetur etiam Heb 5. *Didicit ex eis quæ passus est obedientiam*, hoc est, expertus est, quòd jam noverat. Et Marci 13. v. 32. *De die autem illo vel horâ* (extremi Judicii) *nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater*: quia Christus diem illum noverat per solam visionem beatificam, cujus nullus est usus in societate humana: unde si Confessarius absque mendacio negare potest se nosse quod in confessione sacramentali audivit, à fortiori Christus, quæ in Verbo videbat.

Ergo Christus fuit comprehensor simul & viator: comprehensor secundùm partem superiorem, in qua ex visione Dei summo fruebatur gaudio; quod insigni miraculo continuit, ne in inferiorem partem effluereet, secundùm quam erat viator, doloribus obnoxius. Videat ergo lector quis membrorum consensus cum capite, si ad dolorem vitandum miracula expeterent, cùm Christus ad patiendum miracula ediderit.

Q. 2°. *Quotuplex est in Christo gratia?*

R. Duplex, alia quæ competit ei ut est homo singularis; alia quæ dicitur gratia capitis, ipsi concessa quatenus est caput hominum.

Q. 3°. *Differuntne ejusmodi gratiæ?*

R. Non differunt entitativè, sed moraliter &

reſpectivè dumtaxat, ſicut aqua, quæ implet fontem & quæ effluit in rivum, entitativè eſt eadem aqua, reſpectivè verò diverſa; nam gratia capitis eſt ipſamet gratia humanitatem Chriſti perficiens, ſed ſpectata prout moraliter derivatur in homines. *De plenitudine ejus omnes accepimus*, Joan. 1.

Q. 4°. *Gratia capitis eſtne propria Chriſti?*

R. Eſt; quia Deus cum nullo alio pactum iniit, ut eſſet aliis cauſa ſalutis æternæ, *Non eſt in alio aliquo ſalus*, Act. 4. v. 12.

Q. 5°. *Gratiarum plenitudo eſtne Chriſti propria?*

R. Duplex eſt gratiæ plenitudo; alia ex parte objecti, ſeu ipſius gratiæ: alia ex parte objecti gratiam recipientis. Plenitudo gratiæ ex parte objecti dicitur quando poſſidetur omnis gratia, ſicut ignis habet plenitudinem caloris ex parte objecti, ſi ſupponatur continere omnem calorem ex quo cætera fiunt calida. Plenitudo gratiæ ex parte ſubjecti dicitur quando ſubjectum, etſi non poſſideat omnem omninò gratiam, habet tamen eam omnem quæ competit ejus ſtatui, quemadmodum homo fruens perfectâ ſanitate habet plenitudinem caloris ex parte ſubjecti, quia nihil caloris ipſi deeſt ad perfectam ſanitatem.

Jam verò Chriſtus utroque modo fuit gratiâ plenus; ſed plenitudo illa, ſi ſpectetur ex parte objecti, eſt ipſi propria; quia ſolus eſt omnium gratiarum fons & origo: ſi autem ſpectetur ex parte ſubjecti, eſt ipſi quodam modo communis cum pluribus; namque S. Stephanus dicitur plenus gratiâ & fortitudine, Act. 6. S. Joannes Baptiſta repletus eſt Spiritu ſancto ex utero matris ſuæ, Luc. 1. & beata Virgo ibidem ſalutatur gratiâ plena.

Attamen ſicut alia eſt plenitudo rivuli, alia fluminis, alia maris, ſecundùm alvei anguſtiam vel latitudinem, ſic pro diversâ amplitudine ſubjecti, diverſa quoque eſt ejus gratiæ plenitudo: unde minor S. Stephani plenitudo quàm S. Joannis Baptiſtæ, quia officium Diaconi tot dotes non requirit

quot officium Præcurſoris; nec plenitudo matris Dei, quantùmcumque excedat plenitudinem Præcurſoris, propter ſingularem matris dignitatem, accedit ad plenitudinem gratiæ quæ competit unigenito Dei Filio.

Q. 6°. *Gratia Chriſti eſtne infinita?*

R. Phyſicè non eſt, quia nihil creatum poteſt eſſe entitativè infinitum; unde ſecundùm potentiam Dei extraordinariam major poſſet produci gratia: moraliter tamen poteſt dici infinita, quatenus ſumma eſt, quæ eſſe poſſit ſecundùm Dei ſapientiam & potentiam ejus ordinariam.

Dices: gratia ſanctificans admixtam habet imperfectionem, cùm ſit adoptio & filios adoptivos conſtituat: ergo Chriſtus non habuit gratiam ſanctificantem.

Nego antecedens, cujus confirmationem diſtinguo: gratia ſanctificans eſt adoptio in perſona extranea & creata, concedo; in perſona conſubſtantiali, nego: ſic torques à Rege conceſſus proprio filio non adoptat illum in cognatum Regis, quemadmodùm adoptat cæteros nobiles.

Caput VII.

De Merito Chriſti.

Q. 1°. *Meruitne Chriſtus?*

R. De fide eſt meruiſſe; *Humiliavit ſemetipſum factus obediens . . . propter quod & Deus exaltavit illum*, Philip. 2. *Factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ*, Heb. 5. Et ratio eſt, quia ad meritum tria requiruntur. Primum, bona opera ſupernaturalia; ſecundum, perſona Deo grata liberè operans & in ſtatu vitæ poſita; tertium, pactum quo Deus promiſerit præmium & mercedem ſic operanti: atqui hæc tria in Chriſto adhuc mortali concurrerunt, opera ejus erant ſupernaturaliter bona, perſona Deo infinitè grata, liberè & in ſtatu

vitæ operabatur ; Deus promiserat præmium & mercedem bonis ejus operibus, Isa. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.*

Dices : Christus ex dictis erat impeccabilis : ergo caruit libertate, ac proinde non meruit.

Distinguo conseq. caruit libertate contrarietatis, concedo ; libertate contradictionis saltem quoad exercitium, nego conseq.

Multiplex itaque distinguenda est libertas à necessitate ; alia dicitur contrarietatis, quâ quis potest facere contraria, bonum scilicet & malum, & hæc libertas à Christo exu'avit, cùm sit imperfectio posse deficere. Alia est libertas contradictionis, in eo sita quòd homo possit bonum velle seu facere, & non velle seu non facere, quando præceptum non est : si enim præciperetur, omissio illius esset mala, ac proinde bonum illud non posset omitti sine libertate contrarietatis. Sed libertas contradictionis subdividitur in libertatem specificationis, ut vocant, quâ quis est indifferens ad hoc specie bonum, vel ad aliud, quando neutrum præcipitur ; & talis libertas est in beatis, in Deo quoque perfectissima, nec Christo deneganda, ubi præceptum non urgeret. At urgente præcepto, v. g. moriendi, non erat liber libertate specificationis ; quia, ut jam monuimus, voluntas non potest sine peccato respuere opus præceptum : *Quomodo implebuntur scripturæ ? quia sic oportet fieri*, ait Dominus ad Petrum, Matth. 26.

Sed præter libertatem specificationis est alia libertas contradictionis, quæ dicitur libertas exercitii, quâ voluntas potest exercere hunc vel illum actum, licèt sit determinata ad unum etiam numero objectum, quod demonstratur uno & altero exemplo. Sancta Apollonia, referente Sancto Dionysio Alexandrino, Epistolâ ad Fabium, apud Eusebium, lib. 6. Hist. c. 41. sponte & proprio motu insiliit in rogum accensum & sibi præparatum. Porrò motus ille tum voluntatis, tum corporis, fuit liber & laude dignus, etiam judicio S. Dionysii : liber, in-

quam, non libertate ſpecificationis, quia hæc ſupplicii species erat ab iniquo Judice determinata, & ab electione ſanctæ Martyris independens, ſed libertate exercitii, quatenùs intrepida Virgo præveniens carnificis miniſterium, in rogum ſponte & liberè ſe conjecit; diſpoſuit enim de illo actu, potuitque illum non ponere. Idem videre eſt in reo ad mortem damnato & ſtipiti jam alligato; ſi ex deſperatione præveniat carnificem & ex ſcalâ ſeipſum præcipitet, graviter peccat, æterniſque ſuppliciis dignus eſt, utpote qui liberè libertate non ſpecificationis, ſed exercitii ad tantum flagitium ſe determinaverit: ergo ad merendum aut demerendum libertas contrarietatis aut ſpecificationis non eſt abſolutè neceſſaria, ſed ſufficit libertas exercitii, per quam homo verè & propriè ita eſt dominus ſui actûs ut poſſit eum non ponere. Atqui Chriſtus libertate exercitii mandatum Patris adimplevit, ut patet ex hiſtoria Paſſionis, *Ut cognoſcat mundus*, inquit Joann. 14. *quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater* (ſcilicet moriendi) *ſic facio: ſurgite, eamus hinc*, ſcilicet quò faciliùs à militibus comprehenderetur: quin exiit eis obviam, Joan. 18. *Proceſſit & dixit eis, quem quaritis?* Denique liberè, & ut voluit, emiſit ſpiritum, probans quod dixerat Joan. 10. *Nemo tollit eam* (animam) *à me, ſed ego pono eam à me ipſo.*

Q. 2°. *Quibus meruit Chriſtus?*

R. Sibi & nobis, ut patet ex textibus laudatis in præcedenti reſponſione.

Q. 3°. *Quid ſibi meruit?*

R. Corporis gloriam & nominis exaltationem, Philip. 2. *Propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen.*

Non meruit autem ſibi gratiam ſanctificantem & alia virtutum dona, tùm quia ſunt appendices unionis hypoſtaticæ, & inſignia naturali Dei Filio debita; tùm quia ab inſtanti conceptionis, & priùs ſaltem quàm natura poſſet operari, accepit tantam

gratiarum plenitudinem, ut in vitæ decursu nec creverit, nec secundùm ordinariam Dei potentiam crescere potuerit.

Multò minùs Christus mereri potuit unionem hypostaticam, quæ est principium omnis ejus meriti; cùm principium meriti cadere non possit sub meritum.

Ergo à fortiori SS. Patriarchæ non potuerunt mereri Incarnationem, quæ in decreto divino præsupponebatur tanquam causa omnis humani meriti.

Meruerunt tamen de congruo aliquas Incarnationis circumstantias: Abraham, v. g. & David meruerunt ut Christus ex eorum stirpe nasceretur; beata Virgo, ut, supposito Incarnationis decreto, præ aliis eligeretur in matrem Dei.

Dixi 1°. *de congruo*: cùm enim gratia non ordinetur nisi ad beatitudinem consequendam, nec beata Virgo, nec SS. Patriarchæ per eam de condigno meruerunt ullas circumstantias Incarnationis, sicut nec justus bona temporalia.

Dixi 2°. *Supposito Incarnationis decreto*, quia beata Virgo nec meruit, nec mereri potuit simpliciter & absolutè ut Verbum carnem assumeret ex muliere; sed in hypothesi quòd Filius Dei nasciturus esset ex muliere, meruit ut ipsa præ cæteris mulieribus tanquam dignior eligeretur.

Q. 4°. *Quid Christus nobis meruit?*

R. Meruit nobis vitam æternam & omnes gratias ad illam consequendam necessarias: *Benedixit nos in Christo in omni benedictione spiritali in cœlestibus*, Ephes. 1.

Q. 5°. *Meruitne omnibus, seu quod idem est, mortuusne est pro omnibus & singulis hominibus?*

Extra controversiam est non omnes mortis Christi beneficium recipere, id agnoscunt Patres Tridentini, sess. 6. cap. 3. & patet in infantibus sine baptismo decedentibus, hi enim nullum fructum ex Passione Christi percipiunt.

Certum est etiam Christum obtulisse sufficiens pretium ad salvandos non solùm omnes homines,

ſed etiam omnes dæmones: quæſtio igitur ſolùm eſt utrùm Chriſtus actu & de facto ſanguinem ſuum obtulerit pro ſalute omnium hominum.

Reſpondeo affirmativè; nam Apoſtolus, Rom. 5. Chriſtum cum Adamo componens, ſic ait: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationes.* Hîc redemptio tam latè patet quàm damnatio; atqui damnatio ex uno in omnes & ſingulos homines deſcendit: ergo. Idem argumentum urgetur ab Apoſtolo, 2. Cor. 5. *Si unus*, inquit, *pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* Ubi probat Apoſtolus omnes & ſingulos in Adamo fuiſſe mortuos, ex eo quòd Chriſtus pro omnibus ſit mortuus; nulla autem eſſet conſequentia, ſi Chriſtus pro aliquibus non eſſet mortuus. Unde S. Auguſtinus Julianum negantem peccatum originale, ſic inſectatur lib. 6. cap. 4. *Probavit Apoſtolus omnes mortuos eſſe, quia pro omnibus mortuus eſt unus, impingo, inculco, infero recuſanti: accipe, ſalubre eſt, nolo moriaris, unus pro omnibus mortuus eſt.* Denique Innocentius X. & Alexander VII. hanc Janſenii propoſitionem numero quintam, *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe aut ſanguinem fudiſſe; ſed mortuus eſt dumtaxat pro ſalute prædeſtinatorum*, damnarunt ut falſam, temerariam & ſcandaloſam, quoad primam ejus partem; & ut impiam, blaſphemam, & hæreticam, quoad ſecundam ejus partem.

Dices: Chriſtus, Matt. 26. dicit ſanguinem ſuum pro multis effundendum: ergo non pro omnibus.

Nego conſequentiam, nam vox *multi* aliquando collectivè ſumitur, ut multus exercitus; aliquando diſtributivè, ut multi ex exercitu. Porrò collectivè hîc ſumitur, idemque ſignificat ac omnes; ait enim Apoſtolus 2. Cor. 5. *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* Et Rom. 5. voces illas *multi & omnes* promiſcuè uſurpat ad unum & idem ſignificandum: *Sicut per*

unius delictum, inquit, *in omnes homines in condemnationem; sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem; sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obeditionem justi constituentur multi.* Hìc *multi* & *omnes* idem prorsùs significant.

Caput VIII.

De Titulis Christi.

Q. 1°. *Quibus titulis insignitur Christus?*

R. In Scripturis hi præcipuè numerantur.

1°. Est Filius Dei naturalis, non adoptivus, ut demonstravimus cap. 4.

2°. Est Rex non solùm secundùm divinitatem, ut patet, sed etiam secundùm humanitatem, Psalm. 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem . . . ejus.* Luc. 1. *Dabit illi Dominus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum:* atqui Christus rex non est constitutus ut Deus, cùm titulum illum necessariò ex natura divina habeat, æquè ac Pater & Spiritus sanctus: ergo. Cùm autem Rex sit Subditorum caput, jusque habeat iisdem imponendi leges, & de illis judicandi, hinc Christus.

3°. Est caput hominum & Angelorum, Ephes. 1. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ejus.* Et Coloss. 2. *Estis in illo repleti, qui est caput omnis principatûs & potestatis.*

4°. Est Legislator, Joan. 14. *Si diligitis me, mandata mea servate* Unde Concilium Tridentinum, sess. can. 22. contra Lutheranos Legislatoris titulum Christo denegantes, sic definitur: *Si quis dixerit Christum Jesum à Deo hominibus datum fuisse ut Redemptorem cui fidant, non etiam ut Legislatorem cui obediant, anathema sit.*

5°. Est Judex, Joan. 5. *Pater omne judicium dedit Filio.*

6°. Est Sacerdos, Psalm. 109. *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Quem locum Apostolus de Christo interpretatur, Heb. c. 5. & sequentibus. *Unus verus Rex*, (inquit S. Augustinus, lib. 3. de consensu Evang. cap. 3.) *quia & unus verus Sacerdos; illud ad regendum nos, istud ad expiandos.*

Dicitur 1°. *Sacerdos in æternum*, quia non habet successores, sed Vicarios; summus Pontifex, v. g. succedit quidem Petro, ut qui per mortem prohibitus sit permanere, sed non succedit Christo, qui, *Eò quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium*, Heb. 7.

Dicitur 2°. *Secundùm ordinem Melchisedech*, non quòd Melchisedech sit fons & origo Sacerdotii legis novæ, quemadmodum Aaron Sacerdotii Levitici, sed quòd Melchisedech præfiguraverit Sacerdotium à Christo instituendum.

Porrò Christus Sacerdos non est secundùm naturam divinam, ut falsò contendit Calvinus; quia Sacerdotis est sacrificium offerre, orare, ac proinde superiorem agnoscere; quæ procul dubio non competunt Christo, nisi ratione humanitatis, secundùm quam dixit, Joan. 14. *Pater major me est.* Unde S. Augustinus ait, *Christus ut homo, pro nobis est orator; ut Deus, est cum Patre exaudítor.*

7°. Est Mediator Dei & hominum, 1. Tim. cap. 2. *Unus Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus.* Et ratio est quia ille propriè & absolutè est Mediator inter Deum & homines, qui sponsor est Deo pro hominibus, qui pro iis planè satisfecit, eosque per sua merita in Dei gratiam reduxit: atqui Christus ea omnia præstitit, non per naturam divinam, ut vult Calvinus, sed per naturam humanam, non quidem nudè spectatam, cùm per se solam non potuerit condignam, hoc est, infinitam exhibere satisfactionem; sed in Verbo subsistentem, hoc est,

Christus Mediator fuit & Sacerdos, ut homo Deus, seu ut homo subsistens personâ divinâ, ita ut persona divina fuerit principium quod meditationis Christi, & natura humana principium quo. *Mediator Dei & hominum*, inquit S. Augustinus, Tract. 72. in Joan. *non in quantùm est Deus, sed in quantùm est homo Christus Jesus.*

Q. 2°. *Christus ut homo estne Rex temporalis?*

R. Minimè, saltem quoad actum seu exercitium: *Regnum meum*, (inquit, Joan. 18.) *non est de hoc mundo.* Luc. 12. *Quis me constituit Judicem?* nempe ad dirimendam controversiam de hæreditate inter fratres dividenda.

Dixi, *saltem quoad actum & exercitium*; nam probabilitate non caret eorum sententia qui docent Christum fuisse Regem quoad jus, quia ut homo subsistens personâ divinâ, erat naturalis Dei Filius, ac proinde supra omnem potestatem temporalem, quod ipse videtur agnoscere, Matth. 17. ubi negat se, utpote Filium Dei, teneri solvere tributum. Sed cùm hæc potestas sit excellentiæ, nec eâ uti voluerit, illam non transmisit ad Pastores Ecclesiæ, quibus sicut cæteris dicit Apostolus, Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.*

Dices: Summus Pontifex nulli potestati temporali subjacet, sed regiâ fulget dignitate: ergo.

Distinguo antecedens: fulget per accidens & ex concessione Principum temporalium, concedo; ratione sui Sacerdotii & jure divino, nego antecedens; nam prædecessores ejus per plura secula fuerunt subditi Dominis temporalibus etiam Christianis.

Q. 3°. *Christus estne Sacerdos & Mediator vi unionis hypostaticæ.*

R. Minimè; nam ex Apostolo, Hebr. 5. *Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum . . . Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Ergo Christus ex deputatione Patris fuit Sacerdos & Mediator.

Dices: Amicus non indiget acceptatione & de-

putatione creditoris, ut pro debitore ſponſorem ſe exhibeat & ſolvat: ergo.

Diſtinguo antecedens; ſi agatur de reſtitutione per quam damnum in re familiari allatum reſarcitur, & pecunia ablata reſtituitur, concedo; ſi ſermo ſit de ſatisfactione pro offenſa perſonæ illatæ, nego antecedens: perſona enim læſa & depreſſa ab eo qui in eam ſuperbè & contumeliosè inſurrexit, jus habet ut ipſe contumelioſus deprimatur & pœnas luat, rejectâ alterius ſatisfactione. Unde ſi perſona læſa Mediatorem & ſponſorem admittat, qui pro nocente veniam precetur, ſatisfaciat, cedit jure ſuo & gratiam facit; quantò magis ſi ipſa talem Mediatorem nocenti per ſe ad condignè ſatisfaciendum impari præparaſſet & ſuſcitaſſet. *Sic autem Deus dilexit mundum, ut Filium unigenitum ſuum daret, ſalvareturque mundus per ipſum*, Joan. 3. v. 16. Ergo plus Chriſto non debemus quàm Patri, quia Chriſtum pro nobis ſatisfeciſſe, & Patrem Filium ſuum unigenitum nobis dediſſe, utrumque fuit opus æqualis & infinitæ charitatis.

Q. 4°. *Eſtne proprium Chriſti eſſe Mediatorem Dei & hominum?*.

R. Diſtinguendum eſt: eſſe Mediatorem ſuo nomine & merito, eſt proprium Chriſti; quia ex dictis nulla creatura potuit offerre pretium æquivalens offenſæ, & condignam exhibere Deo ſatisfactionem; ſed Mediatorem eſſe miniſterialem, qui agat nomine & virtute alterius, convenit Sacerdotibus & omnibus juſtis ſive in cœlo regnantibus, ſive in terra militantibus; iis quippe tanquam inſtrumentis utitur Chriſtus, verus Dei & hominum Mediator, ad opus reconciliationis & officium Mediatoris perficiendum; Angeli enim, Hebr. 1 dicuntur adminiſtratorii ſpiritus à Chriſto in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis. 1. Cor. 5. clamat Apoſtolus, *Pro Chriſto legatione fungimur.* Et Coloſſ. 1. *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea, pro corpore ejus, quod*

eſt Eccleſia. Quid verò deeſt paſſioni Chriſti, per quam *conſummavit in æternum ſanctificatos*, Heb. v. 14. fructus ſcilicet & applicatio meriti illius. Adimpleant autem Paſtores prædicationibus, Sacramentorum adminiſtratione; & juſti omnes ſuis orationibus. Quin ipſi Calviniani, qui calumniantur Catholicos non ſine Chriſti Mediatoris injuria ſanctos invocare, mutuis ſe precibus adjuvant, publica jejunia, & ſolemnes ſupplicationes, ſi quæ occurrat Eccleſiæ neceſſitas, indicunt ad Deum per merita Chriſti placandum.

Objiciunt, Eccleſia Romana vult invocationem Sanctorum eſſe neceſſariam, nec patere acceſſum ad Deum niſi per ejuſmodi interceſſores; quem impium errorem carpit Apoſtolus in Simonis Magi diſcipulis, Coloſſ. 2. *Nemo vos ſeducat*, inquit, *volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ & non tenens caput ex quo totum corpus . . . creſcit in augmentum Dei:* ergo.

Nego antecedens, & dico malâ fide Pſeudominiſtros ejuſmodi criminationibus Eccleſiam Romanam apud ſuos infamare, cùm in Concilio Tridentino ſeſſ. 25. dilucidè exponat, quid de invocatione Sanctorum à primis ſeculis hactenus ſenſerit, nempe bonum & utile eſſe, non verò neceſſarium, Sanctos ſuppliciter invocare; merita Chriſti in Sanctorum interceſſione operari communionem, quam ipſe caput Eccleſiæ poſuit inter membra ſui corporis; preces eorum non prævenire Dei miſericordiam, ſed ab ea proficiſci, & exequi dumtaxat quæ ipſe per illas facere decrevit, *Portat contradictionem deprecantium, quam aſpirat*, inquit S. Gregorius lib. 9. mor. c. 9. *& veluti nolenti apponitur, quod ab ipſo, ut fiat, imperatur.* Unde Eccleſia in ſuis collectis orat, non ſolùm ut per Chriſtum proſit nobis Sanctorum interceſſio, ſed etiam ut Deus ipſis inſpiret intercedendi affectum: *Interveniat pro nobis, quæſumus, Domine, apud tuam clementiam, nunc*

& in hora mortis noſtræ, beata Virgo Maria, inquit in feſto ejus Compaſſionis. Et in vigilia S. Andreæ, *Quæſumus, omnipotens Deus, ut beatus Andreas Apoſtolus tuum pro nobis imploret auxilium... Per Dominum*, &c. Quâ igitur fronte Pſeudominiſtri ſpargere audent apud ſuos Sanctorum invocationem adverſari honori unius Mediatoris, Dei hominum Jeſu Chriſti, cùm in illa communicatio gratiæ & Spiritûs mirificè eluceat?

Inſtant 1°. Novatores: fruſtrà & inutiliter invocantur, quia non audiunt; atqui Sancti in cœlo non audiunt ſibi ſupplicantium preces: *Mortui nihil amplius noverunt*, Eccleſ. 9. Hinc in ſcripturis legimus ſanctos Patriarchas & Prophetas invocaſſe quidem Angelos, utpote qui in terris verſentur ad hominum cuſtodiam, nuſquam verò mortuos: ergo.

R. 1°. Ex conceſſis Adverſariorum ſaltem habemus creaturas ſanctas abſque injuria Chriſti Mediatoris invocari poſſe, cùm agnoſcant ſanctos Patriarchas & Prophetas piè & utiliter ſanctos Angelos invocaſſe: cur igitur non & ipſi eos in ſuis Synagogis invocant? Ergo manifeſtè pugnant contra Verbum Dei, cùm docent invocationem Sanctorum adverſari honori Chriſti Mediatoris. Ideo autem in veteri lege ſancti homines defuncti non invocabantur, quia nondum ipſis erat reſeratum cœlum, nec fruebantur Dei conſortio, in quo Beatis multa revelantur, ut conſtat ex dictis Tractatu de Attributis, ubi de viſione beatifica. Addo Angelos non ſemper eſſe præſentes ubi invocantur, cùm in locis admodum diſtantibus preces ad eos dirigantur, quas proinde naturaliter percipere nequeunt; ſed SS. Patriarchæ & Prophetæ non erant anxii, præſenteſne eſſent aut abſentes Angeli quoties eorum opem implorabant: unde.

R. 2°. In forma ad argumentum diſtinguendo majorem: fruſtrà invocantur qui non audiunt, ſi nullus invocantes audiat, qui poſtulata concedere poſſit, concedo; ſecùs, nego majorem. Porrò Ec-

cleſia certa eſt Deum exaudire implorantes Sanctorum auxilium gratasque ipſi eſſe ejuſmodi orationes, ut probant ſingularia beneficia, quæ hactenus contulit confugientibus ad Sanctorum auxilium. Hinc Eccleſia publicas orationes, quas collectas vocant, ſolet ad Deum dirigere, ut intercedentibus Sanctis quorum agit memoriam poſtulata concedat per Chriſtum Dominum noſtrum.

Diſtinguo ſimiliter minorem; Sancti in cœlo ſibi ſupplicantes non audiunt naturaliter & per ſe, concedo; non audiunt ſive per Angelorum miniſterium, quorum officium eſt orationes fidelium ad Deum referre, ut habetur Apoc. 8. v. 3. & 4. & teſtantur communiter SS. Patres, ſive per Dei revelationem; nego min. nam ex dictis citato loco de Attributis, Beati in cœlo cognoſcunt quæ ad ipſos ſpectant: ad eorum autem beatitudinem accidentalem pertinet noſſe quis ſit eorum ſtatus, pro quibus ſunt ſolliciti; legimus enim 2. Paralip. c. 21. v. 12. litteras ab Elia jam tranſlato allatas fuiſſe ad Joram Regem Iſraël, & 2. Machab. c. 15. Jeremiam & Oniam ſummum Sacerdotem defunctos orare pro populo ſuo in magnis calamitatibus conſtituto. *Quis dubitat*, inquit Origenes, hom. 31. in Num. *quod Sancti quique orationibus nos juvent*? Et S. Hieronymus contra Vigilantium, *Si Apoſtoli & Martyres adhuc in corpore conſtituti, poſſunt orare pro cæteris, quando adhuc pro ſe debent eſſe ſolliciti, quantò magis poſt coronas, victorias & triumphos*? Illud ipſum agnoſcit Angelorum Rex in ſua reſponſione ad Cardinalem Peronium, his verbis: *Sa Majeſté révère les Martyrs & autres Saints régnants maintenant avec* Jesus-Christ, *& ne doute point qu'ils ne prient pour les néceſſités de l'Egliſe, & croit fermement que leurs prières ne ſont point inutiles.* Ex pia autem ejuſmodi ſollicitudine ſequitur Sanctorum intereſſe, ut cognoſcant orationes quæ ad ipſos diriguntur.

Inſtant 2°. Catholici ejuſmodi invocationem in cultum religioſum deducunt; Sanctos honoribus

afficiunt, qui idololatriam ſapiunt, thura ipſis incendunt, &c. ergo.

R. 1°. Dallæus, Calvinianorum olim Pſeudominiſter, fateri cogitur cultum quem Eccleſia Romana defert Sanctis non eſſe Latreuticum. Sic enim habet in ſua Apologia : *Cette Rome même, de laquelle nous nous plaignons, eſt pour la plûpart d'accord avec nous ; car bien qu'elle rende de grands honneurs à diverſes créatures, ſi eſt-ce qu'elle a toujours connu qu'il y a une eſpéce de ſervice qui ne doit & ne peut être rendu à d'autre qu'à Dieu.* Thuris ſuffitus in veteri quidem lege & apud Paganos erat ſignum ſupremi cultûs, quem latriæ vocant, quique ſoli Deo, ſive vero, ſive credito defertur; ſed apud Chriſtianos promiſcuè uſurpatur, ſive ad cultum religioſum, ſive ad cultum civilem ; honores enim thuris tribuuntur Principibus politicis & Magiſtratibus, Reliquiis, Imaginibus Sanctorum, ſed aliâ intentione quàm auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, ac proinde non eſt ſignum determinatum ſupremi cultûs, ſicut ſacrificium, quod in quacumque Religione, ſive vera, ſive falſa, ſoli Deo licet offerre : *Nos Martyribus noſtris*, inquit S. Auguſtinus lib. 22. de civ. c. 10. *non templa ſicut Diis, ſed memorias ſicut hominibus mortuis ædificamus ; Deo quippe, non ipſis ſacrificat* (Sacerdos) *quamvis in memoria ſacrificet eorum, quia Dei Sacerdos eſt, non illorum.* Vulgò tamen vocamus templa, aras, miſſas Sanctorum, quorum ſpecialis fit commemoratio ; ſed propriè ſunt Dei templa, aræ, & miſſæ, quia illi ſoli ſacrificium offertur; *Quis enim audivit aliquando fidelium ſtantem Sacerdotem ad altare etiam ſuper ſanctum corpus Martyris ad Dei honorem cultumque conſtructum, dicere in precibus, offero tibi ſacrificium, Petre, Paule, vel Cypriane*, S. Auguſtinus lib. 18. de civ. cap. 6.

R. 2°. Cùm excellentia ſit motivum & ratio, cur honos alicui exhibetur ? neceſſe eſt honos & cultus ſit diverſus pro diverſitate excellentiæ : hinc cultus

Magistratibus delatus est civilis dumtaxat, quia excellentia, propter quam coluntur, est merè civilis, exhibitus verò Creatori debet esse summus ob infinitam ejus excellentiam nulli creaturæ communicabilem. Porrò excellentia Beatorum, quæ consistit in eorum sanctitate & unione quam habent cum Deo, quamvis infinitè distet à divina excellentia, negari non potest quin sit longè spectabilior excellentiâ merè civili; ac proinde honos ipsis debetur plusquam civilis, & eò major quò perfectior sanctitas & dignitas in ipsis refulgent. Unde Mater Dei speciali cultu, qui dicitur hyperduliæ, prosequenda est ob singularem ejus dignitatem & excellentiam. Jam examinandum superest utrùm ejusmodi cultus ad Religionem pertineat, dicique possit religiosus, quanquam hæc quæstio ad fidem non pertineat, liberumque sit circa eam opinari.

R. 3°. Cultus Sanctorum ad Religionem pertinet, meritòque dicitur religiosus, quia Religionis officium est colere Deum ut primarium suum objectum, & cætera quæ Deo consecrata sunt tanquam secundaria objecta; v. g. templa, altaria, vasa & omnem templi supellectilem; adeo ut omnium nationum judicio & sensu, qui unum ex his violaverit, impius & sacrilegus habeatur. Quod autem Templum augustius & sanctius quàm spiritus cœlestes & animæ beatæ? An non præstantiori ac mirabiliori modo Deus inhabitat in Sanctis suis quàm in domibus manufactis? Si vasa ex contactu rerum sacrarum denominantur sancta, & eatenus religiosè observanda, quantò magis qui unus spiritus sunt cum Deo, ejus amicitiæ participes, & consortes facti divinæ ejus naturæ.

Hinc Sanctorum reliquiæ & eorum imagines inter res sacras numerantur, atque ideo religioso cultu venerandæ.

Reliquiæ quidem, utpote quæ in societatem Passionum Christi cum animabus sanctis venerint, ipsis instrumenta fuerint plurium bonorum operum,

quæ & templa Spiritûs ſancti extiterint, 1. Cor. 6. in reſurrectione reparanda & ad gloriam immortalem reſtituenda. Deus ipſe multis miraculis reliquias Sanctorum veneratione dignas oſtendit; pallio Eliæ aquas Jordanis diviſit, 4. Reg. c. 2. v. 8. mortuum ſuſcitavit contactu cadaveris Eliſei, 4. Regum, c. 13. v. 2. quàm plurimos ægros ſanavit ſudariis & ſemicinctiis Apoſtoli, Actuum 19. v. 11. Sanctus Chryſoſtomus, Hom. 16 in 2. ad Cor. refert innumera prodigia quæ Deus ſuâ ætate operabatur ad Sanctorum ſepulcra; & S. Auguſtinus ſcribit ſimilia contigiſſe in inventione corporum tum SS. Gervaſii & Protaſii, lib. 9. Conf. c. 7. tum S. Stephani, lib. 22. de Civ. c. 8.

Imagines quoque Chriſti & Sanctorum religioſè ſunt tractandæ, quemadmodum definiit Concilium Nicænum II. contra Iconoclaſtas, anno 785. & Concilium Tridentinum adversùs Pſeudoreformatos, citatâ ſeſſ. 25. tùm quia imagines relationem habent ad eos quos repræſentant, & ita quodammodo ad eos pertinent; tùm quia oculis fidelium ſubjiciuntur ad honorificam Sanctorum memoriam & imitationem. Ipſe Pſeudominiſter Dallæus in ſuo opere de imaginibus, iis concedit ſicut omnibus Religionis inſtrumentis aliquod honoris ſignum, cogiturque fateri Catholicos in hac parte non eſſe Idololatras. *Enim verò qui imaginem Imperatoris coronat*, inquit S. Ambroſius in Pſal. 118. *utique illum honorat, cujus imaginem coronavit; quia ſtatuam contempſerit Imperatoris, Imperatori utique feciſſe injuriam videtur.* Viderint ergo Novatores quomodo iram Chriſti ſuſtinebunt, cujus imagines fœdè traxerunt, fregerunt, & etiam nunc (ubi prævalent) illas ejuſmodi contumeliis afficiunt.

Illud tamen diſcrimen eſt reliquias inter & imagines, quòd reliquiæ majori honore dignæ ſint quàm imagines: Crux, v. g. cui Chriſtus affixus eſt, quàm imago Crucis, quia ipſo contactu & uſu quo Chriſto & Sanctis ſervierunt, conſecratæ ſunt,

cùm imagines propter ſolam repræſentationem ad Chriſtum & ad Sanctos referantur. Unde minimæ ſacrarum reliquiarum particulæ honos debetur, nullus verò imaginis particulæ, quia nihil ſanctum repræſentat.

Dixi, *Imagines Chriſti & Sanctorum*; nam circa imagines divinitatis Eccleſia nihil hactenus expreſsè ſtatuit, imò illas excipit in Concilio Nicæno II. Act. 7. his verbis: *Chriſtiani inviſibilis & incomprehenſibilis imaginem numquam fecerunt.*

Uſus tamen invaluit à nono ſeculo pingendi Deum in illa forma in qua apparuit SS. Patriarchis & Prophetis, ut Danielis 7. v. 9. quemadmodum Angeli (licèt incorporei) ante Concilium Nicænum II. & Spiritus ſanctus pingebantur in illa ſpecie in qua viſi fuerant, ut ibidem Nicæni Patres teſtantur. Enimverò cur non liceret pictori quod Scripturæ licet, quæ Deum ſæpiùs pingit cum membris humanis? Hinc meritò proſcripta eſt ab Alexandro VIII. anno 1690. hæc propoſitio: *Dei Patris ſimulacrum nefas eſt Chriſtiano in Templo collocare.* Quia tamen uſus ille reſpectu rudiorum non eſt ſine aliquo periculo, Patres Tridentini citatâ ſeſſ. 25. Paſtores monent hiſce verbis: *Quòd ſi aliquando hiſtorias ſacræ Scripturæ, cùm id indoctæ plebi expediet, figurari contigerit, doceatur populus non propterea divinitatem figurari, quaſi oculis corporeis conſpici, vel coloribus aut figuris exprimi poſſit.*

Objiciunt 1°. Novatores, indecorum eſt & omninò probroſum, ſi filius honoret patibulum in quo pater paſſus eſt.

Reſpondeo hanc eſſe Gentilium & Judæorum impietatem, quibus Crux Chriſti erat ſcandalum & ſtultitia; ſed ipſis vocatis Judæis & Gentilibus fuit Deus Virtus, 1. Cor. 1. v. 24. Trophæum Chriſti victoris (domuit enim orbem ligno, non ferro): Cathedra docentis & Tribunal Judicis, ex quo *Expolians Principatus & Poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo*, Coloſſ. 2.

v. 15. Quis autem filius cum honore non ſervat gladium quo pater ſtrenuè pugnavit & Reipublicæ hoſtes glorioſè devicit? Si Calvinianus erubeſcit adorare in Cruce pendentem, pudeat ergo ipſum confiteri Chriſtum pro nobis paſſum, & mortuum.

At, inquies, ſi Crucem colere licet, quia Chriſtus ei affixus eſt, cur non ſimiliter aſinum qui Chriſtum vexit, & os Judæ proditoris, cui Chriſtus oſculum dedit? Quia ſcilicet iſta propter ſe honorari viderentur, cùm ſint ſenſu vel ratione prædita; inanima verò, ut crux, clavi, corona ſpinea, nullo honore digna ſunt, niſi relativè ad eximiam perſonam cui inſervierunt; ſic ſceptrum & coronam Regis veneramur, non ejus equos.

Objiciunt 2°. Exod. 20. v. 4. Deus prohibet imagines, *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem*, ex quo textu Tertullianus lib. de ſpectaculis, c. 23. Origenes lib. 7. contra Celſum, concludunt artem pingendi Chriſtianis eſſe interdictam. Concilium Eliberitanum, Can. 36. ſic ſtatuit, *Placuit picturas in Eccleſia eſſe non debere.* Galli 8. & 9. ſeculo imagines quidem admiſerunt, ſed definierunt in Templis non eſſe collocandas ad cultum, ſed ad recordationem Sanctorum, ut patet ex libris Carolo Magno aſcriptis, & ex Concilio Pariſienſi ſub Ludovico Pio, Caroli Magni filio & ſucceſſore: ergo.

Nego conſequentiam: ad antecedens verò.

R. 1°. Reverà imaginum uſus fuit Judæis prohibitus, ſicut eſus carnis, ſed ejuſmodi præcepta, utpote cæremonialia, per Chriſtum fuere abrogata: unde ſicut Chriſtianis licitum eſt edere carnem porcinam & ſuffocatam, ita & pingere imagines.

R. 2°. Cùm uſus ſacrarum imaginum non ſit ad ſalutem neceſſarius, nec in Evangelio præſcriptus, peneſque ſit Eccleſiam illum præcipere vel prohibere, prout fidelibus expedire judicaverit, mirum non eſt ſi rarior fuerit, vel etiam alicubi prohibitus eo tempore quo hinc Gentiles à cultu ſimulacrorum erant revocandi, hinc Judæi à lege veteri ad le-

gem evangelicam transferendi ; si enim Apostoli colendas imagines proposuissent, periculum fuisset ne Gentiles eas ut nova Idola amplexi fuissent, neve Judæi, qui juxta legis veteris præscriptum ab imaginibus abhorrebant, à suscipiendo Evangelio deterriti fuissent.

R 3°. Galli sub Imperatoribus Carolo Magno & Ludovico Pio, primò pro imaginibus retinendis adversùs Inconoclastas strenue pugnarunt. Secundò parciores quidem fuerunt quàm Græci in cultu illis exhibendo, sed omnem reverentiam imaginibus non denegarunt ; in laudato quippe Concilio Parisiensi definierunt illas in Templis honorificè collocandas & conservandas, ad exemplum scilicet & piam recordationem virtutum quas Christus, hominum mediator & caput, in membris suis operatus est. Ergo nec invocatio Sanctorum, nec sacrarum reliquiarum & imaginum cultus mediatorem nostrum Christum injuriâ afficiunt, quin sunt eximia monumenta & testimonia copiosæ redemptionis quam habemus in illo.

Nonnulla tamen observanda sunt circa sacrarum reliquiarum & imaginum veneratiouem.

Primum : Sanctorum reliquiæ & imagines non sunt colendæ cultu absoluto, sed relativo dumtaxat ; tùm quia in illis nulla est excellentia absoluta, sed relativa tantùm ; tùm quia creatura rationalis non debet subjici rebus inanimatis.

Secundum. Sacræ reliquiæ & imagines plus vel minùs sunt honorandæ, secundùm majorem vel minorem excellentiam personæ quam respiciunt, v.g. plus honoris deferendum est Cruci in qua passus est Christus Dominus, quàm cruci cui affixus est sanctus Petrus ; plus imagini Christi, quàm imagini Deiparæ, &c.

Tertium. Cultus sacrarum reliquiarum & imaginum est inferior cultui debito Sanctis ad quos illæ referuntur, quia excellentia illa relativa quæ reliquiis & imaginibus competit, longè distat ab

excellentia absoluta quæ in ipsis Sanctis refulget, ut patet exemplo ministrorum Regis, qui cùm in se non contineant totam excellentiam & majestatem regiam, non eodem honore quo Rex ipse excipiuntur. Unde concludere licet contra nonnullos Theologos, Crucem, sive veram, sive pictam, non esse colendam cultu supremo, qui dicitur latriæ, qui soli Deo deferri debet, ut expressè definiit Concilium Nicænum II. *Illis* (imaginibus) *salutationem & honorariam salutationem exhibeant, non secundùm fidem nostram, veram latriam, quæ solùm Deo competit, sed quemadmodum veneranda & vivificantis Christi typo ... tribuimus.*

TRACTATUS DE GRATIA CHRISTI.

Ordo doctrinæ postulat ut post Tractatum de Incarnatione continuò dicamus de Gratia Christi, utpote quæ sit Incarnationis effectus, juxtà illud, Eph. 1. *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.* Et 2. Petr. c. 1. *Per quem* (Christum) *maxima & pretiosa nobis donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Sit igitur.

Caput I.

De notione Gratiæ Christi.

Q. 1°. *Quid est gratia Christi?*

R. Est donum Dei gratuitum, supernaturale, homini lapso concessum per merita Christi Domini in ordine ad vitam æternam.

Dicitur 1°. *Donum gratuitum*, ut ostendatur gratiam non rependi præcedentibus operibus, sed gratis dari; alioquin gratia jam non esset gratia, sed merces, Rom. 11.

Dicitur 2°. *Supernaturale*, ut gratia Christi distinguatur à donis naturalibus, qualis est creatio & conservatio, quæ sunt dona Dei gratuita, sed naturalia: *Illam gratiam quâ creati sumus homines*, inquit S. Augustinus epist. 177. aliàs 95. *etiamsi ita appellandum non immeritò intelligimus, mirum est tamen si ita appellatam in ullis legitimis propheticis, evangelicis, apostolicisque litteris legimus. Hanc apostolica doctrina gratiam isto nomine appellat, quâ salvamur & justificamur fide Christi.* Gratiam sic appellatam Pelagius, à quo Pelagiani & Semipelagiani, rejecit quinto ineunte seculo, propterea que accusatus in Concilio Diospolitano. Patres fefellit per subdolam confessionem; nempe professus est gratiæ necessitatem, sed quâ conditi sumus homines, & sine qua nec sumus, nec quidquam possumus.

Dicitur 3°. *Homini lapso concessum*, ut significetur gratiam Christi esse maximè gratuitam; siquidem donum quod indulgetur inimico, magis gratuitum est quàm quod tribuitur amico, ut notat Apostolus, Rom. 5. *Commendat autem* (inquit) *charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus.... reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus.*

Dicitur 4°. *Per merita Christi Domini*, ut distinguatur gratia hujus statûs à gratia Angelorum & primorum parentum in statu innocentiæ, quæ in nostra sententia independenter à meritis Christi fuit concessa.

Dicitur 5°. *In ordine ad vitam æternam*; gratia enim est semen vitæ æternæ, nec ad aliud datur quàm ut vitam æternam consequi mereamur.

Q. 2°. *Quid est donum supernaturale?*

R. Supernaturale secundùm vim nominis significat quod est supra omnem naturam creatam & creabilem.

Dupliciter

Dupliciter autem aliquid dicitur ſupernaturale, vel quoad modum dumtaxat, vel quoad modum ſimul & entitatem. Donum eſt ſupernaturale quoad ſolum modum, quando licèt ſecundùm ſe ſpectatum ſit naturalis ordinis, viribus tamen cujuſque naturæ creatæ haberi non poteſt. Sic Philoſophia Adamo infuſa, vita Lazaro reddita, ſunt dona quoad entitatem naturalia, cùm ſint ejuſdem ordinis cum Philoſophia & vita aliorum hominum; ſed modus quo Adamus habuit Philoſophiam, & vita Lazaro jam fœtenti eſt reddita, excedit omnes naturæ vires.

Unde Philoſophia Adami & vita Lazari ſuſcitati dicuntur ſupernaturales quoad modum dumtaxat. Sed ut intelligatur quòd ſit donum ſupernaturale quoad entitatem.

Obſervandum triplicem eſſe rerum ordinem. In primo ordine ſunt res merè corporeæ, ut lapis, bruta animantia. In ſecundo ordine ſunt res ſpiritales, ut Angelus, anima rationalis, quæ ita abſtrahunt à materia corporea, ut tamen non ſint puri actus, ſed in illis realis ſit compoſitio ex ſubſtantia & accidentibus, habeantque eſſe per participationem & dependentiam à prima cauſa, à qua accipiunt eſſe & agendi virtutem. In tertio autem ordine ſolus Deus exiſtit, qui, utpote ens à ſe, eſt actus puriſſimus, ſummè neceſſarius, & ſine ulla compoſitione, infinitè perfectus in omni genere perfectionis; ita ut intellectio, ſapientia & cæteræ perfectiones ſint ipſius eſſe, aptiùſque Deus dicatur intellectio quàm intelligens, ſapientia, bonitas & ſanctitas, quàm ſapiens, bonus & ſanctus.

Porrò cùm operari ſequatur eſſe, quæ ſunt in primo ordine, nempe corporea, non poſſunt operari quæ pertinent ad ſecundum ordinem, nec iſta quæ pertinent ad tertium, v. g. corpus animale non poteſt ſenſu ſpiritalia percipere, nec Angelus Deum, ut in ſe eſt, intellectu attingere, niſi ſupra naturam ſuam elevetur & diſponatur: quod S. Thomas 1. p. q. 12. art. 5. ad 3. illuſtrat exemplo ferri, quod

præstare non potest quæ sunt ignis, nec ad id disponi, nisi ab habente formam ignis, cujus virtute fiet igneum, ac consequenter aget quæ sunt ignis propria, lucebit, calefaciet, comburet: similiter Spiritus creatus non percipiet quæ Dei sunt, nisi fiat Deiformis, ut loquitur S. Doctor, hoc est, formam à Deo accipiat, per quam constituatur in esse divino, & fiat quodammodò divinus. Forma autem illa est gratia, quæ dicitur semen gloriæ, quia ad visionem Dei intuitivam tendit, sicut semen arboris ad arborem producendam.

Ergo gratia est donum supernaturale, tùm quoad modum, tùm quoad entitatem: quoad modum quidem, quia à nulla natura creata potest profluere; quoad entitatem quoque, quia est divinum quid, creaturam intellectualem elevans supra omnem rerum creatarum ordinem, illamque Deiformem constituens.

Caput II.

De divisione Gratiæ Christi.

Q. 1°. *Quotuplex est gratia Christi?*

R. Duplex, alia exterior, ut institutio Sacramentorum, prædicatio Verbi divini, &c. alia interior, ut Fides, Spes, Charitas. De sola interiore hîc agimus.

Q. 1°. *Quotuplicis generis est gratia interior?*

R. Duplicis, scilicet gratia gratis data, & gratia gratum faciens.

Gratia gratis data est ea quæ datur ad aliorum salutem, ut donum miraculorum, potestas absolvendi à peccatis & conficiendi alia Sacramenta.

Gratia gratum faciens est ea quæ ordinatur ad propriam accipientis salutem, ut Fides, Charitas, &c. Ideo autem dicitur gratum faciens, quia rectè ad Deum disponit & afficit; non potest autem quin

gratus sit Deo qui est erga eum rectè affectus.

Q. 3°. *Quare gratia gratis data sic dicitur, eùm gratia gratum faciens etiam gratis detur, alioquin non esset gratia?*

R. Quia nomen generis solet tribui speciei ignobiliori; sic bruta simpliciter vocantur animalia, & eo nomine distinguuntur ab homine, qui quamvis sit & ipse animal, non sine contumelia tamen appellaretur animal, quia est quid longè præstantius. Similiter cùm gratia gratum faciens sit nobilissima gratiæ species, speciale nomen sortitur, cæteræ verò ignobiliores nomen genericum retinent, dicunturque simpliciter gratiæ gratis datæ.

Dices: bonum illud majus est quod ad plures se extendit; atqui gratia gratis data ad plures se extendit quàm gratia gratum faciens; hæc quippe ordinatur dumtaxat ad salutem recipientis, illa verò ad bonum commune christianæ societatis: ergo.

Distinguo majorem: bonum majus est quod ad plures se extendit, si comparetur cum bono ejusdem generis, concedo: sic lumen solis, quod latiùs diffunditur, majus est bonum quàm lumen candelæ. Si comparetur cum bono superioris ordinis, nego majorem; nam lumen solis non est majus bonum quàm sapientia, quæ solam sapientis mentem illustrat. Porrò gratia gratis data & gratia gratum faciens, sunt dona diversi ordinis; gratia enim gratis data per se ordinat accipientem ad creaturas perficiendas; gratia verò gratum faciens ordinat ad Deum. Deinde homo gratiâ gratis datâ rectè non utitur sine auxilio gratiæ gratum facientis: *Multi mihi dicent in illâ die*, ait Christus, Matth. 7. *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus ... & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos: discedite à me qui operamini iniquitatem.*

Q. 4°. *Quot sunt gratiæ gratis datæ?*

R. Novem ab Apostolo numerantur. 1. Cor. 12. his verbis, *Alii quidem per Spiritum datur sermo*

ſapientiæ . . . alii autem ſermo ſcientiæ . . . alteri Fides, (non theologica, quæ eſt gratia gratum faciens, ſed vel donum explicandi myſteria fidei, vel fiducia divinitùs inſpirata patrandi miracula) *alii gratia ſanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum.*

Q. 5°. *Quomodo dividitur gratia gratum faciens?*

R. Dividitur in actualem & habitualem.

Actualis eſt illuſtratio mentis, ſeu cogitatio ſupernaturalis in intellectu & pia affectio ſimiliter ſupernaturalis in voluntate.

Gratia habitualis eſt gratia animæ permanenter inhærens, eamque perficiens per modum habitûs, ut gratia ſanctificans.

Dices: gratia ex dictis eſt gratuitum Dei donum; atqui illuſtratio ſeu cogitatio non ſunt Dei dona, ſed effectus ejuſmodi donorum, & actus ab homine eliciti: ergo.

Nego minorem, cujus confirmationem diſtinguo: ſunt actus ab homine ſupernaturaliter eliciti, concedo; naturaliter eliciti, nego. Sicut ergo viſio beatifica & amor beatificus, licèt ſint actus ab intellectu & voluntate Beatorum eliciti, nihilominus ſunt Dei dona, quia non producuntur ab intellectu & voluntate naturaliter operantibus, ſed ſupernaturaliter à Deo elevatis: ſic ſancta cogitatio & pia affectio ſunt gratiæ actuales, quia ab intellectu & voluntate naturalibus viribus non procedunt, ſed impreſſione & motione divinâ, eâque ſupernaturali. Ergo bona noſtra opera ſunt Dei dona; ut qui gloriatur, in Domino glorietur, & non in ſemetipſo; non enim ſumus ſufficientes aliquid cogitare à nobis, tanquam ex nobis. 2. Cor. 3.

Q. 6°. *Quotuplex eſt gratia habitualis?*

R. Triplex, nimirùm gratia ſanctificans ſeu juſtificans, quâ homo fit formaliter juſtus; virtutes infuſæ & dona Spiritûs ſancti, quibus homo diſponitur ad actus ſupernaturales.

Q. 7°. *Quotuplex est gratia actualis?*

R. Triplex. Prima dicitur præveniens, excitans & operans, estque sancta cogitatio & indeliberata voluntatis motio seu affectio, quâ homo vel à Deo aversus, vel in bono torpens, excitatur. Secunda dicitur adjuvans, cooperans & concomitans, estque supernaturale Dei auxilium, quo roborata voluntas liberè consentit gratiæ excitanti. Tertia dicitur subsequens, quâ firmatur voluntas in bono proposito & adjuvatur, ut illud ad executionem perducat, quia in executione major occurrit difficultas, propter quam homo aliquando quod proposuerat bonum non perficit, *Deus immittendo bonam cogitationem*, inquit S. Bernardus, lib. de Gratia & lib. arb. c. 14. *nos prævenit*; *immutando etiam malam voluntatem*, *sibi per consensum jungit*; *ministrando & consensui facultatem*, *foris per apertum opus nostrum internus opifex innotescit.*

Q. 8°. *Quomodo dividitur gratia præveniens seu excitans?*

R. Dividitur in efficacem & sufficientem, de qua divisione hac nostra ætate valde celebri separatim dicendum erit, postquam expenderimus an & quæ sit gratiæ actualis generatim spectatæ necessitas.

CAPUT III.

De necessitate Gratiæ actualis.

Q. 1°. *Potestne quis sine gratia actuali cognoscere verum, velle & operari bonum?*

R. Nullatenus potest motivo supernaturali & conducente ad vitam æternam; aliquatenus potest motivo naturali, sed ad vitam æternam prorsùs inutili.

Prima pars est de fide, sæpiùs definita contra Pelagianos & Semipelagianos in Conciliis Milevitano, Carthaginensi, Arausicano II. ac demum Tridentino, sess. 15. can. 3. constatque ex Scriptura Joan.

15. v. 4. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis.* Et v.4. *Sine me nihil potestis facere.* 2.Cor. 3. *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et ratio est quia sicut sensatio non potest procedere nisi à principio sentiente, actus rationalis nisi à principio rationali, ita actus supernaturalis non potest elici nisi à principio supernaturali. Enim verò ideo dicitur supernaturalis, quia excedit omnes naturæ vires; ferrum, inquiebat supra S. Thomas, efficere non potest quæ sunt propria ignis, nisi disponatur ab habente formam ignis, fiatque quodammodo igneum; ita homo vel Angelus non potest agere divina, nisi fiat Deiformis & quodammodo divinus.

Ergo Hæretici, v. g. Calviniani, quia carent lumine fidei, non credunt Mysteria supernaturalia, putà Trinitatis & Incarnationis, modo supernaturali; sed humanâ tantùm persuasione, quemadmodum Gentiles, Philosophi sempiternam Dei virtutem & divinitatem, quæ est objectum maximè supernaturale, cognoverunt medio & motivo naturali, nempe creaturarum testimonio.

Ergo homo naturalibus liberi arbitrii viribus non potest se ad gratiam præparare, ut definierunt Concilium Arausicanum II. Can. 7. & Concilium Tridentinum, sess. 6. citato can. 3. *Non volentis*, inquit Apostolus, Rom. c. 9. *neque currentis, sed miserentis est Dei.* Et ratio est quia actus naturalis nullam habet proportionem nullumve ordinem ad formam supernaturalem, qualis est gratia. Unde in sacris litteris, inquiunt Patres Tridentini, sess. 6. can. 5. *Cùm dicitur, convertimini ad me & ego convertar ad vos, libertatis nostræ admonemur: cùm respondemus, converte nos, Domine, ad te, & convertemur, Dei nos gratiâ præveniri confitemur.*

Ergo gratia habitualis seu sanctificans non potest verè dici gratia sufficiens, cùm justus ex ea non possit agere, nisi gratiâ actuali præveniatur & adju-

vetur ; *Sicut oculus corporis*, (inquit ſanctus Auguſtinus, lib. de nat. & grat. c. 26.) *etiam plenissimè ſanus, niſi candore lucis adjutus, non poteſt cernere; ſic homo perfectiſſimè juſtificatus, niſi æternâ luce juſtitiæ divinitùs adjuvetur, rectè non poteſt vivere.*

Dices 1°. Orationes & eleemoſynæ fuerunt actus ſupernaturales in Cornelio, cùm fuerint diſpoſitiones ad Baptiſmum & juſtificationem, Act. 10. Atqui non fuerunt ex gratia ; prima enim gratia eſt fides, qua carebat Cornelius : ergo.

Nego minorem, cujus confirmationem diſtinguo : prima gratia eſt fides inchoata & implicita, concedo ; eſt fides perfecta & explicita, nego. Fides inchoata eſt ſupernaturalis illuſtratio & motio, qualis poteſt eſſe in infideli, qui Dei exiſtentiam ignorare non poteſt ſaltem invincibiliter, & per quam Cornelius dicitur vir religioſus ac timens Deum.

Dices 2°. facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam, ex S. Auguſtino lib. 19. de Civit. c. 13. ubi ſic habet : *Quiſquis talibus bonis* (naturalibus) *fuerit rectè uſus, accipiet meliora.* Et S. Thomas quæſt. 24. de veritate, art. 1. ad ſecundum : *Gratiam*, inquit, *quamvis ex libero arbitrio homo non poſſit acquirere, poteſt tamen ſe ad gratiam habendam præparare* : ergo.

Diſtinguo antecedens : facienti quod in ſe eſt ex motione Spiritûs ſancti Deus non denegat gratiam, concedo : *quia intentio Dei deficere non poteſt*, inquit S. Thomas quæſt. 112. art. 3. *Unde ſi ex intentione Dei moventis eſt quòd homo gratiam conſequatur, infallibiliter eam conſequitur* : facienti quod in ſe eſt naturalibus viribus Deus non denegat gratiam, nego antecedens ; vel enim naturalis ille conatus fuiſſet diſpoſitio ad gratiam, quod falſum eſt, cùm ad eam nullum habeat ordinem ; vel eſſet conditio ſine qua non, ex pacto Dei Patris cum Chriſto inito, & hoc non ; tum quia Clerus Gallicanus anno 1700. fictitium aſſeruit ejuſmodi pactum & erroneum, eoque inſtaurari Semipelagianiſmum ; tum quia

ejusmodi conditio esset titulus oneroſus contra rationem gratiæ ; positâ enim illâ conditione, Deus teneretur suas partes implere, hoc est, gratiam conferre.

Secunda pars, nempe quòd homo sine gratia actuali possit cognoscere aliquod verum, velle & operari aliquod bonum motivo naturali, sed sterili respectu vitæ æternæ, probatur ; quia ex S. Thoma, secundâ Secundæ, quæst 10. art. 4. Natura humana per peccatum non est totaliter corrupta, Publicani & Ethnici diligentes se diligunt, Matth. 5. Gentiles Deum ex creaturis cognoverunt, *ita ut sint inexcusabiles, quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.* Plura facta Romanorum & aliorum nec Deum verum veraciter justèque colentium legimus, inquit S. Augustinus lib. de spir. & litt. c. 27. *Quæ secundùm justitiæ regulam non solùm vituperare non possumus, verùm etiam meritò rectèque laudamus. Quanquam si discutiatur quo fine fiant, vix inveniuntur quæ justitiæ debitam laudem defensionemque mereantur.* Quibus verbis docet S. Augustinus pleraque Gentilium opera ex officio seu ex objecto bona, ex pravo fine, putà ex superbia, esse mala, raròque contingere, ut ex utroque capite simpliciter bona existant. Unde.

Dixi hominem sine gratia actuali posse cognoscere aliquod verum, vel & operari aliquod bonum, ut innuerem eum sine gratia actuali non posse moraliter loquendo totam legem etiam naturalem implere ; tum quia nonnulla sunt præcepta per se difficiliora, ut diligere Deum super omnia & plus quàm se, mortem oppetere pro decore justitiæ aut fidei confessione ; tum quia graves irruunt tentationes, quas sine Dei auxilio vincere non possumus, ut definitum est contra Pelagianos in Concilio Diospolitano & Milevitano ; *Necesse est ut quo auxiliante vincimus, eodem rursùs non adjuvante vincamur*, inquit Innocentius I. epist. ad Episcopos Africæ, inter epistolas S. Augustini, 181. aliàs 91.

Ergo, inquies, urgente gravi tentatione, homo non peccat, cùm ad merendum aut demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, requiratur libertas à neceſſitate, ut definierunt ſummi Pontifices Innocentius X. & Alexander VII. adversùs Janſenium.

Nego conſequentiam: quia etiamſi ſupponatur tum deeſſe gratiam, ut nonnulli Theologi ſupponunt deeſſe in infidelibus negativis & inobduratis, tentatio quantùmcumque gravis, modò non pervertat judicium rationis, non inducit neceſſitatem propriè dictam & phyſicam, ſed moralem dumtaxat & impropriè dictam, quam voluntas ſuperare poteſt; unde non ſuccumbit etiam in obduratis, niſi ex ſocordia & negligentia. *Dicendum*, inquit S. Thomas, q. 24. de lib. arb. art. 12. ad 12. *quòd cupiditas non poteſt eſſe cogens abſolutè liberum arbitrium, quod ſemper eſt liberum à coactione; ſed dicitur cogens propter vehementiam inclinationis, cui tamen poteſt reſiſti, licèt cum difficultate.* Et Bellarminus lib. 5. de lib. arb. c. 8. in ſolutione objectionum ſic reſpondet: *Significat S. Thomas à paſſione non neceſſitari voluntatem neceſſitate phyſicâ, quaſi voluntas determinetur ad unum, quomodo determinatur appetitus animantium brutorum; tamen non negat neceſſitari moraliter, id eſt, infallibiliter moveri.* Suarez quoque, lib. de neceſſitate gratiæ, cap. 24. num. 33. *Gravis tentatio*, inquit, *ſi inſtet, infallibiliter hominem gratiâ non adjutum dejiciet.*

Dices, Rom. 2. *Gentes quæ legem habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt:* ergo ſine gratia lex naturalis impleri poteſt.

Nego conſequentiam; Apoſtolus enim per vocem *naturaliter* excludit ſolùm legem exteriorem; non verò gratiam interiorem, interprete S. Auguſtino, lib. de ſpir. & lit. cap. 27. *Non quòd per naturam*, inquit, *negata ſit gratia, ſed potiùs per gratiam reparata natura*, ut contigit in Melchiſedecho, Jobo, & Cornelio, qui ſine lege ſcripta verum Deum colebant.

Q. 1°. *Poteſtne juſtus cum auxilio gratiæ actualis vitare omnia & ſingula peccata venialia?*

R. Non poteſt in tota vita, niſi ex ſpeciali privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Eccleſia. Eſt expreſſa definitio Concilii Tridentini, ſeſſ. 6. can. 23. *In multis offendimus omnes*, Jac. 3. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*, 1. Joan. 1. quam doctrinam S. Auguſtinus probat toto lib. de perfectione juſtitiæ adversùs Pelagianos.

Dixit 1°. Concilium, *in tota vita*; quia ad breve tempus juſtus cum gratiis ordinariis poteſt etiam moraliter eſſe ſine peccato. An per diem integrum? non videtur: uſus enim loquendi SS. Patrum & Concilii Tridentini, ſeſſ. 6. can. 11. qui peccata venialia vocant quotidiana, innuit juſtum moraliter non poſſe per integrum diem ita vigilare ut nullum peccatum ſubrepat.

Dixit 2°. Concilium, *omnia venialia*; quia non pauci puros ſe cum gratia ſervant ab omnibus levioribus, quæ ex propoſito & ex plena deliberatione contingunt. Hæc quippe morali potentia vitari poſſunt, non verò quæ inadvertentiâ & fragilitate ſubrepunt: *Ad nonnulla ſuperanda*, inquit S. Auguſtinus, lib. 3. de pecc. mer. c. 1. *quæ vel malè cupiuntur, vel quæ malè metuuntur, magnis aliquando & totis viribus opus eſt voluntatis, quas nos non perfectè in omnibus adhibituros prævidit, qui per Prophetam veridicè dici voluit*: Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. Quibus verbis S. Doctor oſtendit peccata venialia, etiam quæ dicuntur fragilitatis, ſubrepere ex negligentia, ac proinde veram habere rationem peccati, cùm abſolutè & phyſicè vitari poſſint: *Motus ſingulos quidem ratio reprimere poteſt*, inquit S. Thomas hîc q. 109. art. 8. *& ex hoc habent rationem peccati & voluntarii; non autem omnes; quia dum uni reſiſtere nititur, fortaſſis alius inſurgit, & etiam quia ratio non poteſt eſſe ſemper pervigil.* Non poteſt, inquam ego, moraliter lo-

quendo ; ſed poteſt abſolutè & phyſicè, aliàs non haberent rationem peccati, cùm ad peccandum & demerendum requiratur libertas à neceſſitate.

CAPUT IV.

De Gratia efficaci.

Q. 1°. *Quid eſt gratia efficax ?*

R. Eſt actuale Dei auxilium, quo voluntas actu vult & operatur bonum infallibiliter & inſuperabiliter, liberè tamen & minimè neceſſariò. Hæc deſcriptio eruitur ex S. Auguſtino, lib. de Cor. & Grat. c. 12. ubi ſic habet : *Subventum eſt infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur ; & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliquâ vinceretur.*

Dicitur 1°. *actuale Dei auxilium*, in quo conveniunt gratia efficax & ſufficiens, utraque enim eſt ſpecies auxilii & gratiæ actualis.

Dicitur 2°. *quo voluntas actu vult & operatur* ; quibus verbis exprimitur differentia gratiæ efficacis à gratia ſufficiente : hæc potentiam complet, ut poſſit proximâ potentiâ velle & agere ; illa verò ponit potentiam in actu, & efficit ut agat.

Dicitur 3°. *infallibiliter*, ut ſignificetur voluntatem ſic motam, etſi divinæ motioni potentiâ completâ & proximâ reſiſtere poſſit, certò tamen non reſtituturam.

Dicitur 4°. *inſuperabiliter*, quâ voce S. Auguſtinus non ſignificat voluntatem efficaciter motam verè non poſſe reſiſtendo ſuperare divinam motionem, ut vult Janſenius ; ſed denotat ſolùm, nec concupiſcentiam, nec cordis duritiem, nec dæmonum conatus prævalere adversùs efficacem Dei motionem, licèt verè poſſit.

Q. 2°. *Datur ne gratia efficax ?*

R. Datur in hoc ſtatu naturæ lapſæ, Ezech. 36.

v. 26. & 27. *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis.* Joan. 6 v. 45. *Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me:* in quem locum S. Augustinus, l. de Gratia Christi, c. 19. sic scribit: *Qui ergo non venerit, non de illo rectè dicitur, audivit quidem & didicit sibi esse veniendum, sed facere non vult quod didicit*; & lib. de Cor. & Grat. c. 8. *Hac igitur gratia, quæ humanis cordibus divinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur; ideo enim datur ut cordis duritia primitùs auferatur.*

Dixi, *in hocce statu naturæ lapsæ*; quia ex S. Augustino, lib. de Cor. & Grat. c. 12. gratia Angelis adhuc viatoribus & Adamo innocenti concessa, non erat auxilium per se efficax, quo actu bonum operarentur, sed auxilium sufficiens, sine quo bonum operari non possent, & cum quo possent, si vellent: *Fortissimo*, (Adamo) *dimisit atque permisit facere quod vellet; infirmis servavit, ut ipso donante, invictissimè quod bonum est vellent, & hoc deserere invictissimè nollent.*

Q. 3°. *Quotuplex est gratia efficax?*

R. Duplex; alia quâ quis bene operatur, alia quâ in bono perseverat usque in finem.

Q. 4°. *Quomodo definitur donum perseverantiæ?*

R. Definitur à S. Augustino, lib. de dono perseverantiæ, cap. 1. donum Dei, quo perseveratur usque in finem in Christo.

Dicitur 1°. *donum Dei*, quia gratuitò & ante prævisa merita non secùs ac gloria electis præparatum est, licèt illud in ordine executionis suppliciter emereri possimus.

Dicitur 2°. *quo perseveratur*; non verò quo *perseverari potest*, ut significetur magnum illud donum esse efficacissimum: *Hoc Dei donum*, inquit S. Augustinus cit. lib. cap. 6. *cùm datum fuerit, contumaciter amitti non potest. Cùm enim perseveraverit quisque usque in finem, neque hoc donum potest amittere, nec alia, quæ poterat ante finem. Quomodo*

igitur poteſt amittere per quod ſit, ut non amittatur etiam quod poſſet amitti?

Ergo, inquies, gratiæ efficaci non poteſt reſiſti; ſi enim dono perſeverantiæ reſiſti poſſet, procul dubio poſſet etiam amitti, quod tamen negat S. Auguſtinus.

Diſtinguo conſequens; non poteſt reſiſti poſt mortem quando ſumus in termino conſtituti, concedo; non poteſt reſiſti quandiù viatores ſumus, nego conſeq. Itaque donum perſeverantiæ adæquatè ſumptum in adultis duo complectitur; 1°. actuales gratias efficaces, per quas infallibiliter juſtificantur, & invictiſſimè contra tentationes dimicant, & earum reſpectu amitti poteſt; quia ejuſmodi gratiis poteſt reſiſti, quamvis infallibiliter non reſiſtatur, ut diximus. 2°. Specialem Dei protectionem, ut gratia cum morte conjungatur, quæ beata conjunctio amitti non poteſt, cùm ſupponat hominem in termino & extra viam. Unde.

Dicitur 3°. *uſque in finem*, quo ſcilicet vita iſta finitur, *In qua*, inquit S. Auguſtinus citato c. 1. *tantummodo periculum eſt ne cadatur... potiùſque hanc* (perſeverantiam) *habuit unius anni fidelis, & quantùm infra cogitari poteſt, ſi donec moreretur, fideliter vixit, quàm multorum annorum, ſi exiguum temporis ante mortem à fidei ſtabilitate defecit.*

Q. 5°. *Exiſtitne ejuſmodi perſeverantiæ donum?*

R. De fide eſt exiſtere in hoc ſtatu; ita enim definiit Concilium Arauſicanum II. Can. 1. adversùs Semipelagianos, & Concilium Tridentinum, ſeſſ. 6. can. 22. his verbis, *Si quis dixerit juſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta juſtitia perſeverare poſſe, vel cum eo non poſſe, anathema ſit.* Apoſtolus enim, Philip. 1. v. 6. ſicut initium fidei, ita perſeverantiam gratiæ Dei tribuit. *Qui cœpit*, inquit, *in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu.* In quæ verba S. Auguſtinus ſic ſcribit c. 13. de dono perſeverantiæ: *Undè ſatis dilucidè oſtenditur, & inchoandi, & uſque in finem perſeverandi gratiam Dei, non ſecundùm merita noſtra dari, ſed dari ſecundùm*

ipsius secretissimam, eamdemque justissimam, sapientissimam, & beneficentissimam voluntatem; quoniam quos prædestinavit ipsos & vocavit, &c.

Q. 6°. *Potestne justus mereri donum perseverantiæ?*

R. 1°. Non potest de condigno: *Cum metu & tremore vestram salutem operamini*, inquit Apostolus, Philip. 2. v. 12. & 13. *Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Hîc & initium salutis, nempe velle, & perfectio seu perseverantia non meritis, sed Dei voluntati & beneplacito tribuuntur. *Mirandum est quidem, multùmque mirandum*, inquit S. Augustinus, lib. de Cor. & Grat. c. 8. num. 18. *quòd filiis suis quibusdam Deus, quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit* (quibus sanè merita comparantur) *non dat perseverantiam, cùm filiis alienis scelera tanta dimittat, atque impertitâ gratiâ faciat filios suos. Quis hoc non miretur? Quis hoc non vehementissimè stupeat?* Nihilominus.

R. 2°. Justus quilibet vigiliis & assiduis orationibus perseverantiam suppliciter mereri potest de congruo, Luc. 21. v. 35. *Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis.* 2. Petri 4. *Magis satagite ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis: hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* Et S. Augustinus, cap. 6. lib. de dono perseverantiæ, *Hoc donum*, inquit, *suppliciter emereri potest.* Unde Concilium Tridentinum, sess. 6. c. 13. docet justos omnes in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere debere.

CAPUT V.

De Gratia sufficiente.

Q. 1°. *Quid est gratia sufficiens?*

R. Describi potest, actuale Dei auxilium, quo voluntas redditur potens proximè &

completè, ſive ad operandum, ſive ad obtinendum id ſine quo operari non poſſet, quamvis contingat eam reſiſtere.

Dicitur 1°. *actuale Dei auxilium*; quia gratia ſufficiens eſt ſpecies gratiæ actualis, ut jam diximus: unde gratia habitualis ſeu ſanctificans dici nequit gratia ſufficiens.

Dicitur 2°. *Quo voluntas redditur potens*, ut ſignificetur eam gratiam ſufficientem non eſſe, ſed abſolutè inſufficientem, ſi inchoatas dumtaxat vires ad agendum tribuat; quis enim dixerit puſionem poſſe vincere gigantem, quia inchoatas habet vires ad eum vincendum?

Dices 3°. *Sive ad operandum, ſive ad obtinendum*, &c. quia duplex eſt gratia ſufficiens, alia proxima, per quam proximè & immediatè poſſumus tentationem ſuperare & præceptum implere, v. g. perſecutores diligere; alia remota, per quam nonniſi mediante oratione tentatio vinci poteſt Sed ad tollendam omnem æquivocationem, gratia ſufficiens remota non eſt ſufficiens, niſi ex intentione Dei ordinetur ad ulteriora auxilia concedenda; neque enim infimus ſcalæ gradus eſt medium remotè ſufficiens ad ſummum attingendum, ſi deſint intermedii.

Dicitur 4°. *Quamvis contingat eam* (voluntatem) *reſiſtere*; quibus verbis exprimitur differentia eſſentialis gratiam ſufficientem inter & gratiam efficacem. In eo quippe ſufficiens differt ab efficaci, quod efficax infallibiliter effectum obtineat, ſufficienti verò reſiſti contingat. Dico, *contingat*, ut ſignificetur illam voluntatis inobedientiam eſſe accidentalem gratiæ ſufficienti, contra ejus inclinationem ac Dei intentionem.

Q. 2°. *Datur ne in hoc ſtatu gratia ſufficiens?*

R. De fide eſt dari, quia ſummi Pontifices Innocentius X. & Alexander VII. in ſuis Conſtitutionibus ubique receptis, hanc Janſenii propoſitionem, *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*, declararunt hæreticam: hæretica autem non eſſet,

nisi contradictoria, hæc nempè, *Gratiæ interiori in statu naturæ lapsæ aliquando resistitur*, esset de fide. Porrò gratia interior, cui resistitur, est gratia sufficiens. Constat autem illa definitio ex scriptura, Proverb. 1. *Vocavi & renuistis.* Luc 10. *Væ tibi Corozaïn, væ tibi Bethsaïda, quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere sedentes pœniterent:* insignis est ille locus, in eo quippe sermo est de gratia per quam converti debuerant Bethsaïditæ, & per quam Tyrii revera fuissent conversi: atqui illa gratia non potest esse nisi interior, cui tamen restiterunt Bethsaïditæ. Act. 7. *Durâ cervice & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis.* Quem locum S. Thomas quod lib. 2. art. 6. intelligit de gratia interiori, sic enim habet, *Tenebantur homines interiori vocationi non resistere, sicut de quibusdam dicitur Act. 7.* Vos semper Spiritui sancto resistitis.

Dices: ex S. Augustino supra laudato, gratia statûs innocentiæ, & gratia statûs naturæ lapsæ in eo differunt quòd in priori statu gratia esset auxilium *sine quo*, seu sufficiens; in posteriori verò statu sit auxilium *quo*, seu efficax: ergo in hoc statu non datur gratia sufficiens.

Nego conseq. Quemadmodum enim, licèt homo differat à brutis animantibus, nimirùm per rationalitatem, non sequitur quòd nihil habeat cum illis commune; est quippe & ipse animal: similiter quamvis auxilium *quo* seu efficax, sit proprium naturæ lapsæ in mente S. Augustini, colligi non potest S. Doctorem nullam agnovisse gratiam actualem communem huic statui & statui innocentiæ, nimirum sufficientem. *Si Satanas loqueretur*, inquit in Psalm. 91. *& taceret Deus, haberes unde te excusares: modò aures tuæ positæ sunt inter monentem Deum & suggerentem Diabolum, quare huc flectuntur, & hinc avertuntur?*

Q. 3°. *Gratia sufficiens daturne omnibus?*

R. 1°. De fide esse dari justis, cùm instat præceptum aut urget tentatio, 1. Cor. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*, Concilium Milevitanum cap. 3. definiit gratiam justificantem non valere solùm ad remissionem peccatorum quæ jam commissa sunt, sed etiam ad adjutorium ut non committantur. Et Concilium Tridentinum, sess. 6. cap. 11. *Deus*, inquit, *suâ gratiâ semel justificatos non deserit, nisi ab iis priùs deseratur.* Quare meritò summi Pontifices Innocentius X. & Alexander VII. proscripserunt ut hæreticam & blasphemam istam Jansenii propositionem: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundùm præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia quâ possibilia fiant.*

R. 2°. Cùm ex dictis Tract. de Attrib. Deus velit omnes & singulos homines salvos fieri, & Tract. de Incarnatione, Christus pro illis sanguinem suum obtulerit, necessariò sequitur omnibus & singulis conferre aut saltem præparasse auxilia, sine quibus salutem consequi non possent; Deus enim, utpote sapientissimus, non vult finem impossibilem; atqui impossibile esset omnes & singulos homines salvos fieri, nisi sufficientia ipsis præparentur auxilia. Sed difficultas est utrum Deus non solùm præparaverit, sed etiam actu conferat omnibus & singulis hominibus gratias sufficientes.

R. 3°. Certum est parvulis qui sine Baptismo decedunt nullam gratiam actu conferri, quia non sunt capaces alterius gratiæ quàm Baptismi, qui ipsis non confertur; attamen illis præparatus erat, alioquin Deus non vellet sincerè eos salvos fieri.

Nec refert quòd in iis circumstantiis Baptismus non possit illis applicari; namque parvuli sic decedentes non minùs salvi esse possunt, imò multò magis quàm peccator adultus, qui impœnitens in amentiam incidit; quamvis enim Sacramentum pœnitentiæ in illo statu recipere non possit, nemo dicet Deum non sufficienter ipsi præparasse tale

remedium, nec propterea voluisse illum salvum fieri. Agnoscenda quidem hîc sunt Dei judicia, ut monet S. Augustinus lib. de dono perseverantiæ, cap. 12. quòd in pœnam peccati originalis dimittat causas secundas naturæ suæ defectibili, nec impediat incommoda quæ inde sequuntur, putà morbi, & mors immatura; & eatenus verum est quod ibidem scribit S. Doctor, parvulum ideò sine Baptismo hinc abire, quia Deus non vult ut detur, voluntate scilicet efficaci & consequente, concursum causarum secundarum, in quo mors parvuli sicut peccatoris repentino morbo oppressi naturaliter & sine miraculo vitari nequit. Sed quæstio superest utrùm omnibus adultis non solùm præparentur, sed etiam conferantur gratiæ sufficientes ad salutem consequendam.

R. 4°. In hac parte dissentiunt Theologi: alii magni nominis negant ullas gratias sufficientes conferri infidelibus negativis, id est, qui Evangelium audire non potuerunt, & fidelibus obduratis; alii magno numero contra affirmant quia voluntas Dei salvandi omnes & singulos homines, non est otiosa complacentia, sed decretum dandi singulis auxilia sufficientia, si nullus sit ex parte causarum secundarum defectus & naturale impedimentum; atqui nullus potest esse ejusmodi impedimentum, quominus infidelibus adultis actu conferantur auxilia saltem remotiora, putà sancta cogitatio, pia voluntatis motio, quam suprà diximus esse primam gratiam & fidem inchoatam; hæc quippe non pendent à ministerio hominum, ut Baptismus, doctrina mysteriorum fidei; sed illa Deus immediatè per se operatur, & independenter à concursu causarum secundarum, ac salvo naturali ordine universi: ergo si Deus infidelibus illa non conferat, non videtur sincerè, & quantùm est ex se, velle illorum salutem; per illum enim solùm stat quominus conferantur.

Hæc ratio, fateor, me movet, propensioremque reddit in illam sententiam, quæ nova non est, nec Molinam habet auctorem, quidquid dicant patroni

prioris ſententiæ, ut patet ex teſtimoniis veterum prolatis tom. 2. Tract. de Gratia, cap. 7. parag. 7.

Dices, ex S. Auguſtino, Serm. 26. aliàs 21. de verbis Apoſtoli, communis eſt omnibus natura, non gratia; ergo.

Diſtinguo antecedens; non gratia ſanctificans quâ ſolâ homo ſit bonus & juſtus, ut ait ibidem S. Doctor, concedo; gratia ſufficiens quæ non obtinet effectum, nego antecedens.

Quòd etiam indurati non careant omni gratiâ, ſive proximâ, ſive remotâ, ſuadent ſacræ Scripturæ & ſanctorum Patrum teſtimonia. 2. Petr. 3. *Patienter agit* (Deus) *propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* S. Auguſtinus in Pſal. 6. *Ea eſt*, inquit, *cæcitas mentis; in eam quiſquis datus fuerit, ab interiori luce ſecluditur, ſed nondum penitus, cùm in hac vita eſt.* S. Proſper in reſponſ. 15. ad objectiones Vincentianas, ait: *Nemini Deus correptionis ademit viam, nec quemquam boni poſſibilitate diſpoliat.* Et S. Thomas quæſt. 27. de veritate, art. 11. docet *Obduratum non poſſe facilè cooperari, ut exeat de peccato; & hæc eſt obſtinatio imperfecta quâ quis poteſt eſſe obſtinatus in ſtatu viæ, dum ſcilicet habet ita firmatam voluntatem in peccato, quòd non ſurgunt motus niſi debiles.*

CAPUT VI.

De Gratia habituali.

Q. 1°. *Quæ ſunt nomina gratiæ habitualis?*

R. Appellatur 1°. gratia juſtificans; quia per illam peccator fit formaliter juſtus. 2°. gratia ſanctificans, quia formalis ejus effectus eſt reddere hominem ſanctum, quemadmodum lux aut calor ſubjectum in quo recipitur, reddit formaliter lucidum aut calidum. 3°. Adoptio, Rom. 8. v. 15. *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum.* 4°. Charitas,

quia gratia habitualis est formalis unio cum Deo ; unio autem illa fit per charitatem , 1. Joan. 4. *Qui manet in charitate , in Deo manet , & Deus in eo.* Utrùm autem gratia habitualis & charitas sint unus & idem realiter habitus discordant Theologi. Affirmant S. Bonaventura , Scotus , Durandus , & alii bene multi , quia in Scripturis omnes effectus gratiæ habitualis tribuuntur charitati. Negat verò S. Thomas , & cum eo ipsius Schola , quia sicut in ordine naturali habitus virtutis supponit naturam in suo esse naturali perfectam , ita in ordine supernaturali virtus infusa supponit naturam humanam aut angelicam in esse supernaturali & divino constitutam ; constituitur autem per gratiam habitualem , quæ est nova veluti natura : ergo charitas , utpote virtus supernaturalis , supponit gratiam habitualem & sanctificantem. Unde Clementina *de summa Trinitate*, & Concilium Tridentinum, sess.6.cap.7. distinguunt gratiam habitualem à virtutum donis.

Q 2°. *Quid est gratia sanctificans ?*

Priusquàm huicce quæstioni , quæ est maximi ponderis , fiat satis , operæ pretium est præmittere impia Pseudo-reformatorum dogmata circa propositam quæstionem , ut doctrina catholica dilucidiùs exponatur , contraria enim juxta se posita magis eluceſcunt.

Pseudo-reformati igitur primò statuunt gratiam justificantem esse formaliter ipsammet Christi justitiam , quæ prædestinatis imputatur , juxta illud 1. Cor. 1. v. 30. *Qui factus est nobis à Deo sapientia , justitia , & sanctificatio :* adeo ut prædestinatus sit formaliter justus & sanctus per Christi justitiam & sanctitatem. Quomodò verò ? Definiunt secundò justitiam Christi nobis applicari per fidem , non quâ simpliciter credimus , sed quâ firmiter confidimus in promissionibus divinis ; ita ut apud eos fides nihil fiat aliud quàm certa fiducia quâ , veluti manu , apprehendimus justitiam Christi tanquam vestem quâ nos operimus, juxta illud Rom. 13. v.14.

Induimini Dominum Jesum. Hinc tertiò deducunt neminem posse esse justum, nisi confidat & certò credat se esse prædestinatum. Quartò, justitiam Christi sic apprehensam peccata regere dumtaxat, non delere, quemadmodum vestis vitia corporis tegit. Quintò, peccata hoc modo tecta in justis, ipsis non imputari, & gravissima quæque, ut sacrilegia, homicidia, adulteria, in iis esse venialia: leviora verò, ut mendacia officiosa, in non prædestinatis esse mortalia. Sextò, omnia bona opera etiam justorum per concupiscentiam esse infecta, atque ideo vera peccata etiam mortalia, sed quæ non imputantur prædestinatis. Septimò, solam fidem seu fiduciam in divinis promissionibus esse dispositionem ad gratiam justificantem, dicente Apostolo Rom. 3. v. 28. *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis.* Octavò, Sacramenta eatenus solùm prodesse, quatenus fiduciam excitant, & promissiones Dei consignant. Nonò, solam diffidentiam esse peccatum mortale, & per eam dumtaxat amitti gratiam justificantem; sed ejusmodi diffidentiam non cadere in prædestinatos, ac proindè justitiam semel acceptam amitti non posse. Decimò, cùm justitia Christi in omnibus sit eadem, omnes prædestinatos esse æqualiter justos, nec in illis ullam esse meritorum distantiam. Atqui ejusmodi articuli in mente Novatorum sunt Religionis fundamenta, cæteri verò qui spectant, v. g. præsentiam realem Corporis Christi in Eucharistia, Communionem sub utraque specie, numerum Sacramentorum, invocationem Sanctorum, cultum imaginum, quibus vulgi mentes occupant, sunt leviores quàm ut propter eos scindatur Ecclesiæ unitas. Quas omnes impietates & blasphemias Concilium Tridentinum, sess. 6. à capite 6. ad 16. sigillatim ex Scripturis refellit, & subjectis pluribus Canonibus anathemate percutit. Undè ad propositam quæstionem juxta sacræ Synodi definitiones.

R. Gratia sanctificans est supernaturale Dei donum

intrinsecùs inhærens per modum habitûs, quo homo formaliter redditur justus, sanctus, Deo gratus, Filius Dei adoptivus, & hæres vitæ æternæ.

Dicitur 1°. *Supernaturale Dei donum*, ut significetur gratiam sanctificantem non esse ipsummet Spiritum sanctum, qui sanè distinguitur à suis donis. Rom. 5. v. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

Dices 1°. Joan. 4. legitur, *Deus charitas est*: ergo. Distinguo anteced. charitas, quâ nos diligit, concedo; quâ illum diligimus, nego antecedens: hæc enim diffusa est in cordibus nostris.

Dicitur 2°. *Intrinsecè inhærens:* quia gratia sanctificans non est extrinsecus Dei favor, quemadmodum gratia Principis erga familiarem subditum, ut contendunt Novatores. *Dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent*, Jer. 31. quæ verba mutationem intrinsecam significant.

Dicitur 3°. *Per modum habitûs*, scilicet permanentis, ut patet vel ex solo exemplo parvulorum, qui per Baptismum sunt permanenter justi, nec capaces sunt ullius actûs; ergo sunt justi per habitum inhærentem & permanentem: *Qui manet in charitate, in Deo manet*, 1. Joan. 4. v. 16.

Dicitur 4°. *Quo homo formaliter redditur justus*, docente Concilio Tridentino, sess. 6. cap. 7. *Unica formalis causa* (justificationis) *est justitia Dei, non quâ ipse justus est, sed quâ nos ipse justos facit, quâ videlicet à Deo donati renovamur spiritu mentis nostræ, & non modò reputamur, sed verè justi nominamur*; habetur enim 1. Joan. 3. v. 9. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit*, QUONIAM SEMEN IPSIUS IN EO MANET. Gratiam sanctificantem vocat Apostolus semen Dei, ut meminerimus ejus infusionem habere speciem divinæ cujusdam generationis, & nos per illam fieri consortes divinæ naturæ; juxta illud 2. Petri, c. 1. *Per quem* (Christum) *maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ;*

non quidem eſſentialiter, aut hypoſtaticè, ſed accidentaliter per gratiam ſanctificantem, quæ intimè nos conjungit Deo; ita ut ſi per impoſſibile Deus non eſſet ubique, præſens tamen fieret animæ gratiâ informatæ, non ut pars componens, ſed ut principium vitæ ſupernaturalis, animam movens & elevans ad ſtatum qui tranſcendit omnem ordinem etiam angelicum & quemlibet poſſibilem. Unde meritò S. Petrus aſſerit gratiam ſanctificantem eſſe donum pretioſum & omnium maximum.

Dices 1°. Apoſtolus erat juſtificatus, & tamen Rom. 7. v. 20. agnoſcit in ſe habitare peccatum: ergo gratia ſanctificans non delet, ſed tegit peccatum.

Diſtinguo anteced. habitare peccatum metaphoricè ſumptum pro concupiſcentia inclinante ad peccatum, concedo; habitare peccatum formaliter ſumptum, nego antecedens; ait enim Rom. 8. v. 1. *Nihil ergo nunc damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto Jeſu.* Et 1. Cor. 6. v. 11. *Hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis.*

Inſtas 1°. Pſalm. 31. peccata dicuntur remitti, quatenus teguntur, nec imputantur, *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata: beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum:* ergo.

Diſtinguo antecedens; teguntur, quemadmodum color albus ſuperinducto colore nigro tegitur & evaneſcit, concedo; teguntur, ita ut remaneant occultata, nego antecedens: *Nec ſic intelligas*, inquit S. Auguſtinus in illum Pſalm. *quòd dixit peccata corpora, quaſi ibi ſint & vivant.* Et lib. 1. contra duas Epiſtolas Pelagii, cap. 13. *Dicimus Baptiſmum auferre crimina, non radere.*

Inſtas 2°. Gal. 3. v. 25. *Quicumque in Chriſto baptiſati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Ergo ſicut veſtis non delet, ſed tegit dumtaxat corporis maculas & deformitates, ita & gratia ſanctificans peccata.

Nego conſeq. Nam ex eodem Apoſtolo, Coloſſ. 3. v. 9. qui induit Chriſtum exuit veterem hominem,

adeo ut in eo nihil remaneat peccati & damnationis: *Exspoliantes vos*, inquit, *veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum.*

Dices 2°. 1. Cor. 1. v. 30. Christus dicitur factus nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio: ergo prædestinatus, per justitiam Christi ipsi imputatam, fit formaliter justus.

Distinguo anteced. Christus factus est nobis justitia, ut causa efficiens moralis & meritoria justitiæ in cordibus nostris diffusæ, concedo; ut causa formalis, per quam formaliter justi sumus, nego antecedens: namque ex eodem Apostolo, Rom. 7. per obedientiam Christi plures constituti sunt justi, quomodo per inobedientiam primi hominis peccatores constituti sunt multi: atqui inobedientia Adami non est forma quâ posteri ejus sunt peccatores, sed peccatum originale, unicuique proprium, ut definivit Concilium Tridentinum, sess. 5. can. 3. ergo neque per justitiam Christi sumus formaliter justi; sed per gratiam nobis inhærentem, quæ propriè dicitur justitia & justificans, quia formaliter peccatum excludit, & hominem reddit propensum ac dispositum ad omnia quæ legis sunt implenda. Quid est enim Philosophus, v g. nisi qui instructus est habitu Philosophiæ, quo formaliter expellitur ignorantia, & acquiritur facilitas promptè differendi de rebus philosophicis? Atqui gratia sanctificans est habitus malitiam formaliter expellens, & ad omnia quæ legis sunt hominem expeditum reddens: ergo est vera hominis justitia.

Dices 3°. incredibile videtur merum accidens tantæ esse efficaciæ, ut omnia peccata quantùmlibet enormia, statim deleat, & ex impio mox justum efficiat.

R. Quamvis illud sit omni admiratione dignissimum, pluribus tamen exemplis suadetur esse possibile; namque modicum fermentum totam massam immutat: ignis, præeunte calore, poros frigidi ferri ingrediens frigus formaliter expellit, ipsumque ferrum candens & ignitum reddit; sed, quod

ad

ad propositum maximè confert, lumine fidei mentem Hæretici vel etiam Athei innumeris erroribus implicatam subeunte, mox fugiunt mentis tenebræ, & cuncti errores evanescunt. Quidni gratia sanctificans corda in quibus diffunditur, similiter immutet & renovet; peccata, quibus non minùs contraria est quàm frigori calor, statim expellat, voluntatemque sic ad Deum convertat, & erga divinam ejus legem afficiat, ut homo omne malum summè averserur, & ad omnia quæ Deo sunt placita, totus propendeat?

Dicitur 5°. *Quo homo redditur formaliter sanctus*; sanctitas enim est immunitas ab omni labe peccati, & plena firmaque adhæsio cultui divino: atqui gratia habitualis ex dictis per se formaliter excludit peccatum, & ita inclinat hominem ad ea quæ Dei sunt, ut peccatum ipsi dominari non possit, nisi velit, *Peccatum vobis non dominabitur*, inquit Apostolus, Rom. 6. v. 14. *non enim estis sub lege, sed sub gratia*: ergo cui gratia habitualis confertur, eum formaliter reddit sanctum. Unde meritò Apostolus in omnibus ferè suis Epistolis fideles appellat sanctos.

Dicitur 6°. *Deo gratus*; quomodò enim non esset gratus Deo, qui divinæ ejus voluntati in omnibus est consentiens? *Non enim est justus nisi qui gaudet justis*, ut dicitur 1. Ethic. cap. 8. Justus autem Dominus & justitiam diligit: ergo diligit & gratos habet qui cum illo unius sunt voluntatis, *omnis sanctus in se habens animæ pulchritudinem, à Domino amatur*, inquit S. Hieronymus in cap. 10. Danielis.

Dicitur 7°. *Filius Dei adoptivus*, non denominatione extrinsecâ & mortali tantùm, quemadmodùm in civilibus adoptantur personæ extraneæ; nam ex laudato cap. 3. 1. Joan. gratia habitualis est semen Dei, quo homo sit consors divinæ naturæ, & Christo naturali Dei filio conjungitur tanquam membrum capiti, & eodem vivens spiritu; *qui enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*, Rom. 8. *Videte*,

inquit dilectus Discipulus, 1. Epistolâ, cap. 3. v. 1. *qualem charitatem nobis dedit Pater, ut Filii Dei nominemur, & simus.* Unde

Dicitur ultimò, *& hæres vitæ æternæ;* namque ex Apostolo, Rom. 8. *Si filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*

Verùm, proh dolor! quod hæresis eripere non potuit Ecclesiæ, ignorantia neglectum & quodammodò inutile reddit; quis enim æstimat quod ignorat, aut expetit quod non æstimat? Atqui vulgus fidelium, ne dicam Pastorum, justificationem non aliter apprehendit quàm Lutherani & Calviniani, nempè ut meram peccatorum condonationem, cùm tamen Pastores in hoc positi sint, ut evangelizent investigabiles Dei divitias in justificatione impii, quas præparavit, in laudem gloriæ gratiæ suæ, sciantque fideles quæ sit supereminens magnitudo virtutis Dei in nos, qui credimus secundùm operationem potentiæ virtutis ejus: verba sunt Apostoli, Eph. 7. qui totus est, ut tam admirabile Dei donum fidelibus commendet, refricet & inculcet; est enim summa doctrinæ christianæ, & ineffabilis gloria & sublimitas, quam Ecclesia habet in Christo Jesu.

Caput VII.

Explicantur reliqua quæ pertinent ad gratiam habitualem & justificantem.

Q. 1°. *Forma justificans estne unus simplex habitus, vel collectio plurium?*

R. Si spectetur essentialiter, est unus & simplex habitus, nempe gratia sanctificans: si verò spectetur integraliter, est collectio plurium habituum, scilicet gratiæ sanctificantis, omnium virtutum infusarum & donorùm Spiritûs sancti: *In justificatione*, inquiunt Patres Tridentini, sess. 6. cap. 7. *cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo*

per Jesum Christum, cui inseritur, Fidem, Spem, Charitatem.

Q. 2°. *Quid sunt virtutes infusæ?*

R. Sunt virtutes entitativè supernaturales, & à solo Deo producibiles, dividunturque in theologicas, nempe Fidem, Spem & Charitatem; & in morales, scilicet Prudentiam, Justitiam, Fortitudinem & Temperantiam; quæ ideò dicuntur cardinales, quia cæteræ, ut Religio, Humilitas, Castitas, &c. iis nituntur tanquam cardinalibus.

Q. 3°. *Quid sunt dona Spiritûs sancti?*

R. Sunt habitus supernaturales, per quos homo disponitur ad extraordinariam Spiritûs sancti inspirationem & motionem promptè exequendam.

Dixi *extraordinariam*, ut dona distinguantur à virtutibus infusis; hæ quippe disponunt ad actiones, quæ licèt supernaturales sint, ordinarium tamen prudentiæ modum excedunt: dona verò Spiritûs sancti inclinant & movent, supra communem justorum prudentiam; quò fit ut prudentes seculi qui facilè blasphemant quod ignorant, imprudentiæ & stultitiæ illos accusent, in quibus deprehendunt extraordinarios illos actus, qui ita transcendunt humanam prudentiam, ut tamen ei non repugnent.

Q. 4°. *Quare gratia sanctificans virtutes infusas habet individuas comites?*

R. Quia gratia sanctificans est quædam natura supernaturalis (si ita loqui fas est) seu divinus perfectionis gradus, non solùm naturam pecorinam & rationalem, sed quamcumque aliam excedens, quæ tanquam prima radix essentialiter ordinatur ad operationes sibi consentaneas, hoc est supernaturales & divinas, cùm modus operandi sequatur modum essendi: ergo sicut naturæ pecorinæ & sensitivæ debentur potentiæ sensitivæ, ut visus, gustus, olfactus; & naturæ rationali potentiæ rationales, v. g. intellectus & voluntas, ut operationes ad quas natæ sunt, exerceant; ita gratiæ sanctificanti, quæ est nova veluti natura & prima radix operationum

divinarum, reſpondere debent potentiæ ſupernaturales, per quas ſupernaturaliter operetur. Porrò potentiæ illæ ſunt virtutes infuſæ, per quas homo juſtificatus deinceps operetur, non ſolo lumine ſenſuum, ut bruta animantia, nec ſolo lumine rationis, ut Philoſophi, ſed ſupernaturali fidei lumine & ſpiritu Chriſti capitis ſui; *Qui enim ſpiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei*: Et, *qui ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.* Rom. 8. v. 14. & v. 9.

Q. 5°. *Dona Spiritûs ſancti ſuntne neceſſariò cum gratia ſanctificante connexa?*

R. De iis non æquè conſtat apud Theologos ac de virtutibus infuſis. Affirmat tamen S. Thomas, cui adhærendum videtur: quia, cùm certum ſit Spiritum ſanctum, qui eſt ſpiritus Chriſti capitis noſtri, nonnunquam hominem extraordinariè movere, membra Chriſti debent eſſe parata ad omnem ejus motum recipiendum, tum ordinarium, tum extraordinarium: Primum habetur per virtutes infuſas, ſecundum per dona Spiritûs ſancti. Ergo homo in juſtificatione accipit cum virtutibus dona Spiritûs ſancti.

Q. 6°. *Quot ſunt dona Spiritûs ſancti?*

R. Septem numerantur, Iſa. 11.

Primum eſt donum Sapientiæ, quo æterna ſuaviùs contemplamur, & ſecundùm ea de rebus omnibus judicamus.

Secundum eſt donum Intelligentiæ, quo mens juſti myſteria fidei clariùs penetrat.

Tertium eſt donum Scientiæ, quo illuſtrata ratio de temporalibus rectè judicat, nimirùm non eſſe æſtimanda aut appetenda, quin & abjicienda quantùm fieri poteſt, veluti onera & impedimenta, quæ retardant animam ad Deum anhelantem. Verùm quia vitæ neceſſitas cogit ſervire hujuſmodi vanitatibus, donum ſcientiæ tantùm abeſt ut inflet, quemadmodum ſcientia Philoſophorum, quin juſtum dejiciat, & ſecundùm S. Auguſtinum, naturaliter parit donum lacrymarum.

Quartum est donum Consilii, quo in iis quæ accidunt feliciter & supra humanam prudentiam eligimus quæ ad salutem magis expediunt.

Quintum est donum Fortitudinis, quo extraordinariè firmatur animus in rebus arduis & terribilibus, qualia sunt mortis pericula.

Sextum est donum Pietatis, quo extraordinariè ad cultum divinum afficimur, & ultrà quàm virtus Religionis communiter præscribit.

Septimum est donum Timoris, nempe reverentialis erga Deum, quo animus omnem Dei irreverentiam modo singulari aversatur.

Q. 7°. *An & quæ dispositiones sint necessariæ ad gratiam sanctificantem?*

R. 1°. In parvulis nulla requiritur; si enim primus Adam illis nocere potuit sine propriæ eorum voluntatis motu, multò magis secundus Adam eis prodesse potest.

R. 2° Adultis gratia sanctificans non conceditur sine præviis eorum dispositionibus. Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, vitâ vivet.* Zach. 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Sanctus Augustinus, serm. 15. de verbis Apostoli, nunc autem serm. 169. cap. 11. *Sine voluntate tua non erit in te justitia Dei:* & infrà: *Qui ergo fecit te sine te, non te justificat sine te.* Denique Concilium Tridentinum sess. 6. can. 9. *Si quis dixerit solâ fide impium justificari... & nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari, anathema sit.*

Dices: Rom. 3. v. 28. ait Apostolus, *Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus legis*: ergo.

Distinguo antecedens cum Patribus Tridentinis sess. 6. cap. 8. Sine operibus legis, quæ fidem præcedunt ex solis liberi arbitrii viribus, concedo: quæ ex fide & Spiritûs sancti motione procedunt, nego antecedens. *Pœnitentiam agite*, inquit Princeps Apostolorum, Act. 2. *& baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum.*

Q. 8°. *Potestne quis esse certus se gratiam sanctificantem esse consecutum?*

R. 1°. Absque speciali Dei revelatione nemo potest esse certus certitudine fidei divinæ; ita definit Concilium Tridentinum, sess. 6. can. 13. *Nescit homo*, inquit Sapiens, Eccles. 9. *utrùm amore vel odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta.* Et ipse Apostolus de seipso ait, 1. Cor. 4. *Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Et Philippenses gravissimis hisce verbis monet, cap. 2. v. 12. *Cum motu & tremore salutem vestram operamini.*

R. 2°. Potest quis esse certus certitudine quadam morali, quæ, etsi non excludat omnem formidinem, sufficit tamen ad sedandas animi anxietates; nam Rom. 8. *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quòd Filii Dei sumus.*

R. 3°. E contrariò moraliter certus est se gratiam sanctificantem in sacramentali confessione non accepisse, nec proinde peccatorum remissionem, qui non est renovatus spiritu, qui nedum delectetur justitiâ & concupiscat adversùs carnem, adhuc terrena sapit, & spiritualia fastidit; *Qui enim secundùm carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt: qui verò secundùm spiritum sunt, quæ sunt spiritûs sentiunt*, Rom. 8. v. 15.

CAPUT VIII.

De effectibus gratiæ.

Q. 1°. *Qui sunt effectus gratiæ?*

R. Justificatio & meritum bonorum operum.

Q. 2°. *Quid est justificatio?*

R Definitur à Concilio Tridentino, sess. 6. cap. 4. translatio à statu peccati ad statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei.

Ergo justificatio est motus à contrario ad contrarium, scilicet à peccato ad justitiam, quemadmodum calefactio est transitus à frigore ad calorem.

Ergo in justificatione impii sunt duæ mutationes partiales, juxta commune Philosophorum effatum, generatio unius est corruptio alterius. Prima mutatio est destructio seu expulsio peccati. Secunda, introductio seu productio gratiæ sanctificantis.

Q. 3°. *Quid in justificatione est præcipuum; an remissio peccati, an gratiæ infusio?*

Respondet S. Thomas, quæst. 111. art. 1. infusionem gratiæ esse quid præcipuum, quia in omni motu magis intenditur terminus ad quem, v. g. sanitas, quàm terminus à quo receditur, v. g. expulsio morbi: atqui infusio gratiæ est terminus ad quem justificationis, remissio verò peccatorum est terminus à quo: ergo.

Q. 4°. *Justificatio impii estne maximum Dei opus?*

R. Post unionem hypostaticam, quâ homo fit substantialiter Deus, est maximum Dei opus; quia, ut ait sanctus Thomas, cit. q. 113. art. 9. *Terminatur ad bonum æternum divinæ participationis.* Et sanctus Augustinus, tract. 72. in Joan. *Prorsùs majus hoc esse dixerim quàm est cœlum & terra, & quæcumque cernuntur in cœlo & in terrâ.* Quin, si gratia justificans, quæ permanet in Beatis, conferatur cum lumine gloriæ, præstantius videtur esse donum, quia se habet tum ad lumen fidei, tum ad lumen gloriæ, veluti natura ad suas facultates, quarum est radicale principium.

Q. 5°. *Justificatio impii estne miraculum?*

R. Si fiat suprà consuetum gratiæ operandi modum, & præscriptum ordinem, v. g. si adultus sine præviis dispositionibus subitò justificetur, ut S. Paulus, & latro ad latus Christi in cruce pendentis, est verum miraculum: secùs, si fiat secundùm consuetum gratiæ operandi modum, quæ, sicut natura, ab imperfectioribus incipiens, paulatim ad perfectiora progreditur; quia ad verum miraculum satis

non est, ut opus excedat naturæ vires, sed insuper requiritur ut sit rarum; unde creatio animæ rationalis non est miraculosa, quia fit secundùm communem ordinem à Deo præscriptum & exigentibus præviis dispositionibus. Miraculum ergo à Deo expectant, qui conversionem suam ad extremum vitæ differunt.

Cætera quæ pertinent ad justificationis essentiam, proprietates & dispositiones, exposuimus duobus capitibus immediatè præcedentibus: de solo igitur merito, quod est alter gratiæ effectus, nobis dicendum supereſt. Sed quia meritum ex actibus bonis exurgit, priùs tractandum videtur de Actibus humanis, & quærendum in quo consistat eorum bonitas, quàm quidquam de merito definiamus.

TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

CAPUT I.

De notione actûs humani.

Q. 1°. *Estne aliquod discrimen inter actionem hominis & actionem humanam?*

R. Affirmativè: actio quippe hominis dicitur ea quæ ab homine procedit, absque rationis advertentia: actio verò humana est ea quæ fit deliberatè & cum advertentia rationis. De posteriori dumtaxat instituitur hic tractatus.

Q. 2°. *Quid est actus humanus?*

R. Est actus à voluntate hominis deliberatè procedens. Ita S. Thomas, primâ Secundæ qu. 1. art. 1.

Dicitur 1°. *à voluntate hominis procedens*; quòd sit vel immediatè vel mediatè; si immediatè à voluntate procedit, ut volitio, amor, &c. dicitur actus elicitus: si mediatè tantùm, ut cognitio, deambulatio, &c. actus dicitur imperatus; quia nec cognitio, nec ambulatio, producuntur à voluntate; sed ab aliis potentiis; illa ab intellectu, ista à facultate motrice; dicuntur tamen actus à voluntate imperati, quia non exeunt à suis propriis facultatibus, nisi imperante voluntate.

Dicitur 2°. *deliberatè*, hoc est, cum electione & advertentia rationis, ac proinde liberè.

Actus autem procedit à voluntate, vel consentaneè ad rectam rationem, vel dissentaneè, & hoc respectu dicitur actus moralis, bonus vel malus.

Ergo in actu humano tria sunt spectanda, scilicet voluntarium, liberum, & morale.

§. I. *De Voluntario.*

Q. 1°. *Quid est voluntarium?*

R. Est quod fit à principio interno cognoscente singula in quibus est actio. Ergo ad voluntarium duo requiruntur. Primò debet esse à principio intrinseco: unde violenta tractio in carcerem non est voluntaria in eo qui trahitur, quia fit à principio extrinseco, nihil conferente voluntat: patientis. Secundò debet esse agens, à quo procedit actio voluntaria, cognoscere ea in quibus versatur ejus actio.

Ergo absoluta violentia seu coactio, & ignorantia invincibilis, excludunt voluntarium.

Q. 2°. *Quotuplex est violentia seu coactio?*

R. Duplex, alia absoluta, alia secundùm quid, quæ dicitur à S. Thoma coactio insufficiens.

Violentia absoluta est actio quæ procedit totaliter à principio extrinseco, ut tractio in carcerem, ad quam nihil confert qui trahitur, sed tota est à satellitibus.

Violentia insufficiens & secundùm quid, est actio quæ procedit partim à principio interno, partim ab externo, ut consensus cum repugnantia datus ob metum ab altero injectum, vel ob gravem tentationem ex Dæmonis vel propriæ concupiscentiæ impulsu.

Q. 3°. *Omnis violentia seu coactio tollitne voluntarium?*

R. Absoluta tollit omnino, quia actio nullatenus procedit à voluntate: insufficiens verò & secundùm quid non tollit, sed minuit tantùm; quia actio sic coacta procedit partim à voluntate, partim à principio externo.

Q. 4°. *Voluntas potestne cogi coactione absolutâ?*

R. Non potest quoad actus elicitos, quia sicut omnis operatio intellectûs est intellectio seu cognitio, sic omnis actus voluntatis est volitio: manifesta autem est contradictio volitionem non esse voluntariam nec à voluntate procedere.

Ergo apostasia à Christo, perjurium, & alia crimina metu extorta, sunt absolutè voluntaria, & secundùm quid tantùm involuntaria, ac proinde à peccato excusari non possunt.

Dixi *quoad actus elicitos*; quia actus aliarum facultatum possunt esse simpliciter & absolutè coacti; sed tunc non sunt à voluntate imperati, nec ab ea procedunt sive mediatè, sive immediatè: unde voluntas absolutè cogi non potest ad imperandum ullum actum, putà thurificationem in idoli cultum.

§. II. *De ignorantia.*

Q. 1°. *Quotuplex est ignorantia?*

R. Duplex, alia juris, alia facti, & utraque est vel vincibilis vel invincibilis.

Ignorantia juris est in eo qui ignorat legem, v. g. usuram esse prohibitam.

Ignorantiâ facti laborat, qui sciens legem prohibentem, v. g. usuram, vel præcipientem jejunium in pervigilio S. Joannis Baptistæ, ignorat quem

init contractum esse usurarium, vel non advertit diem quâ comedit carnes esse pervigilium S. Joannis Baptistæ.

Ignorantia vincibilis est eorum quæ quis scire potest & debet: invincibilis verò eorum quæ quis scire omnino nec potest nec debet.

Q. 2°. *Quotuplex est ignorantia vincibilis?*

R. Duplex: affectata, quâ quis nescire affectat, ut liberiùs peccet; crassa, quâ quis, etiamsi directè non affectet nescire, non adhibet tamen diligentiam necessariam ut sciat quæ debet scire.

Q. 3°. *Ignorantia vincibilis tollitne voluntarium?*

R. 1°. Affectata voluntarium & peccatum auget, nedum minuat, quia ex S. Thoma 1. Sec. q. 76. art. 4. *ex intentione voluntatis ad peccandum provenit quòd aliquis vult subire ignorantia damnum, propter libertatem peccandi.*

R. 2°. Crassa ignorantia minuit voluntarium, quia minuit cognitionem; actio enim quæ procedit à principio minùs cognoscente, est minùs voluntaria, ac proindè minùs malitiæ continet, *qui non cognovit & fecit digna plagis, vapulabit paucis*, Luc. 12.

R. 3°. Ignorantia crassa nec voluntarium absolutè tollit, nec à peccato omnino excusat; quia est volita saltem indirectè, quatenus ignorans vel omittit voluntariè diligentiam necessariam, ut ignorantia, quâ laborat, expellatur; vel voluntariè suscipit officium, ad quod gerendum non potest assequi scientiam necessariam.

Dices, ex concessis: ubi nulla est cognitio, nullum quoque est voluntarium; atqui plures nesciunt quæ scire possunt & debent, nec advertunt se nescire, nec in mentem eorum venit sibi adhibendam diligentiam ut pleniùs edoceantur. Ejusmodi fuerunt Judæi, qui ex zelo legis persecuti sunt Christum Dominum; si enim illum cognovissent, nunquam crucifixissent, 1. Cor. 2. Hæretici, quorum non pauci solo Dei timore videntur suæ sectæ addicti; plures Judices, Pastores & Confessarii, qui ponentes

tenebras lucem, putant se obsequium præstare Deo: ergo ignorantia vincibilis sæpè tollit omnino voluntarium & peccatum.

Distinguo minorem: plures non advertunt se nescire, sed advertere possunt & debent, concedo: advertere non possunt, ut in exemplis allatis, nego minorem: namque primò Judæi per miracula & prophetias Christum Dominum cognoscere potuerunt. Secundò hæretici & alii infideles, quibus annuntiatum est Evangelium, si vellent attendere ad notas veræ Religionis, facilè Ecclesiam Catholicam agnoscerent. Tertiò Fideles multò minùs sunt excusandi ob ignorantiam quàm & hæretici & infideles: eorum enim cæcitas nascitur vel ex nimia sui fiducia, vel ex illicitis cupiditatibus, vel denique ex negligentia & socordia.

Ergo meritò damnata est ab Alexandro VIII. anno 1690. & à Clero Gallicano anno 1700. ut erronea & piarum aurium offensiva hæc propositio: *Peccatum philosophicum, quantùmvis grave in eo qui Deum vel ignorat vel de Deo actu non cogitat, non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æternâ pœnâ dignum.*

Ergo peccata ignorantiæ vincibilis, etsi minùs sint gravia quàm peccata malitiæ, majori tamen periculo æternæ damnationis exponunt, quia plerumque conjuncta sunt cum impœnitentia finali; quomodo enim quis resipisceret à peccato, cujus nullam gerit conscientiam? Hinc geminatæ preces Ecclesiæ, *illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.* Hinc tremor firmissimarum etiam Ecclesiæ columnarum: *Multùm timeo occulta mea*, inquit S. Augustinus, lib. 10. Conf. c. 37. *quæ norunt oculi tui, mei autem non. Tu nosti hâc de re gemitum cordis mei, & flumina oculorum meorum.*

Q. 4°. *Omnis ignorantia invincibilis excusatne à peccato?*

R. Affirmativè; sive illa sit facti, sive juris positivi, vel humani, vel divini, vel etiam naturalis

(si tamen hæc detur,) quia ejusmodi ignorantia excludit prorsùs voluntarium: Atqui *peccatum usque adeo voluntarium est*, inquit S. Augustinus, lib. de vera Religione, c. 4. *ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Et hoc ita manifestum, ut nulla Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.*

Confirmatur responsio ex summis Pontificibus Pio V. & Gregorio XIII. qui damnarunt sequentes Baii propositiones: *Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium.* Item: *Infidelitas negativa in iis quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.* Alexander quoque VIII. anno 1690. perstrinxit hanc propositionem, *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato formali.*

Dices: peccatum originale est peccatum propriè dictum, quia fuit voluntarium in Adamo: ergo à pari quæ fiunt ex ignorantia invincibili contra legem, censeri debent voluntaria in primo parente, ac proinde formaliter peccata.

Nego consequentiam & paritatem; quia peccatum originale est peccatum naturæ, satisque est ad illud contrahendum quod tota natura fuerit in Adamo, & per illius voluntatem, utpote toti generi humano communem, corrupta fuerit: at quæ fiunt ex ignorantia, sive vincibili, sive invincibili, sunt actus personales: ergo debent esse voluntarii, propriâ voluntate, alioquin, si essent peccata naturæ, nasceremur rei non tantùm peccati originalis, sed & omnium peccatorum quæ in statu naturæ corruptæ committuntur.

Peccatum autem personale non potest esse voluntarium propriâ voluntate, nisi adsit cognitio vel directa, ut in iis qui deliberatè peccant, vel indirecta, hoc est, in causa in qua prævideri potuit & debuit. Porro posteri Adæ nec potuerunt nec debuerunt in illo prævidere quæ faciunt ex ignorantia invincibili: ergo illa non sunt peccata formaliter, sed materialiter tantùm.

Q. 5°. *Daturne ignorantia invincibilis juris naturalis ?*

R. 1°. Non datur circà prima principia, neque circà conclusiones quæ proximè deducuntur ex primis principiis, v. g. circa præcepta Decalogi, nisi fortè in quibusdam circumstantiis difficilioribus, in quibus crederet quis, v. g. se graviter peccaturum, nisi proferret mendacium officiosum & necessarium ad vitandam mortem proximi. Et ratio est quia peccatum naturam humanam prorsus non corrumpit, alioquin homo per peccatum desineret esse homo, & in alienam naturam transmutaretur : atqui si in eo nullum rationis lumen remaneret, quo perciperet prima principia per se nota & conclusiones cum iis evidenter connexas, jam non esset homo. Undè Aristoteles, lib. 3. Moralium, sic scribit : *Quæ agenda, quæve fugienda sunt, nullus improbus ignorat ; non igitur ideò quisque involuntariè agere dicitur, quia quod expedit, nescit : omnino enim ista ignorantia, quâ quis eligit certum aliquod malum, non efficit ut involuntaria sit illa actio, sed ut mala sit ; talem enim ignorantiam vitio vertimus.* Illud ipsum agnoscit S. Augustinus in Psalm. 116.

R. 2°. Potest esse ignorantia invincibilis circà conclusiones legis naturalis, quæ nonnisi remotè deducuntur ex primis principiis, qualis est prohibitio usuræ, uxorum pluralitas, matrimonii indissolubilitas, etiam interveniente aliquâ gravi causâ. Ratio est, quia non deducuntur ex primis principiis, nisi longiori discursu, cujus moraliter capaces non sunt ut plurimum homines indocti & tardioris ingenii ; quin in iis aliquando sapientiores falluntur & contradictorias sequuntur opiniones.

Dices : ex Gersonio lib. de vita spiritali, *Consors est sententia, nullam in iis quæ legis naturalis sunt, cadere ignorantiam invincibilem :* ergo.

Distinguo antec. quæ legis naturalis sunt, si spectetur quoad prima principia, & primarias conclusiones remotiores, nego antec. si enim bona fides, præsertim

eorum qui ex consilio sapientiorum, vel etiam Pastorum, moraliter certi sunt & operantur, à peccato non excusaret, omnibus de æterna salute desperandum foret; unde meritò Clerus Gallicanus anno 1700. erroneam judicavit hanc propositionem, quam Alexander VIII. jam damnaverat anno 1690. *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam.*

§. III. *De Libero.*

Q. 1°. *Voluntarium estne idem ac liberum?*

R. Minimè, crescente enim voluntario per concupiscentiam, minuitur liberum: quin amor beatificus est maximè voluntarius, & tamen liber non est, quia maximè est necessarius.

Q. 2°. *Quotuplex est libertas?*

R. Duplex; alia dicitur libertas naturæ, alia libertas arbitrii.

Q. 3°. *Quid est libertas naturæ?*

R. Est libertas per quam habet quævis natura ut sine impedimento tendat in suum finem & bonum sibi conveniens. Hoc sensu dicimus aquam liberè fluere, quando violenter non retinetur, Beatos liberè in Deum ferri, & SS. Aug. & Thomas scribunt Deum liberè vivere, & Deum liberè seipsum amare. Unde patet libertatem naturæ non excludere necessitatem, nec constituere actum humanum, qui cum deliberatione à voluntate procedit; Deus enim non vivit, nec seipsum amat, nec Beati Deum ex liberatione.

Q. 4°. *Quid est libertas arbitrii?*

R. Est potentia activa, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere & non agere.

Dicitur 1°. *Potentia*; neque enim est actus, cùm homo maneat liber, etiamsi non agat: neque etiam est habitus, quia idem habitus non inclinat ad actus contrarios, v. g. ad actum temperantiæ & intemperantiæ: libertas autem arbitrii se habet ad utrumque.

Dicitur 2°. *Activa*, ut distinguatur libertas arbitrii à potentia passiva, quæ est indifferens ad recipiendam hanc vel illam formam, putà calorem

vel frigus, determinaturque non à seipsa, sed ab agente eam disponente: at libertas arbitrii est potentia indifferens ad agendum & non agendum, & sui ipsius determinativa.

Dicitur 3°. *Positis omnibus ad agendum prærequisitis*; in quo distinguitur causa libera à causis necessariis. Hæ quippe, quandiu non ponuntur prærequisita ad agendum, indeterminatæ quidem sunt & indifferentes ad hunc vel illum effectum, v. g. ignis ad comburendum lignum, vel ad liquefaciendum metallum: ubi verò ponuntur, necessariò determinatæ sunt ab objectis & dispositionibus; ignis v. g. necessariò comburit lignum præparatum & sibi applicatum: causa verò libera, positis omnibus ad agendum prærequisitis, v. g. motione gratiæ efficacis, aut vehementis concupiscentiæ, potest suspendere suum actum, resistere huic motioni, nec nisi à seipsa determinatur.

Q. 5°. *Quotuplex est libertas arbitrii?*

R. Duplex, nempè contrarietatis & contradictionis.

Libertas contrarietatis dicitur ea quâ quis potest eligere contraria, bonum & malum: contradictionis, quâ quis potest ponere actum vel non ponere, velle & non velle.

Q. 6°. *Quotuplex est libertas contradictionis?*

R. Duplex, scilicet specificationis & exercitii.

Libertas specificationis est ea quâ quis potest eligere actus diversæ speciei, v. g. jejunium aut eleemosynæ erogationem: exercitii, quâ voluntas, etsi necessariò determinata ad unum, quemadmodum Christus Dominus erat determinatus ad mortem crucis subeundam, indeterminata tamen manet ad hunc vel illum actum, potestque hunc potiùs eligere quàm alium. Consule quæ ad hujusce divisionis intelligentiam diximus de merito Christi, tractatu de Incarnatione, pag. 149. ubi probavimus libertatem exercitii sufficere ad meritum, cùm per eam agens verè sit dominus sui actûs, possitque illum ponere vel non ponere.

Q. 7°. *Quæ arbitrii libertas competit homini?*

R. 1°. In hoc ſtatu competit illi libertas contrarietatis & contradictionis, ſive ſpecificationis, ſive exercitii. *Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi*, Eccli. 15. *Agit Deus ut velimus & credamus*, inquit S. Auguſtinus, lib. de ſpir. & lit. cap. 33. *ſed conſentire, vel diſſentire poſſe, propria voluntatis eſt.* Et S. Bernardus, lib. de grat. & lib. arb. c. 2. *Ubi neceſſitas, ubi libertas non eſt, nec meritum, ac per hoc nec judicium: cùm ergo voluntas nihil liberum habeat niſi ſe, meritò non judicatur niſi ex ſe; ſiquidem nec tardum ingenium, nec labilis memoria, nec inquietus appetitus . . . reum per ſe ſtatuunt hominem, ſicut nec contraria innocentem: & hoc non ob aliud, niſi quia hæc neceſſariò & præter voluntatem poſſe provenire probantur.* Denique ſummi Pontifices Innocentius X. & Alexander VII. tanquam hæreticam damnarunt hancce Janſenii propoſitionem: *Ad merendum vel demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.*

R. 2°. Beati non ſunt liberi libertate contrarietatis, quia poſſe peccare eſt defectus, ſupponitque cæcitatem mentis & infirmitatem voluntatis, quæ vitia excludit ſtatus beatitudinis; in tanta enim luce malum obrepere non poteſt ſub ulla ſpecie boni, ſine qua tamen amari nequit, cùm per ſeipſum non ſit amabile; ac proinde Beati ſunt omnino impeccabiles.

Neque etiam Beati habent libertatem contradictionis reſpectu viſionis Dei intuitivæ & amoris beatifici, quia actus illi ſunt maximè neceſſarii, nec cum deliberatione à voluntate procedunt, utpote qui verſentur circa ultimum finem, à quo voluntas ſine peccato non deflecteret: voluntas autem Beatorum eſt impeccabilis.

Beati igitur ſunt liberi libertate contradictionis, tum ſpecificationis, tum exercitii circa objecta inferiora, quia cùm ſint bona finita, habeantque

rationem mediorum, quorum est electio, ut docet S. Thomas, possunt appeti aut non appeti, salvâ lege æternâ.

§. IV. *De Morali.*

Q. 1°. *Quid significat vox illa* morale ?

R. Quod ad mores pertinet.

Q. 2°. *Quid est mos ?*

R. Generatim est frequens operandi modus communis vel generi, putà omnibus animalibus, vel speciei, v. g. homini.

Mos autem oritur vel ex naturali instinctu & naturæ determinatione, vel ex electione voluntatis liberè se determinantis ex rationis judicio. Primum constituit mores animalium irrationalium : secundum mores hominum, qui ut tales, non agunt nisi deliberatè & ex aliquo rationis judicio, ut advertit S. Bernardus, lib. de grat & lib. arb. cap. 2. ubi sic scribit : *Habet sanè* (voluntas) *quocumque se verterit semper rationem comitem & quodam modo pedissequam, non quòd semper ex ratione, sed quòd nusquam absque ratione moveatur ; ita ut multa faciat per ipsam contra ipsam, hoc est, quasi per ejus ministerium, contra ejus consilium, sive judicium .... Est verò ratio data voluntati, ut instruat illam, non ut destruat : destrueret autem, si necessitatem ei ullam imponeret.*

Q. 3°. *Quid ergo morale dicit præter liberum ?*

R. Dicit ordinem & relationem ad naturam rationalem & rectam rationem. Liberum quippè dupliciter spectari potest, vel præcisè prout cum deliberatione exit à voluntate ad actum : vel prout exit consentaneè aut dissentaneè naturam rationalem & rectam rationem ; atque sub hoc respectu actus humanus dicitur moralis, bonus vel malus, laude vel vituperio dignus.

Ergo omne liberum morale, & vice versâ, omne morale est liberum, quia omnis actus liber vel est consentaneus naturæ rationali, & secundùm

rectum rationis judicium, vel dissentaneus.

Dices: operatio artificialis libera est, nec tamen moralis: ergo omnis actio libera non est moralis.

Nego anteced. neque enim artifex exuit hominem ut vacet suo operi, sed debet illud perficere, cùm secundùm artis suæ regulas, tùm maximè secundùm rectam rationem, actuum humanorum regulam; alioquin actus, licèt ad normam artis expressus, erit simpliciter malus, & secundùm quid bonus, scilicet in genere artificialium, & artifex ab eo verè denominabitur improbus homo, bonus verò artifex.

Hactenus de actu humano secundùm essentiam spectato; nunc, quod caput est, dicendum de bonitate ejus morali & malitia, quæ sunt ejus proprietates.

Caput II.

De bonitate & malitiâ actuum humanorum.

Q. 1°. *In quo consistunt bonitas & malitia actionis humanæ?*

R. 1°. Bonitas seu honestas actionis humanæ consistit in conformitate & convenientia cum natura rationali, adeo ut rectè & ex virtute vivere idem sit homini ac rationabiliter agere; res enim quælibet est bona, cùm facit ea ad quæ nata est: *Vitem laudamus*, inquit Seneca, *si fructus palmitem onerat ... In homine laudandum est quod ipsius est, consummaturque ejus bonum, si implet cui natus est.* Atqui natura hominis est rationalis: ergo bonus est & benè agit, si rationabiliter & recto rationis judicio operatur.

Hæc responsio comprehendit actiones supernaturales; quamvis enim sint supra naturam, naturæ tamen rationali maximè conveniunt, cùm ex S. Augustino posse habere fidem naturæ sit humanæ, non pecorinæ.

R. 2°. Malitia actionis humanæ consistit in differ-

mitate & repugnantia cum natura rationali. Responsio patet ex præcedenti, nam contrariorum contrariæ sunt rationes: ergo si bonitas actionis humanæ est ejus conformitas cum natura rationali, malitia est ejus difformitas cum natura rationali.

Q. 2°. *Quomodo definitur actio moraliter bona, & actio moraliter mala?*

R. Bona definitur, actio humana libera naturæ rationali consentanea: mala verò, actio humana libera, naturæ rationali dissentanea & repugnans.

Dices: creatura rationalis debet priùs attendere quid placitum sit Deo, & conforme ejus voluntati, quàm quid ipsi conveniat: ergo bonitas actuum humanorum reponenda est in conformitate ad legem æternam & ad divinam voluntatem.

Confirmatur; actio mala est peccatum & offensa Dei; atqui eatenus peccatum est & offensa, quatenus repugnat legi æternæ & voluntati divinæ: ergo.

Concesso antecedente, nego conseq. quia cùm natura rationalis sit ad imaginem & similitudinem Dei, actus qui ei conveniunt aut repugnant, hoc ipso conformes sunt aut difformes legi æternæ, cujus recta ratio seu lex naturalis est irradiatio & divina impressio. Perinde ergo est definire bonitatem & malitiam actuum humanorum per ordinem vel ad rectam rationem tanquam ad proximam regulam, vel ad legem æternam tanquam ad primariam regulam & omnium legum radicem.

Meliùs tamen & clariùs explicantur bonitas & malitia actuum humanorum per ordinem ad naturam rationalem; cur enim brutorum motus, qui in ipsis sunt naturales, & secundùm legem æternam diriguntur, in homine sunt vitia, repugnantque legi æternæ, nisi quia natura bestiarum non est ad similitudinem Dei, à qua homo recedit dum brutorum more operatur & vivit? Ergo satis non explicatur bonitas aut malitia actuum humanorum per convenientiam aut oppositionem ad legem æternam; optimè verò per conformitatem & difformitatem ad naturam rationalem.

Q. 3°. *Unde desumitur bonitas vel malitia actuum humanorum, seu, quod idem est, convenientia & disconvenientia cum natura rationali?*

R. Ex tribus capitibus, nempè ex objecto, fine, & circumstantiis.

Caput III.

De Objecto actuum humanorum.

Q. 1°. *Quare bonitas & malitia actuum humanorum desumuntur ex objecto?*

R. Quia actus formam & speciem ab eo recipiunt; visio, v. g. differt essentialiter ab auditu, estque eo melior & nobilior, quia habet objectum nobilius: ergo si objectum actûs humani sit bonum aut malum, actus similiter bonus erit aut malus.

Q. 2°. *Quotuplex est objectum?*

R. Duplex, scilicet materiale & formale, quod dicitur motivum.

Materiale est id circa quod versatur actio; v. g. miseria pauperis est objectum materiale actûs misericordiæ, quia circa illam versatur.

Formale est ratio sub qua actio tendit in objectum materiale; sic sublevatio pauperis est objectum formale actûs misericordiæ, quia misericordia respicit pauperem ut sublevandum.

Q. 3°. *Ex quonam objecto actus desumit suam bonitatem aut malitiam?*

R. Ex utroque, sed præcipuè ex objecto formali.

Ex materiali quidem, quia quò objectum materiale est præstantius, eò perfectior actus existit, cæteris paribus: quò verò naturæ rationali magis repugnat, eò actus est pejor. Hinc amor Dei melior est amore proximi, licèt uterque habeat idem objectum formale seu motivum, nempe Dei bonitatem; & odium Dei pejus est odio proximi: deinde objectum per se malum, etiamsi voluntas feratur in mendacium motivo honesto, v. g. charitatis.

Ex objecto etiam formali, & quidem præcipuè, actus humanus desumit suam bonitatem aut malitiam, quia objectum formale præsertim reddit actum voluntarium; est enim ratio propter quam voluntas fertur in objectum materiale. Unde S. August. Tract. 17. in 1. sancti Joan. *Non quid faciat homo*, inquit, *considerandum est, sed quo animo & voluntate faciat; in eodem facto invenimus Deum Patrem, in quo invenimus Judam: benedicimus charitatem in qua Pater Filium & Filius seipsum tradiderunt: detestamur iniquitatem quâ Judas Dominum.*

Q. 4°. *Quodlibet objectum bonum redditne actum similiter bonum?*

R. Si objectum sit bonum relativè ad operantem, reddit actum ejus bonum; secùs, si sit dumtaxat absolutè bonum.

Ergo duplex est bonum, aliud absolutum, aliud relativum.

Bonum absolutum est res quælibet in se perfecta, quo sensu omnis creatura est bona, juxta illud Gen. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.*

Bonum relativum est res alterius perfectiva & consequenter ipsi conveniens, ac propterea appetibilis: malum verò relativè sumptum est res alteri nociva, & ideo dissentanea & fugienda.

Ergo bonitas relativa essentialiter consistit in perfectivitate, seu virtute perficiendi, ex qua fluunt convenientia & appetibilitas tanquam ejus proprietates, ideo quippè res est appetibilis quia conveniens, & ideo conveniens, quia perfectiva.

Contra verò essentia mali relativi consistit in virtute nociva ex qua sequuntur disconvenientia & fuga.

Ergo plura absolutè spectata sunt bona, quæ relativè sunt mala; calor v. g. absolutè & simpliciter est bonus, sed relativè ad aquam est malus, quia eam corrumpit: naturale pecoris bonum, est vitium hominis.

Ergo sola actio humana censenda est bona, quæ est hominis perfectiva: studere autem rebus mecha-

nicis, mathematicis, medicis, &c. non perficit Sacerdotem, nec reddit meliorem, ſed deteriorem, cùm hinc avertatur ab iis quæ decent Sacerdotem, ac ejuſmodi occupationes quamvis abſolutè ſint bonæ, relativè tamen ad Sacerdotem bonæ non ſunt.

Ergo nec divitiæ nec voluptas, nec fama, ſeu honores, ſunt bonum hominis, quia illum non perficiunt, nec reddunt meliorem; imò, ſi hujuſmodi adhæreat, illum deprimunt, deterioremque efficiunt: *Fieri non poteſt*, inquit S. Auguſtinus in Pſalm. 32. *ut res deterior te faciat meliorem. Homo es, deterius te eſt quidquid cupis: aurum, argentum, qualibet corporalia, quibus inhias acquirendis, inferiora te ſunt.*

Ergo Deus eſt ſummum bonum cujuſlibet rei, quia rerum omnium eſt ſummè perfectivus; perfectio enim effectûs eſt aſſimilari ſuæ cauſæ.

Ergo actus humanus eò eſt melior quò magis Deo conjungit, ut oratio & contemplatio; quia naturam rationalem magis perficit; pejor verò, quò magis à Deo avocat; quia naturæ rationali magis repugnat, eamque magis inficit ac corrumpit.

Ergo actus mali miſerum hominem reddunt: cùm enim ſint contrarii & noxii naturæ rationali, non minùs illam excruciant, quàm pulvis & aliæ ſordes oculum corporis. Hinc conſcientiæ ſtimuli.

Ergo obſervatio mandatorum Dei eſt verum hominis bonum; quia illum perficit & meliorem reddit.

Ergo latum eſt diſcrimen inter legem naturalem & leges humanas, præſertim civiles: iſtæ nimirùm plerùmque ſunt onera, quibus ſubjici ſervitus eſt, & ſubduci ſingularis gratia Principis. Contra verò legem naturalem implere uſque ad minimos apices eſt vera hominis libertas, vera felicitas, & maximum Dei beneficium. Hæc eſt gratia, quam Filius Dei nobis promeruit, quamque continuò poſtulamus, ut mandata Dei adimpleamus, quia in illis cuſtodiendis ſalus & perfectio noſtra.

Ergo falluntur & fallunt, qui virtutis exercitium ſibi & aliis proponunt ut inſuave & moleſtum, quia

illud per se est delectabilius, quod naturæ convenientius & illam magis perficit; delectatio quippe est fructus operationis non impeditæ & naturæ convenientis, ut docent Philosophi, & experientia demonstrat; perceptio lucis v. g. delectat oculos sanos, & cibi delicatiores palatum benè affectum; atqui actus virtutum naturæ rationali magis conveniunt, illumque magis perficiunt quàm quælibet sensatio: ergo per se magis delectant. *Fructus spiritûs est charitas, gaudium, pax*, ait Apostolus, Galat. 5.

Q. 5°. *Sicut existunt objecta nec bona nec mala, sed per se indifferentia, ut deambulatio, confabulationes, &c. ita dantur ne actus in individuo seu in exercitio indifferentes, & qui nec boni nec mali sint moraliter?*

R. 1°. In hoc statu naturæ corruptæ, ubi caro concupiscit adversùs spiritum, ejusmodi actus vix indifferenter exercerentur; nisi enim ratio invigilet attendatque ad honestatem, semper aut ferè semper vel procedunt ex concupiscentia, hoc est, ex motivo voluptatis, cupiditatis, vanitatis, superbiæ; vel saltem carent debitis circumstantiis: ergo nisi ad finem honestum dirigantur, semper aut ferè semper mali sunt: unde isthæc quæstio, quæ magnâ contentione agitatur in Scholis, magis ad theoriam quàm ad praxim pertinere videtur. Nihilominus.

R. 2°. Etiamsi detur quod actus illi de quibus est quæstio non procedant ex carnis aut oculorum concupiscentia, aut superbia vitæ, nec in eis ulla interveniat circumstantia mala: in exercitio tamen non possunt esse indifferentes, quia homo non est purum animal, sed animal rationale: ergo tenetur humano modo, id est, rationabiliter, naturæ infirmitatem juvare, & necessitatibus ejus subvenire. Quod si in hujusmodi, more pecudum, sensibus deserviat, imaginem Dei in se deturpat, & naturam rationalem deformat; *Honor enim hominis verus est imago Dei, quæ non custoditur, nisi ad ipsum, à quo imprimitur*, inquit S. Augustinus: dedecus verò ejus similitudo pecoris, dum sensibus ad ima deprimitur, id est, ad ea quibus pecora delectantur.

Caput IV.

Caput IV.

De fine actuum humanorum.

Q. 1°. *Quotuplex est finis acceptio?*

R. Finis dupliciter accipitur, 1°. impropriè pro termino cujusque rei, etiamsi ille non intendatur, quo sensu mors dicitur finis vitæ, & vespera finis diei. 2°. Propriè pro bono, in quod tendit agens, & quo obtento, cessat motus ejus. Ita sanctus Thomas 1. Sec. q. 1. ad 3. hoc posteriori sensu finem hîc accipimus.

Q. 2°. *Quomodo definitur finis?*

R. Definitur id cujus gratiâ aliquid fit.

Dicitur 2°. *Id*, hoc est, res bona, saltem apparenter, quia voluntas non potest allici aut moveri nisi ab aliquo bono.

Dicitur 2°. *Cujus gratiâ*, id est, cujus amore, & fruendi desiderio agens operatur. His autem vocibus finis propriè dictus distinguitur tum à medio, tum à fine impropriè dicto, seu à termino.

A medio quidem; quia licèt multa fiant propter medium, putà propter pharmacum præparandum aut pecuniam lucrandam, pharmacum tamen aut pecunia dici nequeunt finis, cùm illa non fiant amore pharmaci aut pecuniæ, sed amore dumtaxat sanitatis aut commodæ sustentationis, in quibus agens requiescere intendit; *Quod enim amatur propter aliud, non illud amatur, sed aliud propter quod amatur*, inquit S. Augustinus.

Iisdem quoque vocibus finis distinguitur à puro termino, ad quem agens ita opera sua dirigit ut illum non appetat, nec illius amore operetur, ut videre est in illo qui cùm multa præparet pro tempore ægritudinis, ad quam scit certò terminandam sanitatem, non habet tamen ægritudinem pro fine, quia illam nec amat, nec appetit, sed quantùm potest

à se propellit. Sic carnales quædam bona opera ordinant ad futuram vitam, ad quam se transmittendos non ignorant, timentque ne in illa sint miseri; sed finis illorum propriè non est, quia ad illam transire non appetunt, nec ejus amore operantur, quod est notatu dignissimum.

Dicitur 3°. *Aliquid fit*, quo significatur finem esse primam omnium operationum, sive naturalium, sive artificialium, sive moralium causam, ut docet S. Thomas 1. Sec. q. 1. ad 2.

Ergo causalitas finis seu ratio per quam finis movet constituiturque actu causans, est volitio seu complacentia & desiderium efficax boni consequendi, putà commodæ habitationis, propter quam domus construitur; quia posito illo amore & desiderio, finis movet agentem & causat effectum; illo verò sublato, finis nec movet, nec ad agendum determinat.

Ergo bonum & finis non reciprocantur. Omnis quidem finis est bonus saltem apparenter, aliàs non expeteretur: sed non omne bonum est finis, quia finis est id cujus gratiâ aliquid fit; atqui multa sunt bona propter quæ consequenda nihil fit; ergo non sunt finis. Sic bonum victoriæ aut scientiæ non est finis respectu ignavi & desidiosi, quia ad illud consequendum non contendit.

Ergo bonitas & malitia actuum humanorum potissimùm ex fine repetuntur; quia ex dictis actio eatenus est bona aut mala quatenus est deliberatè voluntaria; voluntas quippe per amorem adhæret rei amatæ, ejusque conditiones induit; *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt*, Osee 9. Atqui actio ex fine maximè est voluntaria, cùm illum, non ob illud, sed propter se appetat: ergo ex fine præsertim denominatur quis bonus vel malus. *Non valdè attendas*, inquit S. Augustinus in Psal. 31. *quid faciat homo, sed quid cùm facit, aspiciat.* Qui enim furatur propter adulterium, magis adulter est quàm fur ex Philosopho; quia non tam furtum quàm adulterium amat.

Ergo satis non est, ut observat sanctus Bonaventura in 2. dist. 41. art. 1. quæst. 3. quòd quis manè ad Deum referat quidquid per diem acturus est, ut cuncta ejus opera censeantur in Deo & propter Deum facta; quantùmcumque enim ferveat pia ejus intentio, vix tamen influet in singula ejus opera, præsertim si varia sint ac disparata, nisi identidem iteretur; quia corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & caro continuò concupiscit adversùs spiritum. Unde sicut aqua ad ignem semel calefacta, paulatim tepescit ac tandem nativum frigus recipit, sic & intentio nostra sensim remittitur, nisi per certa temporis intervalla nos ipsos admoneamus & mentem ad Deum erigamus. *Ideò*, inquit sanctus Augustinus, Epistola 130. aliàs 121. *ab aliis curis atque negotiis, quibus ipsum desiderium quodammodo tepescit, certis horis ad negotium orandi mentem revocamus ... ne quod tepescere cœperat, omninò frigescat & penitùs extinguatur, nisi crebriùs inflammetur.*

Dixi, *si opera varia sint*: nam si quis per totum diem vacaret unico operi, v. g. peregrinaretur motivo religionis vel litteris operam daret ex affectu charitatis, faciliùs intelligeretur virtualiter perseverare pia intentio matutina: maximè si initio remissa non fuerit, nec contrario affectu, putà vanitatis aut cupiditatis, oppugnetur.

Caput V.

De divisione finis.

Q. 1°. *Quomodo dividitur finis?*

R. Dividitur 1°. in internum & externum: 2°. in intermedium & ultimum.

Q. 2°. *Quid est finis internus?*

R. Est finis ad quem opus naturâ suâ proximè tendit, propterea que dicitur finis operis: sic sublevatio pauperis est finis internus eleemosynæ, quia eleemosyna ex natura sua tendit ad sublevandum

pauperem : unde finis internus eſt ipſum objectum formale à quo actus deſumit ſuam eſſentiam, ut ſuprà diximus.

Q. 3°. *Quid eſt finis externus ?*

R. Eſt ille ad quem opus ordinatur, non ex natura ſua, ſed ex ſola intentione agentis, & ideo vocari ſolet finis operantis : ſic remiſſio peccatorum eſt finis externus eleemoſynæ à pœnitentia imperatæ, & eo ſenſu finis eſt circumſtantia actûs humani imperati, cui tribuit bonitatem dumtaxat accidentalem.

Q. 4°. *Quid eſt finis intermedius ?*

R. Eſt bonum quod ita propter ſe expetitur, ut nihilominus ad aliud ulteriùs conſequendum ordinetur.

Ergo finis intermedius eſt finis ſimul & medium : finis quidem, quia propter ſe expetitur ; medium autem, quia agens non vult in eo ultimatè quieſcere, ſed per illud aliquid ulterius aſſequi intendit. Unde finis intermedius dicitur medium non purum ; purum enim medium, ut medicina, nullatenus amatur propter ſe, ſed ex neceſſitate aſſumitur, ut id ſine quo obtineri non poſſet quod amatur & expetitur, v. g. ſanitas.

Q. 5°. *Quid requiritur ut res aliqua honeſtè conſtitui poſſit tanquam finis intermedius ?*

R. Debet eſſe bonum perfectivum & utile ad aliud majus aſſequendum, quia finis eſt propter ſe appetibilis ; atqui ex dictis ſolum bonum perfectivum eſt propter ſe appetibile : ergo. Confirmatur reſponſio. Triplex eſt boni genus, nempe honeſtum & naturæ rationalis perfectivum, jucundum ſeu delectabile, & utile ; atqui nec bonum jucundum ſeu delectabile, nec bonum utile rationabiliter poſſunt eſſe finis : ergo.

Non bonum jucundum, quia ex dictis delectatio eſt fructus operationis non impeditæ : ergo ſi operatio ſit inhoneſta & naturæ rationali nociva, delectatio quoque erit turpis ; ſi verò operatio ſit

honeſta & naturæ rationali conveniens, delectatio conſequitur etiam honeſta; ac proinde non ipſa delectatio, ſed operatio honeſta, ſeu naturam rationalem perficiens intendi debet.

Neque etiam bonum utile poteſt habere rationem finis: cùm enim naturaliter ordinetur ut medium neceſſarium & per ſe minimè perfectivum ad bonum noſtrum obtinendum, peccatum eſt in illo tanquam in fine velle requieſcere; *Non eſt alia vita hominis vitioſa atque culpabilis, quàm malè utens & malè fruens*, inquit ſanctus Auguſtinus lib. 1. de Doctrina chriſtiana, cap. 4. *frui autem, eſt amore inhærere alicui rei propter ſeipſam: uti autem, quod in uſum venerit, ad id quod amat obtinendum referre, ſi tamen amandum eſt; nam uſus illicitus abuſus potiùs vel abuſio nominanda eſt*; Et c. 3. *Res illæ quibus fruendum eſt, nos beatos faciunt; illis quibus utendum eſt, tendentes ad beatitudinem, adjuvamur & quaſi adminiculamur ut ad illas quæ nos beatos faciunt, pervenire, atque in his inhærere poſſimus.*

Ergo virtus & obſervatio mandatorum Dei eſt honeſtus finis intermedius actuum humanorum. Finis quidem, quia perficit hominem melioremque reddit, ac proinde propter ſe expetenda. *Quis dubitat*, inquit S. Auguſtinus l. 2. de pecc. mer. cap. 18. *voluntatem nullo modo juſtitiam diligentem, non modò eſſe malam, ſed etiam peſſimam voluntatem?* Sed eſt finis intermedius, quia non ultimatè perficit, nec proinde totaliter in eo quieſcendum, ſed aliquid melius, nempè ad Deum ſummum noſtrum bonum referendus eſt. Unde ſanctus Auguſtinus lib. 19. de Civ. Dei c. 15. contra Stoicos, qui ſummum bonum in virtutibus collocabant, ſic ſcribit: *Virtutes dum propter ſe appetuntur, ſuperba vitia ſunt.*

Ergo bona temporalia, ut honores, fama, divitiæ, non poſſunt honeſtè habere rationem finis intermedii, ſed pura ſunt media, quia ex dictis

nedum meliorem hominem reddant, cum potiùs corrumpunt, si in iis quiescere concupiscat, Epicurus ait (referente S. Augustino) frui carne meâ, sanitate meâ bonum est; Stoïcus, frui mente meâ, virtute meâ bonum est; Christianus verò, mihi adhærere Deo bonum est, & hoc totum bonum.

Q. 6°. *Quid est finis ultimus?*

R. Est finis ad quem omnia referuntur, quia eo obtento possidentur omnia quæ ad hominis perfectionem expeti possunt, ac proinde in illo appetitus planè conquiescit sine fastidio satiatus, propterea que finis ultimus dicitur hominis beatitudo.

Q. 7°. *Quotuplici modo spectari potest beatitudo?*

R. Duplici, nimirùm objectivè & formaliter.

Beatitudo objectiva est bonum summè perfectivum; beatitudo verò formalis est perfecta summi boni possessio.

Possessio autem illa debet esse operatio, & quidem perfectissima ac perfectissimæ potentiæ, quia ultima hominis perfectio, sicut aliarum rerum, est operatio cùm res quælibet in tantùm sit perfecta, in quantùm est in actu; quæ enim sunt in potentia, censentur imperfecta, tenduntque ad operationem, propter quam natura instruitur facultatibus, facultates ornantur habitibus laudabilibus. Denique quies appetitûs est gaudium & delectatio in bono possesso; atqui delectatio ex istis exurgit ex operatione non impedita: ut autem delectatio sit plena & appetitum satians, operatio debet esse perfectissima & potentiæ perfectissimæ; alioquin non esset ultima perfectio nec quietaret appetitum. Porrò in homine nihil est mente perfectius, in cujus obsequium naturaliter tendunt operationes inferiorum facultatum: ergo perfectissima mentis operatio est ultimus ejus finis & beatitudo formalis.

Ergo beatitudo objectiva hominis est solus Deus, quia solus est summum hominis bonum & summè illius perfectivum, ut suprà diximus pag. 45. formalis verò beatitudo est visio Dei intuitiva; tum

quia eſt perfectiſſima perfectiſſimæ facultatis operatio, tum quia Deus eſt prima veritas & infinita ſapientia; atqui veritas & ſapientia hoc ipſo quod poſſidentur, cognoſcuntur, ut obſervat ſanctus Auguſtinus: denique quia qui videt Deum ſicuti eſt nihil aliud expetendum ipſi occurrere poteſt; ergo in illa viſione totaliter quieſcit, ac proinde beatus eſt.

Dices: qui poſſidet ſapientiam non intelligitur beatus niſi eam diligat; ergo præter intuitivam Dei viſionem, requiritur amor ut homo verè ſit beatus.

R. 1°. Ad antecedens, fieri non poſſe ut quis poſſideat ſapientiam, nec eam diligat, cùm in ea poſſideat omne bonum, nihilque ei ſuperſit expetendum.

R. 2°. Diſtinguo conſequens; ut ſit beatus beatitudine integrali, concedo; beatitudine eſſentiali, nego conſequentiam: amor enim, gaudium, & corporis immortalitas, fluunt ex viſione Dei intuitiva tanquam proprietates ex eſſentia: *Tam potenti naturâ Deus fecit animam*, inquit S. Auguſtinus, Epiſtolâ 118. aliàs 55. c. 3. *ut ex ejus pleniſſima beatitudine, quæ in fine temporum Sanctis promittitur, redundet etiam in inferiorem naturam, quod eſt corpus, non beatitudo qua fruentis & intelligentis eſt propria, ſed plenitudo ſanitatis, id eſt, incorruptionis vigor.*

Q. 8°. *Teneturne homo dirigere omnia opera ſua ad Deum tanquam ad ultimum finem ſibi determinatum & objectum ſuæ beatitudinis?*

R. Tenetur ſaltem intentione virtuali: Math. 7. *Quærite ergo primùm regnum Dei & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Quæ verba expendens ſanctus Auguſtinus, l. 2. de ſerm. Domini in monte, cap. 25. ſic habet, *Non dicit, deinde iſta quærite quamvis neceſſaria... ne cùm iſta quæratis, illinc avertamini, aut ne duos fines conſtituatis, ut regnum Dei propter ſe appetatis, & iſta neceſſaria... Ergo ſimplici corde tantummodo propter regnum Dei debemus bonum operari ad omnes.* Et Coloſſ. 3. *Omne quodcumque facitis in verbo aut opere, omnia in nomine Domini Jeſu Chriſti.* In quem locum S. Thomas

lectione 3. sic scribit: *Quidam dicunt quòd hoc est consilium, sed hoc non est verum; sed dicendum est quòd non est necessarium, quòd omnia referantur in Deum actu, sed habitu.*

Dixi, *saltem intentione virtuali*; quia homo quandiu mortalem hanc vitam vivit, non potest semper actu de Deo cogitare; sed satis est ut virtute intentionis actualis quæ præcessit, opus per eam cœptum prosequatur.

Caput VI.

De effectibus finis.

Quàm maximè interest nosse qui sint effectus finis, quisve inter eos ordo; inde enim pendet tota morum disciplina. Itaque

Q. 1°. *Quot sunt finis effectus?*

R. Octo numerantur. Primus est volitio, seu amor & complacentia; secundus, intentio, hoc est, desiderium efficax; tertius, consilium; quartus, consensus; quintus, electio; sextus, imperium; septimus, usus; octavus, fruitio seu quies in bono possesso.

Q. 2°. *Quis est ordo illorum actuum?*

R. Ex bonitate objecti proposita voluntati, primo loco exurgit amor & complacentia, *Prima immutatio appetitûs ab appetibili vocatus amor*, inquit S. Thomas 1. Sec. q. 26. ad 2. *qui nihil est aliud quàm complacentia appetibilis.* Hic actus cæteris necessariò præsupponitur, nisi enim placeret bonum apprehensum, v. g. castitas, victoria, &c. nullus foret conatus ad illud consequendum.

Intentio proximè sequitur amorem seu complacentiam, naturale enim est velle possidere quod placet & amatur. Intentio autem est efficax desiderium finis, seu actus voluntatis efficaciter tendentis in bonum per media consentanea: ergo intentio continet saltem virtualiter propositum inquirendi & adhi-

bendi media ; non enim cenſetur quis velle ſincerè & efficaciter finem conſequi, v. g. vincere cupiditates, niſi cogitet de mediis, ſine quibus finis non poteſt obtineri. Quare.

Conſilium, tertius finis effectus, ſequitur intentionem, eſtque actus mentis inquirentis & ponderantis media, & de inventis, ſi plura ſint, judicantis quodnam ſit aptius, cæteriſque præferendum. Porrò ſicut rectâ intentione, ita conſilio veraci tota nititur morum diſciplina & bonitas, quia deficiente regulâ, nimirum prudenti conſilio, opus quod ad ipſam dirigitur vitioſum reddi neceſſe eſt. Hinc monet ſapiens graviſſimis hiſce verbis, Eccli. 37. *Ante omnia opera tua verbum verax præcedat te, & ante omnem actum conſilium ſtabile.*

Verùm conſilium illud verax & ſtabile non eſt expectandum ab eo qui purâ non ducitur intentione, nec dominatur privatis ſuis affectibus; voluntas enim inordinata pervertit rationis judicium & cogit mentem ad nutum ſuum cogitare & conſulere ; cogitare quippe à cogendo dictum vult S. Auguſtinus, lib. 10. Conf. cap. 11. Sicut igitur in pendendis ponderibus æquantur lances, ne ſi examines, ſit aliqua inclinatio, judicium iniquum feratur ; ita qui deliberat (niſi ſeipſum decipere velit) omnem privatum affectum ſeponere debet.

Quæ cùm ita ſint, unicuique perſpicuum eſt conſilium ſeu deliberationem in iis quæ ſpectant mores, eſſe periculi plenam, ac veluti ſcopulum, quem humana ratio non declinabit, niſi regatur ſpiritu Chriſti, qui idcircò dicitur Conſiliarius, magni conſilii Angelus. Quin ipſemet Plato conſultationem rem eſſe planè divinam agnovit.

Quartus finis effectus eſt conſenſus, qui deſcribi poteſt actus voluntatis adhærentis conſilio rationis, & acceptantis media ab intellectu propoſita ; ſi intellectus conſulat ex imperio voluntatis, naturaliter placebit ejus conſilium ; & facile conſentiet voluntas. Sed ſi conſilium ſit aliunde datum, putà à ſa-

piente, voluntas sæpè repugnat, & multa contrà opponit, sicque consilium datur incassum, nisi duritia voluntatis tollatur, Deo interiùs eam præparante, & per gratiam suam eam inclinante.

Electio, quæ est quintus finis effectus, immediatè sequitur consensum, describiturque actus liber voluntatis, quo ex pluribus mediis unum cæteris præfert in ordine ad finem intentum.

Ut autem electio sit recta & honesta, debet prudenter fieri: quod enim fit imprudenter, malum est: contra prudentiam autem peccat, qui medium ad finem minùs idoneum eligit, convinciturque non eligere ex virtute, quæ est habitus electivus secundùm rectam rationem, sed ex cupiditate, quæ præfuit deliberationi.

Sextus finis effectus dicitur imperium, estque actus practicus intellectûs imperantis praxim mediorum, quæ post habitam deliberationem electa sunt tanquam ad finem magis idonea; plerumque enim contingit voluntatem ea non exequi quæ elegerat, & observanda proposuerat, propter nascentes difficultates, tum ex parte passionum, quæ rebellant, tum ex circumstantiis quæ in deliberatione & electione non fuerant prævisæ; tum ex parte ipsiusmet voluntatis, quæ levis est & inconstans, quæque remisit ex pristino intentionis fervore; & ita evanescente causalitate seu motione finis, omnes suprà enumerati effectus inutiles abeunt, & operans quasi in media via subsistit, nisi recta ratio opus urgeat & prudentia stimulis conscientiæ voluntatem impellat.

Septimus finis effectus est ipsamet mediorum applicatio ad finem consequendum. Usus autem evadit abusus & peccatum; 1°. si sit superfluus, nihil ad finem conferens; 2°. si in fruitionem convertatur, hoc est, si purum medium propter se appetatur, & in illo voluntas quiescat. Unde meritò damnata est hæc propositio ab Innocentio XI. anno 1679. & à Clero Gallicano anno 1700. *Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum,*

modò non obſit valetudini, quia licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui. Hac propoſitio, inquit Clerus Gallicanus, *temeraria eſt, ſcandaloſa, perniciosa, erronea, ad Epicuri ſcholam ableganda.*

Octavus & ultimus finis effectus eſt fruitio, hoc eſt, quies in fine poſſeſſo; undè uſus terminatur ad fruitionem, ſicut motus ad quietem, & deſiderium ad poſſeſſionem.

Quies autem illa non eſt ceſſatio ab omni actu voluntatis, quemadmodum quies corporis eſt intermiſſio operis, ſed eſt gaudium & delectatio. *Fruimur rebus cognitis, in quibus voluntas delectata conquieſcit*, inquit S. Auguſtinus, lib. 10. de Civitate, cap. 10.

Ergo in uſu eſt labor, in fruitione delectatio & quies: plena quidem, ſi poſſeſſio ſit finis ultimi, utpotè ſummi boni, ultrà quod nihil ultrà expetendum: inchoata autem & imperfecta, ſi poſſeſſio ſit finis intermedii, qui appetitum omninò non explet, ſed tanquam prælibatio quædam ſummi boni, acriùs incitat ad illud conſequendum; nam ex S. Gregorio hom. 30. in Evang. *Qui mente integrâ Deum deſiderat, profectò jam habet quem amat; neque enim quiſquam poſſet diligere Deum, ſi eum quem diligit non haberet.* Non poteſt autem Deum habere, & de eo non gaudere. *Gaudes de auro tuo, de cupa tua plena*, inquit S. Auguſtinus, *& non gauderes Deo plenus? Charitas ſine gaudio eſſe non poteſt*: ſcriptum eſt enim, Gal. 5. *Fructus ſpiritûs eſt gaudium, pax.*

Juſti igitur in ſcripturis dicuntur beati, ut Pſalm. 118. *Beati immaculati in via*, non ſolùm propter ſpem futuræ beatitudinis, quomodò beatum dicimus ægrum qui ſub manu periti Medici utiliter ſecatur & utitur ad ſanitatem; ſed inſuper propter aliquam participationem beatitudinis, & ut loquitur S. Thomas, 1. Sec. q. 5. art. 3. ad 1. aliqualem ſummi boni fruitionem, quæ tantâ ſuavitate perfundit animam, ut omnia mundi oblectamenta arbitretur detrimenta, Phil. 3.

Ergo justitia & virtus nullatenus habent rationem finis respectu eorum qui illius bonitate non alliciuntur, nec ex amore operantur ea quæ sunt pietatis officia, sed ea obeunt ut pura media & conditiones necessarias, graves quidem & onerosas, ut ipsis videtur, sine quibus nec iram Dei nec pœnas æternas vitarent. *Quis autem dubitat*, aiebat suprà S. Augustinus, *voluntatem nullomodò justitiam diligentem, non modò esse malam, sed etiam pessimam?*

CAPUT VII.

De circumstantiis actuum humanorum.

Q. 1°. *Quid sunt circumstantia?*

R. Sunt quædam conditiones morales seu accidentia quæ humanos actus comitantur, ut tempus quo, & locus ubi exercentur.

Q. 2°. *Quare bonitas & malitia actuum humanorum desumuntur ex circumstantiis?*

R. Quia sicut dantur objecta conformia aut difformia naturæ rationali, ita & circumstantiæ; si enim decet, v. g. vestire nudum, quod est objectum misericordiæ, multò magis si nudus ille est Sacerdos, si inimicus, si actus ille sit aliis exemplo. Item si turpe est spoliare proximum, turpius si pauper sit, si beneficus.

Confirmatur. Bonitas operis naturæ, v. g. equi, non consistit in sola equi essentia, sed ex variis accidentibus exurgit, putà ex recta membrorum habitudine, robore, &c. Item perfectio artefacti, præter formam quæ est forma artificialis, complectitur varium ornatum, concinnam partium dispositionem: ergo similiter bonitas moralis actuum humanorum non à solo objecto à quo formam & speciem accipiunt, ut diximus, sed etiam ab adjunctarum circumstantiarum concursu petenda est.

Q. 3°. *Quot ſunt circumſtantia actuum humanorum?*

R. Septem vulgò numerantur, ſequenti verſu expreſſæ.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quis, ſignificat conditionem operantis, ſi juſtus aut peccator, v. g. eleemoſynam tribuat; ſi conjugatus aut voto oſtrictus fornicetur.

Quid, denotat conditionem objecti, an magna aut levis plaga ſit inflicta, an res furto ſublata ſit ſacra aut profana, an contra totam familiam odium exarſerit, vel contra privatam perſonam.

Ubi, locum deſignat, an peccatum commiſſum ſit in loco ſacro, vel in publico & cum aliorum ſcandalo.

Quibus auxiliis, v. g. quibus inſtrumentis uſus ſit homicida, inde enim colligitur num homicidium fuerit caſuale aut voluntarium, an conſulens proximi commodo mendacium adhibuerit, ex hac quippe circumſtantia actus efficitur malus.

Cur, exprimit finem extrinſecum, qui eſt accidentalis actui, diciturque finis operantis, v. g. cur largitus eſt eleemoſynam, an ut Deo ſatisfaceret pro peccatis, an ut famam popularem ſibi conciliaret?

Quomodo, notat modum actionis, an facta ſit remiſsè, aut intensè; an ex malitia, aut ignorantia & infirmitate; an ex negligentia, aut contemptu formali.

Quando, ſignificat tempus, utrum v. g. die feſto quis inebriatus ſit, an agrum proximi meſſuerit; quia in poſteriori exemplo actus pugnat contra juſtitiam ſimul & religionem, in priori verò contra temperantiam & religionem.

Q. 4°. *Quid obſervanda circa circumſtantias?*

R. Expendendum an novam addant ſpeciem bonitatis aut malitiæ; an augeant dumtaxat, aut minuant ſive notabiliter ſive leviter intra eamdem ſpeciem.

Q. 5°. *Quandonam circumſtantia novam addunt ſpeciem bonitatis aut malitiæ, vel augent ſolummodò?*

R. 1°. Addunt novam ſpeciem, quando efficiunt ut actus vel pertineat ad diverſas virtutes, vel contra eas pugnet: ſic circumſtantia Sacerdotis in paupere ſublevando efficit ut eleemoſyna pertineat ad miſericordiam & ad religionem; ſic malitia furti in loco ſacro eſt contra juſtitiam & religionem, propter circumſtantiam loci.

Hinc in genere moris plures peccati ſpecies poſſunt concurrere in uno & eodem actu propter multiplices ejus circumſtantias, ut patet in Sacerdote qui ad peccandum induxit ſuam conſanguineam conjugem; primò enim peccavit contra caſtitatem; ſecundò contra charitatem ratione ſcandali, quatenùs induxit aliam perſonam ad peccandum; tertiò contra religionem, ut qui ſit perſona ſacra; quartò contra juſtitiam erga maritum; quintò contra reverentiam conſanguineis debitam, quod peccatum dicitur inceſtus. Et hæc accuratè ſunt obſervanda cùm in ſacramentali Confeſſione ejuſmodi circumſtantiæ peccati ſpeciem mutantes ſint explicandæ, ut definiit Concilium Tridentinum, ſeſſ. 14. can. 7.

Dixi, *quando pugnat contra aliam ſpecie virtutem*, non verò contra duo præcepta eamdem virtutem ſpectantia, ut contingeret in eo qui jejunium Quadrageſimale violaret iis diebus quibus occurrunt jejunia Quatuor temporum; is enim unius ſpecie peccati reus eſſet, quia duo illa jejunii præcepta eodem die occurrentia ad unam pertinent virtutem. Secùs ſi ſolvens jejunium Quadrageſimale, ex alia virtute aſtringeretur præcepto jejunii, putà ex religione voti, vel ex injuncta à Confeſſario ſatisfactione; cùm enim diverſa illa præcepta ſpectent diverſas virtutes, violatio jejunii Quadrageſimalis in illo caſu eſſet duplex peccatum in confeſſione exprimendum.

R. 2°. Circumſtantiæ augent aut minuunt notabiliter bonitatem aut malitiam actûs intra eamdem ſpeciem virtutis aut peccati, quando longè major vel minor eſt honeſtas ſive turpitudo in cultu aut

violatione ejuſdem virtutis. Sic longè laudabilior eſt qui pauperem ſublevat ex neceſſariis quàm qui ex ſuperfluis, qui cum fervore perſeverat in bono opere arduo & difficili, quàm qui remiſsè & leviter illud attingit. Contra verò graviùs peccat contra juſtitiam, v. g. qui furatur ingentem pecuniæ ſummam, quàm qui modicam; qui cùm Sacerdos ſit, peccat contra caſtitatem & religionem, quàm ſi eſſet ſolùm Diaconus aut Subdiaconus. Utrùm autem circumſtantiæ quæ malitiam notabiliter augent intra eamdem peccati ſpeciem, ſint in confeſſione exponendæ, expendetur ubi de Sacramento Pœnitentiæ.

Q. 6°. *Quid requiritur ut actus humanus bonitatem aut malitiam trahat ex circumſtantiis?*

R. Ut conferant actui bonitatem, neceſſe eſt ut ſint prævisæ & aliquo modo intentæ, quatenùs honeſtæ ſunt, quia ex dictis nulla eſt bonitas moralis, niſi ſit voluntaria: ut autem conferant malitiam, ſatis eſt ut, cùm vitari poſſint & debeant, nihilominùs voluntas illas vitare negligat, malum enim eſt nolle declinare à malo.

Caput VIII.

De merito bonorum operum.

Q. 1°. *Bona fidelium opera ſuntne meritoria?*

Lutheranis & Calvinianis nomen meriti adeò exoſum eſt, ut Calvinus lib. 3. Inſtit. c. 15. parag. 2. & ſeqq. audeat ſcribere veteres Patres peſſimè conſuluiſſe fidei ſinceritati, dum uſi ſunt vocabulis meriti & mercedis, ſed vel ipſum Spiritum ſanctum reprehendat qui in Scripturis ſacris ejuſmodi vocabula uſurpat, ut Matth. 5. v. 10. *Merces veſtra copioſa eſt in Cœlis.* 2. Tim. 4. v. 8. *In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex; non ſolùm autem mihi, ſed & iis qui diligunt adventum ejus,* vel quod

æquius est, fateatur se pessimè consuluisse suæ sectæ, dum apertè pugnat adversùs Scripturam sacram & universalis Ecclesiæ traditionem. Quare ad propositam quæstionem.

R. De fide est bona opera justorum ex gratia elicita esse meritoria; sic enim definiit Concilium Tridentinum, sess. 6. can. 32. constatque definitio ex Scripturæ testimoniis mox laudatis.

Dices 1°. Rom. habetur: *Gratiâ Dei vita æterna.* Psalm. 102. *Qui coronat in misericordia & miserationibus.* Unde sanctus Augustinus in Psalm. 70. *Cùm*, inquit, *præmium venerit, sua dona coronabit*: ergo vita æterna non est merces.

Distinguo antec. Vita æterna est gratia & miseratio, quia Deus gratuitè ad eam eligit, vocat, & auxiliis efficacibus perducit, concedo; est gratia dumtaxat, nullamque habet rationem mercedis aut præmii, quasi eo digna non sint bona justorum opera, nego antec. Nam ex S. Augustino, lib. de cor. & grat. c. 15. *Vita æterna, quam certum est bonis operibus debitam reddi, à tanto Apostolo gratia Dei dicitur; cùm gratia non operibus reddatur, sed gratis detur; sine ullâ dubitatione confitendum est ideò gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur qua gratia contulit homini.* Sic dives, qui tempore hyemis pauperes aluit, injunctis operibus ipsi satis inutilibus, gratiam fecit & simul mercedem retribuit: gratiam quidem, quia gratis illos conduxit; mercedem verò, quia promissa alimenta ipsis exhibuit.

Instas: Lucæ 17. ait Christus: *Cùm feceritis omnia . . . Dicite, servi inutiles sumus*: ergo.

Nego conseq. ideò enim servos inutiles nos existimare debemus: 1°. quia nihil utilitatis per bona nostra opera Deo conferimus; 2°. quia cùm naturâ servi Dei simus, potest quidquid libuerit præcipere, etiam nullâ propositâ mercedis spe. *Debitor factus est Deus*, inquit sanctus Augustinus, serm. 158. aliàs 16. de verbis Apostoli, *non à nobis aliquid accipiendo, sed aliquid quod ei placuit promittendo.*

Aliter enim dicimus homini, debes mihi, quia promisisti mihi; & aliter dicimus, debes mihi, quia dedi tibi. Possumus exigere Dominum nostrum, ut dicamus, redde quod promisisti, quia fecimus quod jussisti.

Dices 2°. Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*: ergo.

Distinguo antec. non sunt condignæ, si secundùm entitatem & veluti materialiter spectentur, concedo; si secundùm virtutem & influxum Christi capitis nostri, unde procedunt, nego antecedens.

Dices 3°. Non potest sine Christi injuria aliquid tribui meritis nostris, quia videremur partiri gloriam inter ipsum & nos, dum salutem nostram partim ad ejus merita, partim ad nostra, referemus: ergo.

Nego antecedens; *cùm ille ipse Christus Jesus* (verba sunt Concilii Tridentini, sess. 6. cap. 16.) *tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat; quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent.* Enimvero sicut in ordine naturæ elucet Dei omnipotentia & infinita virtus, per quam causis secundis tribuit vim & efficaciam producendi effectus ad quos illas instituit, ita in ordine gratiæ Christus meritum & virtutem suæ passionis ideo maximè commendat, quod non solùm in se, sed & in nobis sit merendi principium.

Q. 2°. *Quotuplex est meritum?*

R. Duplex, aliud de congruo, aliud de condigno. Primum est meritum secundùm quid & in latiori significatione; secundum ita dicitur simpliciter & propriè.

Ad meritum de congruo evocantur dispositiones quas diximus in adultis requiri ad justificationem; de iis enim sic scribit S. Augustinus Epistolâ 194. aliàs 105. nec ipsa peccati remissio sine aliquo merito est; *neque enim nullum meritum fuit*

illius qui dicebat „propitius esto mihi peccatori. Sed nemo absolutè & simpliciter dixerit peccatorem, pœnitentiâ suâ mereri remissionem peccatorum, quæ est opus misericordiæ, non verò justitiæ.

CAPUT IX.

De merito de condigno.

Q. 1°. *Quid est meritum de condigno?*

R. Est opus bonum & supernaturale ab homine justo & viatore liberè elicitum, pro quo Deus mercedem promisit.

Dicitur 1°. *opus bonum*; cuique enim notum est opus non esse laudabile, nec præmio dignum, nisi fuerit bonum; *Stipendia peccati mors*, inquit Apostolus, Rom. 6.

Huc igitur revocare necesse est quæ de bonitate actuum humanorum præmisimus, cùm ex iis omne pendeat meritum; neque enim satis est operari bonum, nisi & benè. An non artifex qui injunctum opus elaboravit, laudabilem materiam adhibuit, putà pretiosum pannum, sed malè & præter artis regulas concinnavit, pœnam meretur, nedum mercedem? Sic se habent apud Deum qui operibus ex objecto & officio bonis vacant, publicam rem administrant, familiam regunt, agrum colunt, & quæ sunt honesti sui statûs ac conditionis strenuè exequuntur; sed alio quàm ad Deum & vitam æternam referunt, putà ad lucrum, auram popularem & favorem humanum. Undè S. Augustinus concione 12. in Psalm. 118. expendens hæc verba: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem, in via tua vivifica me*, sic habet: *In qua vanitate præcipuum locum obtinet amor laudis humanæ, propter quam multa magna fecerunt qui magni in hoc seculo nominati sunt .... ad quam pervenientes perceperunt mercedem suam vani vanam. Ab hac vanitate volens Dominus*

avertere oculos ſuorum; Attendite, *inquit*, ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, alioquin non habebitis mercedem apud patrem veſtrum .... *monuit ne etiam propter pecuniam, dicens*: Non poteſtis Deo ſervire & mammonæ; *monuit ne propter ipſum neceſſarium victum atque veſtitum, dicens*: Ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini; *ſi enim vanum eſt propter hominum laudes bona facere, quantò vanius propter adipiſcendam pecuniam, vel augendam, ſive retinendam; ſi quid ejuſmodi eſt commodi temporalis, quod nobis accidit extrinſecùs, quia omnia eſt vanitas.*

Enimverò, ex communi omnium ſenſu, nemo mercedem ab eo expectaverit in cujus gloriam & obſequium non fuerit operatus; longè enim abſurdiſſimum foret, ſi quis à te remunerari expeteret, ex eo quod ſibi laboraſſet, ſuam vineam, v. g. in proprium commodum diligenter excoluiſſet: atqui ejuſmodi ſunt qui ſuis commodis ſerviunt in operibus ex objecto honeſtis, & vitam æternam expectant à Deo, cujus gloriam & obſequium non intenderunt.

Oremus igitur, & multùm oremus, cùm opus aliquod meditamur, ut, quod propriis viribus non poſſumus, avertat Deus oculos noſtros ne videant ejuſmodi vanitates, vigilemuſque ejus auxilio nixi, ne quod in nobis remanet cupiditatis in decurſu operis ſenſim germinet, inficiatque quod ejus gloriam puro corde ſuſceperamus, cupiditas enim eſt illa arbor, ſeu radix mala, quæ non poteſt bonos & condignos fructus facere.

Quæ cùm ita ſint, lugendi profectò, & quàm ſæpiſſimè à Paſtoribus commonendi innumeri homines quibus pereunt opera, alioquin ex officio bona & condigna vitæ æternæ pretia, ſi ad illam, ut par eſt, referentur, namque ad comparandum regnum cœlorum neceſſarias impenſas faciunt agricolæ; nec plura exiguntur quàm impenduntur ab artificibus & aliis qui utiliter pro Republica

laborant, ac divinæ providentiæ diù noctùque desudantes serviunt; finem tantummodo mutent non contemplantes quæ videntur, sed quæ non videntur, ut loquitur Apostolus, & æternum gloriæ pondus in præmium certo consequentur. Verùm quia ad ejusmodi opera sola incitat cupiditas, sola vires & animos subministrat, meritis exeunt vacuit, tandemque ad lucem veritatis evigilantes, exclamare coguntur cum illo qui dicebat: *Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus*, Luc. 5.

Dicitur 2°. *Supernaturale*; est enim fidei dogma in variis Conciliis definitum adversùs Pelagianos & Semipelagianos, & confirmatum in Concilio Tridentino, sess. 6. can. 1. 2. 3. hominem viribus liberi arbitrii mereri non posse justitiam & vitam æternam; *Omnem palmitem in me non ferentem fructum*, (inquit Christus Joan. 15.) *tollet eum*, (Pater.) *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis.* Et ratio est quia opus naturale, quantùmcumque ex officio laudabile, nullum habet ordinem, nullam proportionem ad vitam æternam.

Duo autem necessariò concurrere debent ut actus sit supernaturalis, scilicet supernaturale principium & motivum seu finis supernaturalis.

Principium quidem, quia causa naturalis non nisi naturaliter operatur. Ut ergo voluntas, quam diximus esse principium actuum humanorum, supernaturaliter agat, Christo tanquam capiti conjungatur unumque cum ejus spiritu principium efficiatur necesse est, juxta illud Joan. 15 *Qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum.* Attrahitur autem vivificus ille spiritus per orationem, ut habetur Psalm. 118. *Os meum aperui, & attraxi spiritum.* Ergo qui propriâ nituntur industriâ & neglecto orationis studio, toto naturæ impetu feruntur ad opera exteriora, putà lectionem, agriculturam, &c. non videntur operari supernaturaliter, nec proinde apud Deum mereri, quia principium ex quo

procedunt ejusmodi opera est merè naturale.

Motivum quoque seu finis supernaturaliter movens concurrere debet ad actum supernaturalem, quia omnis actus speciem & essentiam desumit ab objecto motivo; ac proinde actus erit naturalis si motivum sit naturale, qualis est civilis honestas, familia alenda, scientia acquirenda, lucrum faciendum, captanda hominis benevolentia. Non movet autem bonitas finis nisi per sui amorem: amor verò non potest esse sine cognitione; ergo ut motivum supernaturale moveat voluntatem, necessarium est ut agens vel actu vel virtualiter attendat ad finem, & ejus amore operetur.

Dicitur 3°. *Ab homine justo;* ait enim Christus Joan. 15. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis.* Atqui Christus non manet in nobis nisi per charitatem & gratiam sanctificantem, juxta illud 1. Joan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Enimvero peccatum lethale 1°. animam separat à Deo: *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum vestrum*; Isa. 59. 2°. Odium Dei concitat, juxta illud Sapientiæ 14. *Odio sunt Deo impius & impietas ejus.* 3°. Peccatorem constituit obnoxium pœnæ æternæ; atqui repugnat eumdem mereri damnationem simul & vitam æternam.

Ad meritum igitur de condigno imprimis requiritur personæ dignitas. *Respexit Dominus ad Abel & ad munera ejus; ad Caïn autem* (peccatorem) *& ad munera illius non respexit*, Gen. 4. Sic in societate humana accepta sunt amici munuscula, inimici vero ingrata & despecta. Denique actiones Christi Domini, licèt secundùm entitatem spectatæ essent finitæ, & ejusdem speciei cum bonis justorum operibus, infinitum tamen valorem & meritum hauriebant ab ejus persona, utpotè infinitè digna: ergo meritum de condigno præcipuè repetitur ex dignitate & sanctitate personæ. Unde summi Pontifices Pius V. & Gregorius XIII. merito damnarunt x. 11. Baii propositionem, quâ asserebat bonum opus ci-

tra gratiam adoptionis factum esse Regni cœlestis meritorium. Quot igitur incentiva & stimuli, ut conscii peccati lethalis per pœnitentiam in gratiam Dei quàm citissimè redeant, & bonæ arbores effecti fructus ferant dignos vitæ æternæ?

Dicitur 4°. *Ab omni viatore*; quia ex sancto Hieronymo in cap. 9. Eccles. *Viventes possunt bona opera perpetrare*; *mortui verò nihil valent adjicere ad id quod secum tulêre de vitâ*, ut habetur Joan. 9. *Venit nox quando nemo potest operari.*

Dicitur 5°. *liberè elicitum*; ad merendum enim & demerendum requiritur libertas à necessitate, ut definierunt summi Pontifices Innocentius X. & Alexander VIII. adversùs Jansenium.

Dicitur 6°. *pro quo Deus mercedem promisit*; tùm quia etiam in civilibus merces non debetur operario, nisi pro ea conductus fuerit; tùm quia Deus pro suo absoluto dominio in creaturas jus habet exigendi omnia bona opera, nullâ mercede propositâ; tùm denique quia bona nostra opera non in Dei, sed in nostram utilitatem cedunt. Unde sanctus Augustinus serm. 169. aliàs 15. de verbis Apostoli, perpendens bonitatem quâ Deus nobis bene operantibus mercedem promittit, ait, *Nihil addi ad istam benevolentiam potest. Quis est qui dicat, sanem te, & do tibi mercedem?*

Ergo ad meritum de condigno sex requiruntur conditiones. 1°. Opus debet esse bonum & honestum. 2°. Supernaturale. 3°. Hominis justi. 4°. Liberè agentis. 5°. In terris adhuc peregrinantis. 6°. Adjunctam habere debet Dei promissionem. Sed tres primæ dumtaxat in Catechesibus sunt exponendæ, quia præterquam quòd non nimis oneranda est auditorum memoria, si tres illæ adfuerint conditiones, concurrent cæteræ, etiamsi auditores de illis non cogitent.

Q. 2°. *Bona opera de condigno meritoria suntne ad salutem necessaria?*

Certum est parvulis non esse necessaria; ipsis enim per Baptismum regeneratis in adoptionem filiorum, vita æterna debetur solo titulo hæreditatis; *si autem filii & hæredes, hæredes quidem Dei, co-*

hæredes autem Christi, inquit Apostolus Rom. 8. Quæstio igitur solùm esse potest de adultis. Unde.

R. Bona opera de condigno meritoria adultis sunt omninò necessaria. *Carere meritis*, inquit S. Bernardus, serm. 68. in Cant. *satis ad judicium est, pernicioſa paupertas, penuria meritorum.* Et ratio est quia ex Concilio Tridentino, sess. 6. c. 16. vita æterna adultis proponitur sub triplici titulo, scilicet hæreditatis, mercedis, & coronæ gloriæ. Hæreditas autem necessariò supponit gratiam adoptionis, merces bona opera, corona gloriæ victoriam. De adoptionis gratia habetur Rom. 8. *Quos justificavit, illos* (& non alios) *glorificavit.* De bonis operibus, Luc. 19. *Negotiamini, dum venio.* Matth. 25. v. 30. *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores*; & v. 34. *Possidete regnum.... esurivi enim, & dedisti mihi manducare.* Et Matth. 7. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Fructum bonum, ait, utique de condigno meritorum, pro altero enim gloria cœlestis non rependitur. De corona gloriæ 2. Tim. 2. *Non coronatur, nisi legitimè certaverit*, scilicet adversùs concupiscentiam carnis & oculorum ac superbiam vitæ, propter quæ militia est vita hominis super terram; nec potest bonis operibus insistere quin simul cum animo suo depugnet, & exemplo Israëlitarum (qui Nehemiæ 4. v. 17. cùm instaurarent muros Jerusalem, unâ manu faciebant opus, & alterâ tenebant gladium) in omnibus sumat scutum fidei, ut monet Apostolus, Ephes. 6. *In quo possit omnia tela nequissimi ignea extinguere.*

Singulorum ergo plurimi interest nosse, & Pastorum docere, qui sint caracteres meriti condigni; & præveniendo futurum Dei examen perpendere, num operibus quæ bona apparent, desit aliqua ex conditionibus ad verum meritum requisitis, *Ne sub auri specie æs lateat, aut hoc quod veraciter aurum est, monetæ reprobæ figura dehonestet*, inquit S. Greg. l. 33. mor. c. 26. Verùm quomodò Parochiani ista recognoscent aut excutient, cùm à Parochis non di-

dicerint necessarias veri meriti conditiones, quemadmodum multoties experti sumus, dum lustrarentur eorum Parœciæ? Quid prodest plebem nosse Deum unum in essentia, trinum in personis, & in fine sæculorum incarnatum, si ignoret quid observandum ut operibus suis illum promereatur? An non magister totâ mente incumbit ut ipsius tyrones ante omnia ediscant regulas artis quam profitentur, ac demum eas scitè ac politè applicent? Atqui Parochus subditos existimat tanquam tyrones quos ipse, habens formam scientiæ, ut loquitur Apostolus, hoc est, regulam credendorum & agendorum, instituendos suscepit in disciplina christiana: ergo imprimis ipsi incumbit auribus & animis Parochianorum inculcare elementa & regulas actionis veræ christianæ & Deo dignæ, alioquin in vacuum gratiam acciperent, si fructum, ad quem datur, id est, meritum condignum vitæ æternæ ex ea non colligerent; *Cui autem non datur semper vivere, quid prodest bene vivere?* S. Aug. tract. 45. in Joan.

Q. 3°. *Ad meritum de condigno requirituine ut opus supernaturale nullâ lege sit præceptum, sitque, ut aiunt, supererogationis?*

R. Minimè; quin affirmans quorumdam sententia à Theologis communiter damnatur ut temeraria & erronea, quia servantibus mandata vita æterna in mercedem promittitur, Luc. 6. *Diligite inimicos vestros... & erit merces vestra multa.* Matth. 5. Datur regnum Dei propter opera misericordiæ, & quidem præcepta; qui enim ea omiserunt, puniuntur tanquam legis transgressores, mittuntur in gehennam ignis.

Q. 4°. *Actus supernaturalis cujuslibet virtutis estne in homine justo meritorius de condigno?*

R. Non conveniunt Theologi; affirmant non pauci, negant verò alii etiam magno numero, inter quos appellare licet S. Thomam, qui primâ Secundæ quæst. 114. art. 4. sic habet: *Meritum vitæ æternæ primò pertinet ad charitatem; ad alias autem virtutes secundariò,*

secundariò, secundùm quod earum actus à charitate imperantur. Et in reſponſione ad tertium docet actus fidei, patientiæ, & fortitudinis in Martyribus non eſſe meritorios de condigno, niſi virtutes illæ per dilectionem operentur, quia Deus non promiſit coronam gloriæ niſi diligentibus ſe. Joan. 14 v. 21. 1. Cor. 2. v. 9. Jac. 1. v. 12. Nec major gloria retribuetur ei qui pro Chriſto plus laboraverit, ſed qui eum plus dilexerit, ut patet in beata Virgine, quæ tot labores non ſuſtinuit quot Apoſtoli; ſed quia plus dilexit, ſublimiorem gloriæ gradum conſecuta eſt. Huic poſteriori ſententiæ in praxi eſt adhærendum, cùm ſola ſit ſecura in re tanti momenti.

Q. 5°. *Quænam cadunt ſub meritum de condigno?*

R. Vita æterna & augmentum gratiæ ſanctificantis. Ita definiit Concilium Tridentinum, ſeſſ. can. 12. *Si quis dixerit ipſum juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & Jeſu Chriſto meritum, cujus vivum membrum eſt, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ (ſi tamen in gratia deceſſerit) conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema ſit.*

Caput X.

De merito de congruo.

Q. 1°. *Quot conditiones requiruntur ad meritum de congruo?*

R. Quatuor: 1°. opus debet eſſe bonum; 2°. ſupernaturale; 3°. liberè elicitum; 4°. ab homine viatore. Probatur iiſdem planè momentis quibus ſuprà demonſtravimus ejuſmodi conditiones requiri ad meritum de condigno, pro utroque enim merito æquè ſunt efficacia, ut legenti patebit.

Quod autem ad meritum de congruo non requiratur ſtatus gratiæ ſanctificantis, nec Dei promiſſio, ſicut ad meritum de condigno, conſtat ex dictis; namque 1°. diſpoſitiones ad juſtificationem

in peccatore pœnitente habent rationem meriti de congruo ; 2°. donum perſeverantiæ & auxilia efficacia, quamvis nulla de iis extet Dei promiſſio, & continuò ſit pro iis orandum ſuppliciter, tamen emereri poſſumus.

Q. 2°. *Donum ſequiturne infallibiliter meritum de congruo ?*

R. Sequitur, ſi meritum habeat rationem ultimæ diſpoſitionis : ſecùs, ſi ſe habeat ut remota diſpoſitio, quia motio Spiritûs ſancti ſemper conſequitur finem, niſi creatura ponat obicem. Atqui nullus eſt obex ex parte creaturæ, quæ mota à Spiritu ſancto, extremam manum operi iniponit : ſecùs, ſi retrahat : hinc bona quæ juſtus aliis meretur de congruo, iis non ſemper obveniunt, quia plerumque ponunt obicem.

Q. 3°. *Quænam cadunt ſub meritum de congruo ?*

R. Cadunt, 1°. gratiæ efficaces, & donum perſeverantiæ : 2° bona temporalia, quatenus à Deo ordinata ſunt ad noſtram vel proximi ſalutem ; quia ut ſic, pertinent ad gratias exteriores quas Chriſtus nobis promeruit, & poſſunt eſſe effectus prædeſtinationis, ut alibi diximus ; ſed monendum iterum nec opus, nec orationem fore meritoria de congruo, niſi procedant ex motione Spiritûs ſancti. Quòd ſi ex cupiditate proficiſcantur, ferè ſemper peccata ſunt, & iram Dei provocant.

Dices ; Eccleſ. 9. *univerſa æquè eveniunt juſto & impio :* ergo bona temporalia non cadunt ſub meritum.

Diſtinguo antec. æquè eveniunt in diverſum uſum & finem, concedo : æquè eveniunt in eumdem uſum & finem, nego antecedens ; *quia* (inquit S. Thomas primâ Secundæ, q. 114. art. 10. ad quartum) *boni per hujuſmodi manum ducuntur ad beatitudinem, non autem mali.* Impiis mala eſt ſive proſperitas ſive adverſitas : proſperitas quidem, quia ſi miſer eſt qui malè concupiſcit, ſanè miſerior dicendus eſt ex S. Auguſtino, qui habet quod malè concupivit ; inde enim exardeſcit

ſuperbia & cupiditas, ſicut ex majori lignorum copia creſcit incendium. Contra verò electis proſperitas eſt inſtrumentum bonorum operum, & adverſitas veluti fornax in qua probantur & excoquuntur eorum virtutes. Unde Deus nonnunquam malis concedit iratus quod juſtis negat propitius: *novit enim Medicus*, inquit S. Auguſtinus, Tract. 73. in Joan. *quid pro ſua, quid contra ſuam ſalutem poſcat ægrotus. Quod ſi fecerit, non ut Salvator facit, quod eſt nomen ejus fidelibus ejus; eſt quippè impiis & damnator.*

Caput XI.

De diviſione actuum humanorum.

Q. 1°. *Quomodo dividuntur actus humani?*

R. 1°. Dividuntur generatim, 1°. in bonos & malos, 2°. in elicitos, qui immediatè à voluntate procedunt, ut amor, deſiderium, odium, &c. & imperatos, qui ab aliis facultatibus immediatè proficiſcuntur, ſed ex imperio voluntatis, quæ ejuſmodi facultates applicat ad opus; v. g. intellectum ad cogitandum, deliberandum, manum ad erogandam eleemoſynam, ad homicidium patrandum: 3°. In interiores & exteriores.

R. 2°. Speciatim actus boni dividuntur in bonos moraliter tantùm, & bonos ſupernaturaliter: & hi rursùs in meritorios de condigno, & meritorios de congruo.

De bonitate & malitia actuum humanorum generatim ſpectatâ ac de eorum merito ſatis ſuperque diximus; ſed ſupereſt nonnulla difficultas ſolvenda circa bonitatem actuum imperatorum & exteriorum. Itaque:

Q. 2°. *Competitne ſpecialiter bonitas aut malitia moralis actibus imperatis & exterioribus?*

R. 1°. Actus imperatus ſive interior, ut cogitatio,

ſive exterior, ut erogatio eleemoſynæ; oratio vocalis, nec bonus nec malus eſt moraliter, niſi extrinſecè & denominatione petitâ ab interiori actu voluntatis. Ita S. Thomas primâ Secundæ, q. 20. c. 4. ad ſecundum: *Bonitas actûs exterioris*, inquit, *non eſt alia à bonitate voluntatis, quam habet ex ipſo actu volito.* Et ratio eſt quia actus imperatus ſive interior, ſive exterior, eatenus eſt bonus moraliter, quatenus eſt voluntarius, liber & tendens ad honeſtatem, ut ſuprà dictum eſt: atqui per ſe formaliter nec eſt voluntarius, nec liber, nec tendens ad honeſtatem, niſi quatenus imperatur & dirigitur ab interno voluntatis actu libero, à quo denominatur voluntarius, liber & moralis: ergo extrinſecè tantùm & denominativè eſt bonus.

R. 2°. Actus exterior indirectè & occaſionaliter auget bonitatem actûs interioris, quatenus difficultas, diuturnitas laboris, defatigatio, & alia quæ ſolent comitari opera externa, occaſiones ſunt voluntati exercendi vires, majorem conatum adhibendi, actus internos multiplicandi, quandiu perficiatur opus externum, quandiu v. g. Martyris corpus per varia tormenta dilaniatur: Ergo ſimpliciter & abſolutè melius eſt eſſe martyrem in re quàm in voto, longam & difficilem peregrinationem conficere religionis causâ, quàm proponere tantùm & vovere.

Ergo in confeſſione ſacramentali actus exterior eſt exprimendus, meritòque Alexander VII. proſcripſit hanc propoſitionem: *Qui habuit copulam cum ſolutâ, ſatisfacit confeſſionis præcepto dicens, commiſi grave peccatum cum ſolutâ, non exprimendo copulam.*

TRACTATUS DE VITIIS ET PECCATIS.

CAPUT I.

De notione vitii & peccati.

Q. 1°. *Quotuplici modo vitium ſeu peccatum ſumitur?*

R. Duplici : 1°. latè pro quolibet defectu, ſive naturæ, ſive artis : 2°. ſtrictè pro morali rationis defectu. Priores defectus dicuntur vitia & peccata ſecundùm quid, v. g. vitia ſeu peccata naturæ aut arte facti : poſteriores ſimpliciter vocantur vitia & peccata. Et ratio eſt quia cùm natura aut artifex deficit, peccat ſolùm contra finem ſingularem, nec defectus utriuſque, licèt vitioſus, repugnat legi æternæ, reducique poteſt ad Deum ultimum rerum omnium finem : contra verò defectus moralis adverſatur legi æternæ, nec poteſt ad Deum referri.

Ergo peccatum ſeu vitium ſtrictè ſumptum, de quo ſolùm hîc agimus, eſt deordinatio voluntaria naturæ rationalis in iis quæ ſpectant mores.

Q. 2°. *Vitium & peccatum ſuntne unum & idem?*

R. Aliquando promiſcuè accipiuntur, propriè tamen differunt.

Q. 3°. *In quo differunt?*

R. Differunt ſicut actus & habitus; peccatum quippè eſt actus moraliter malus; vitium verò eſt habitus ſeu diſpoſitio per ſe inclinans ad actum moraliter malum.

Ergo peccatum eſt quid pejus vitio; quia malè agere pejus eſt quàm diſpoſitum eſſe ad malè agendum; primum punitur, non ſecundum.

Q. 4°. *Quomodo definitur peccatum?*

R. Definitur à S. Auguſtino, lib. 22. contra Fauſtum, cap. 27. dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam. Hæc definitio probatur à S. Thoma primâ Secundæ, q. 71. art. 6. & obtinuit in Scholis; enimverò complectitur omnes peccati ſpecies.

Ac primò quidem peccatum originale, quod dici poteſt factum voluntarium, ut obſervat S. Auguſtinus, lib. 1. retract. c. 11. ubi ſic habet: *Illud quod in parvulis dicitur originale peccatum, cùm adhuc non utantur arbitrio voluntatis, non abſurdè etiam vocatur voluntarium*, voluntate ſcilicet primi patentis, quæ non ſolùm erat voluntas privatæ perſonæ, ſed etiam communis omnium hominum tanquam membrorum, quorum Adamus conſtitutus erat caput.

Secundò, peccata omiſſionis, quia ex communi hominum uſu in iſtis vocibus, *factum*, *dictum*, *concupitum*, intelliguntur negationes oppoſitæ; dicimus enim eum malè facere qui omittit officium, qui non reſpondet interroganti, cùm debeat, nec amat quæ ipſum decent. Ita S. Thomas, q. 76. art. 2. ad primum.

Tertiò, peccatum veniale, quia etſi abſolutè & ſimpliciter non ſit contra legem, ab ea tamen aliquatenus deficit: *Peccatum veniale*, inquit S. Thomas, q. 7. de malo art. 1. ad primum, *etſi in aliquo recedat ab ordine legis, non tamen ipſum corrumpit; quia non corrumpit dilectionem, quæ eſt plenitudo legis.*

Quartò, eadem definitio extenditur ad peccata quæ pugnant contra legem humanam, quia lex æterna, ſicut & recta ratio, jubet ut filii obediant parentibus, ſervi dominis, & ſubditi ſibi præpoſitis.

Quintò, peccatum habituale etiam continetur in illa definitione; peccatum enim habituale eſt

actus malus præteritus, nec retractatus, moraliter remanens in macula, quâ animam aſperſit, juxta illud ad Tit. 1. *Inquinata ſunt eorum & mens & conſcientia.* Jac. 1. *abjicientes omnem immunditiam.*

Q. 5°. *Quid eſt peccati macula?*

R. Eſt privatio gratiæ, non præcisè, ſed cum relatione & ordine ad actum malum præteritum, qui, ut diximus, quandiù non fuerit retractatus, moraliter remanet, & privatio gratiæ cenſetur voluntaria converſio habitualis ad creaturam, quin & averſio ſimiliter habitualis à Deo, ſi actus fuerit lethaliter malus; namque propter actum præteritum non retractatum voluntas habitualiter adhæret objecto illicitè amato, privaturque vel gratiâ ſanctificante, ſi actus fuit lethaliter malus, vel fervore charitatis, ſi venialiter duntaxat. Unde S. Thomas, 3. parte, q. 87. art. 2. ad tertium, concludit ad abluendam maculam peccati mortalis requiri infuſionem gratiæ ſanctificantis: ad tollendam verò maculam peccati venialis, ſufficere motum charitatis.

Dixi, *præcisè*, tum quia privatio gratiæ, ut ſic, non habet rationem culpæ, ſed pœnæ à Deo juſtiſſimè inflictæ, tùm quia una & eadem eſt privatio gratiæ in omnibus peccatoribus; diverſæ verò peccatorum maculæ pro diverſitate peccatorum.

Q. 6°. *Per quos actus contrahitur peccati macula?*

Reſpondet S. Thomas q. 86. art. 1. ad ſecundum, non contrahi præcisè per cognitionem, ſed per amorem rerum inferiorum, quia proprium eſt intellectûs per cognitionem aſſimilare ſibi objecta, & eorum materialitatem & imperfectionem quodam modo eliquare & expurgare, adeo ut ex objectis materialibus & obſcœnis ſola intellectu refulgeat veritas, quâ perficitur, nedum inficitur: undè Deus abſque præjudicio infinitæ ſuæ puritatis & ſanctitatis cognoſcit omnia obſcœna & turpiſſima, de quibus ipſi peccatores erubeſcunt. Amor verò eſt motus voluntatis ad res ipſas, ut in ſe ſunt, illiſque animam agglutinat, ac proinde, ſi turpes ſint, commaculat;

quemadmodum enim veſtis tum maculari dicitur, cùm ſuum nitorem deperdit, deperdit autem per contactum alicujus impuri, puta luti; ſic anima amittit ſuam pulchritudinem adhærendo creaturæ, quod fit per amorem.

Dixi animam non maculari præcisè per cognitionem, quia occaſionaliter per eam aliquando fœdatur; nam attentio ad turpia inflammat libidinem, ad ſuperflua, cauſat teporem & negligentiam, ad injuriam acceptam, provocat iram & vindictam. Hinc inter peccata numerantur cogitationes quæ dicuntur moroſæ; à mora, non temporis, cùm peccatum etiam mortale uno momento conſummari poſſit, ſed rationis, quæ circa eas immoratur. Dicitur autem ratio in mora, quomodo debitor qui non ſolvit debitum cùm poteſt & debet; ratio enim ſtatim cogitationem debet avocare ab objecto, cùm advertit ex ejus perceptione concupiſcentiam delectari cogitatione odii, vindictæ, venereorum, &c. *Ex hoc ipſo*, inquit S. Thomas primâ Secundæ, q. 74. art. 7. ad ſecundum, *quòd ratio ſuperior non dirigit actus humanos ſecundùm legem divinam impediens actum peccati, dicitur ipſa conſentire, ſive cogitet de lege æterna, ſive non*; (nota contra peccatum philoſophicum) *cùm enim cogitat de lege Dei actu, eam contemnit; cùm verò non cogitat, eam negligit per modum cujuſdam omiſſionis.* Et art. 6. *Deficit* (ratio) *in directione paſſionum inferiorum dupliciter: uno modo, quando temperat illicitas paſſiones: alio modo, quando non reprimit illicitum paſſionis motum.* Enimverò officium eſt præpoſiti coercere ſeditioſos ſubditorum motus, quando id præſtare poteſt, cenſeturque iis conſentire, ſi diſſimulet ſine rationabili causâ. Quanto magis ſi iis delectetur? *Totus homo damnabitur*, inquit S. Auguſtinus, lib. 12. de Trinit. cap. 12. *niſi hæc quæ ſine voluntate operandi, ſed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, ſolius cogitationis ſentiuntur eſſe peccata, per Mediatoris gratiam remittantur*, quia nemo delectatur re illicitâ, niſi illam

amet : atqui amare rem lethaliter malam est peccatum lethale : ergo & eâ liberè delectari.

Ergo excusandi non sunt qui in familiaribus colloquiis laudant vitæ superfluitates, ultionem de inimicis & cætera quæ lege divinâ prohibentur, ac de iis cogitando animam oblectant, eo prætextu quòd à lege ista vetante abstrahant: *Hæc*, inquiunt, *dicta sint secundùm hominem.* Imò contra naturam hominis est, ac proindè peccatum, amare quæ per se mala sunt.

Dixi, *sine rationabili causâ*; nullum enim est peccatum non amovere justam causam, qualis esse potest auditio confessionum, equitatio necessaria, &c. ex quibus delectatio venerea sequitur in appetitu sensitivo, modò absit periculum consensûs; si enim adesset, ab iis omninò esset abstinendum, ut uno ore docent Theologi, inquit Azor, parte 1. lib. 4. c. 6. q. 5. Plura & scitu necessaria, quæ spectant ad cogitationes morosas, vide tom. 3. Tract. de Peccatis, cap. 9.

Q. 7°. *Quotuplex est peccati macula?*

R. Triplex; cùm enim macula sit privatio nitoris animæ, totùplex distingui debet peccati macula, quotuplex est animæ nitor; atqui nitor ille triplex est: primus refulget ex lumine naturali rationem dirigente; secundus ex lumine supernaturali, fidei & gratiæ; tertius ex actibus charitatis & virtutum infusarum, quibus interior gratiæ nitor exteriùs splendescit, juxta illud Matth. 5. *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Ergo ex peccato generatim sumpto nascitur triplex animæ macula. Prima consistit in privatione rectitudinis & conformitatis ad rectam rationem, rectitudo quippè illa pulchritudo est & naturalis animæ decor. Secunda in privatione gratiæ sanctificantis, quam inducit peccatum mortale, ratione cujus maculæ, homo denominatur & verè est malus, peccator, habitaliter à Deo aversus, & ideo ejus inimicus. Tertia, quæ oritur ex peccato veniali, consistit in privatione

fervoris, qui est decor & pulchritudo relucens in homine ex actibus charitatis & aliarum virtutum; sicut enim venustas corporis humani non solùm exurgit ex apta omnium membrorum compositione, sed etiam ex vegeto & florido colore, adeo ut corpus pallidi & levidi coloris sit deforme, etiamsi ex integris & ordinatè compositis constet membris, ita animæ pulchritudo consistit non solùm in recta habitudine partis inferioris ad superiorem & partis superioris ad Deum, quod habet per gratiam sanctificantem virtutes infusas & dona Spiritûs sancti, sed exteriùs maximè splendescit ex bonis operibus. Ergo maculâ aspergitur anima, quando ejus agendi ratio est remissior, multa facit aut prætermittit, quæ licèt levia, displicent tamen, & oculos intuentium offendunt, ut leves rixæ, vaniloquia, &c.

Ergo macula unius peccati mortalis tolli non potest sine alia, quia homo non potest esse simul separatus à Deo & conjunctus. Secùs de maculâ peccati venialis, quia absolutè potest quis fervere circà unum objectum, & remissiùs agere circà illud.

Q. 8°. *Quid est reatus peccati?*

R. Est obligatio ad pœnam ex macula voluntariè contracta, vel æternam, si peccatum sit mortale, nec ejus macula deleta, vel temporalem, si peccatum sit leve, aut macula peccati mortalis jam sit deleta.

CAPUT II.

De divisione peccati.

Q. 1°. *Quotuplex est peccatum?*

R Duplex, originale, quod in Adamo contrahitur; & personale, quod propriâ voluntate committitur.

Q. 2°. *Quotuplex eſt peccatum perſonale ?*

R. Multiplex.

1°. Aliud eſt actuale, & eſt ipſemet actus inordinatus & inhoneſtus : aliud habituale, quod eſt macula ex actu inordinato conſequens.

Ergo peccatum habituale aliter ſumitur à Philoſophis, aliter à Theologis. Apud Philoſophos quippe peccatum habituale eſt habitus vitioſus, qui non contrahitur niſi ex actibus malis ſæpiùs repetitis, unus enim actus non producit habitum. Apud Theologos verò peccatum habituale eſt macula in anima remanens, vel ex uno actu malo non retractato.

2°. Peccatum aliud dicitur commiſſionis, aliud omiſſionis. Commiſſionis eſt actus poſitivus contra præceptum negativum, quo prohibetur malum, v. g. mendacium. Peccatum omiſſionis eſt omiſſio actûs boni contra præceptum affirmativum, quo præcipitur ille actus, v. g. non audire Sacrum die feſto, non jejunare tempore Quadrageſimæ. *Duobus modis conſtat eſſe peccatum*, inquit S. Auguſtinus, lib. de perfectione juſtitiæ, c. 3. *ſi aut fiant illa, quæ prohibentur ; aut illa non fiant, quæ jubentur.* Porrò peccatum commiſſionis, cæteris paribus, eſt gravius peccato omiſſionis, quia in eo major eſt receſſus ab ordine rationis : pejus eſt v. g. odiſſe Deum quàm non amare, in illum blaſphemare quàm illum non laudare.

3°. Aliud eſt peccatum ſimpliciter dictum, aliud peccatum in Spiritum ſanctum, quod, teſte ipsâ veritate, Matth. 12. *Non remittetur in hoc ſæculo, neque in futuro.*

Peccatum autem in Spiritum ſanctum eſt peccatum ex malitia procedens, quo repelluntur impugnanturvè ſpiritalia gratiæ dona, quæ, cùm ſint effectus amoris Dei erga homines, appropriantur Spiritui ſancto, utpotè qui ſit ratione proceſſionis ſuæ amor Patris & Filii.

Sex verò numerantur peccata in Spiritum ſanctum, nempè deſperatio, præſumptio, impœnitentia,

obstinatio, impugnatio veritatis cognitæ, & invidentia fraternæ gratiæ. Illo autem modo dicuntur irremissibilia, quo morbus corporalis per se sanabilis, tum curari non potest, cùm freneticus non admittit salubria remedia. Nam ex S. Augustino lib. 1. de Serm. Domini in Monte, qui sic peccat, humilitatem deprecandi non subit, nec spe veniæ, nec timore pœnæ movetur ad pœnitentiam, sed vel de se præsumit, vel desperatione dejicitur: non acquiescit sanis consiliis, sed obstinato animo veritati resistit, quin & de eâ detrahit: non accenditur aliorum exemplis, sed illorum gratiæ invidet. Porrò si ne minima quidem peccata absque pœnitentiâ remitti queunt, quantò minùs graviora?

4°. Alia sunt peccata capitalia cæterorum origines; alia quæ ex illis nascuntur.

Septem capitalia numerantur, à S. Gregorio, lib. 31. Moralium, cap. 31. scilicet inanis gloria, invidia, avaritia, ira, luxuria, gula, & acedia, de quibus plura hîc dicenda essent scitu maximè necessaria ad curandos animi morbos tum proprios, tum alienos, nisi fusè de illis egissemus in praxi Sacramenti Pœnitentiæ gallicè edita Parisiis, apud BARTHOLOMÆUM ALIX, viâ Jacobæâ.

5°. Peccata alia dicuntur spiritalia, quæ perficiuntur in delectatione spiritali, ut superbia, odium, invidia; alia carnalia, quæ carne consummantur, ut luxuria, gula. In latiori tamen significatione omnia ferè peccata nonnunquam dicuntur opera carnis, ut Gal. 5. quia ex carne saltem occasionaliter oriuntur.

6°. Alia sunt peccata ignorantiæ, alia infirmitatis, alia malitiæ, de quibus Tractatu superiori, ubi de voluntario.

7°. Alia sunt contra naturam rationalem, quæ in pecoribus non sunt vitia, ut solutus concubitus: alia contra naturam genericam omnium animalium, ut sodomia, & ita simpliciter & absolutè dicuntur peccata contra naturam.

8°. Peccatum dividitur in peccata cordis, oris & operis, quæ divisio non est peccati in diversas species, sed in diversos gradus ejusdem speciei; peccatum enim incipit in corde, deinde per vocem foràs prodit, denique ipso opere consummatur.

9°. Celebris est peccati divisio in mortale & veniale, de quibus sicut de peccato originali separatim tractandum est.

CAPUT III.

De Peccato mortali & veniali.

Q. 1°. *Estne legitima peccati divisio in mortale & veniale?*

Philosophi Stoïci olim asseruerunt contra omnem sensum generis humani, ut loquitur sanctus Augustinus, Epistolâ 167. aliàs 29. omnia peccata esse æqualia.

Jovinianus, IV. sæculo, Stoïcis adstipulatus est.

Pseudo-reformati ad hunc errorem accesserunt, contendentes minima etiam peccata esse mortalia in reprobis, in prædestinatis verò gravissima etiam dici venialia, quia ipsis non imputantur propter firmam eorum fiduciam in Deum.

Joannes Gerson, celeberrimus Academiæ Parisiensis Cancellarius XV. sæculo, contra communem Theologorum sententiam docuit, lib. de vita spirituali, lect. 1. peccata venialia ex natura sua mereri damnationem æternam, tribuendumque misericordiæ Dei quòd non ita severè puniantur.

Hæc fuit quoque vigesima Baii propositio damnata à Pio V. & Gregorio XIII. *Nullum est peccatum naturâ suâ veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

Itaque circa propositam quæstionem de solo peccato veniali controversia est, utrum scilicet detur, nam Hæretici cum Catholicis conveniunt dari peccatum naturâ suâ mortale.

R. De fide est dari peccata naturâ suâ venialia, nam Matth. 7. v. 5. quædam peccata comparantur festucæ, utpote levia, alia trabi, quia graviora. Similis comparatio habetur 1. Cor. 3. v. 12. *Si quis autem superadificat super fundamentum hoc* (quod est Christus seu fides in Christum) *ligna, fœnum, stipulam .... detrimentum patietur, ipse autem salvus erit.* Concilium Africanum in sua epistola docet plures justos vivere sine crimine, non tamen sine quotidianis & levibus offensionibus ; idem quoque Concilium Tridentinum, sess. 6. cap. 11. & sanctus Augustinus toto libro de perfectione justitiæ, & serm. 351. aliàs hom. 50. *Quamvis*, inquit, *singula non lethali vulnere ferire censeantur, tamen omnia simul congregata velut scabies nostrum decus ita exterminant, ut ab illius sponsi specioſi forma prælatis hominum castissimis amplexibus separent, nisi medicamento quotidianæ pœnitentiæ resecentur.*

Dices 1°. Matth. 5. Christus sic pronunciat : si quis solverit unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cœlorum, hoc est, in Dei judicio vilissimus habebitur, ac propterea in tenebras exteriores ejicietur, quemadmodum interpretantur sanctus Chrysostomus, Theophylactus, S. Thomas & alii : ergo minima peccata merentur pœnam æternam.

Distinguo anteced. De mandatis minimis in mente Pharisæorum, apud quos leve peccatum erat concupiscentia uxoris alienæ, odium inimicorum, &c. quamvis reverà sint peccata lethalia, concedo : de mandatis minimis in se levibus, nego antecedens.

Instas : Grave est peccatum non diligere Deum ex toto corde ; atqui omnis peccans etiam mendacio officioso non diligit Deum ex toto corde, *quæ enim vitiosa cogitatio obrepet in hominis animo*, inquit Calvinus, *si totus amore Dei occupetur* ? ergo nullus leviter peccare potest.

Distinguo majorem cum S. Augustino ; grave est peccatum non diligere Deum ex toto corde,

præponendo aut æquando ipsi aliud quippiam, concedo: non diligere actu continuo & intensissimo, nego majorem. Primus modus diligendi Deum ex toto corde est proprius justorum in terris peregrinantium: secundus beatorum, excluditque omne peccatum etiam veniale, sed est impossibilis in hoc vitæ statu; proponitur tamen tanquam finis & scopus, ad quem peregrinantes tendere debent quotidie perficiendo, & quotidianos defectus minuendo: charitas enim nascitur ut crescat, crescit donec perficiatur.

Instas iterum: peccatum veniale non remittitur nisi ex Dei misericordia: ergo in æternum puniri meretur.

Nego conseq. neque enim Aulico aliàs Regi acceptissimo perpetua debetur pœna propter leviorem offensam, ex eo quòd veniam sperare non possit nisi ex indulgentia Principis: misericordiæ itaque divinæ tribuendum quòd gratiam justo concedat ad satisfaciendum pro venialibus, non verò quod justum in æternum non puniat.

Dices 1°. Minima opera bona justi merentur vitam æternam: ergo & minima peccata supplicium æternum.

Nego conseq. 1°. Quia Deus ultra condignum remunerare potest, quia misericors est: punire verò non potest, quia justus est. 2°. Quia sicut minimum opus bonum vitam æternam non meretur, nisi ex charitate procedat, sic peccatum ex objecto leve, non est dignum pœnâ æternâ, nisi ex formali Dei contemptu proficiscatur.

Instas: malum culpæ etiam levissimæ majus est malo pœnæ gravissimo, alioquin licitum foret peccare leviter ad vitandum grave malum temporale: ergo peccatum veniale justè puniri potest pœnâ gravissimâ, scilicet damnatione æternâ.

Nego conseq. quamvis enim malum culpæ sit superioris ordinis respectu mali cujuscumque pœnæ etiam infinitæ, inde tamen rectè non concluditur

nullam esse vindictam justam peccati etiam levissimi, quemadmodum non sequitur argentum vel aurum, in qualibet quantitate appendatur, non posse esse justum pretium animalis, putà oviculæ; ex eo quòd minutissimum animal perfectius sit quovis corpore inanimato. In his itaque servanda est aliqua proportio secundùm justitiæ leges, ita ut pro culpa leviori decernatur pœna levior, sicut pro animali viliori statuitur minus pretium.

Caput VI.

De peccati mortalis differentia à veniali.

Q. 1°. *In quo conveniunt & differunt peccatum mortale & veniale?*

R. Conveniunt in conversione ad creaturam, ambo enim sunt inordinatus amor creaturæ.

Differunt autem essentialiter in eo quòd peccatum mortale sit aversio à Deo, non item veniale; homo quippe per peccatum mortale simpliciter recedit à Deo abjiciens ejus imperium, & consequenter suum finem ultimum in creatura constituit saltem implicitè: per peccatum autem veniale non desinit adhærere Deo; nec ita ad creaturam animo convertitur, ut in ea constituat suum ultimum finem, paratus quippe est potiùs dimittere ea quæ inordinatè diligit, & in quibus peccat, quàm à Creatore suo separari. Atque ut facilior sit utriusque peccati distinctio, finge duos cives, quorum alter ita suis privatis commodis & affectibus indulget, ut Regi suo nihilominus sit addictissimus, paratus pro ejus salute (ubi necesse fuerit) extrema adire pericula; alter verò, qui aversissimo à suo legitimo Principe est animo, & adversùs illum petulanter se erigit. Primus nomen & officium probi civis retinet, secundus habetur ut perduellis læsæ Majestatis reus, & infensissimus patriæ hostis. Sic distingue

inter eos qui peccant venialiter, & eos qui mortaliter. De prioribus sic docent Patres Tridentini, sess. 6. cap. 11. *Licèt in hac mortali vita quantùmvis sancti & justi in levia saltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadunt, non propterea desinunt esse justi.* De posterioribus verò S. Thomas, q. 28. de veritate, art. 2. *Quicumque*, inquit, *in re temporali finem sibi constituit*, QUOD FACIT OMNIS MORTALITER PECCANS, *ex hoc ipso quantùm ad effectum suum postponit Creatorem creaturæ, diligens plus creaturam quàm Creatorem, finis enim est qui maximè diligitur: cùm ergo Deus in infinitum creaturam excedat, erit peccatum contra Deum infinita offensa ex parte dignitatis ejus, cui per peccatum injuria fit, dum ipse contemnitur.* Et lect. 3. in c. 3. Ep. ad Philip. *Proprium Dei est ut sit primum principium & finis ultimus; unde qui pro fine habet aliquid, illud est Deus suus.* Similia habet in cap. 5. ad Eph.

Ergo peccatum mortale in duobus essentialiter consistit, nempe in aversione à Deo, & conversione ad creaturam tamquam ad ultimum finem: peccatum verò veniale in sola conversione ad creaturam, salvo ordine ad Deum ut ad ultimum finem.

Ergo peccatum mortale ex aversione à Deo, 1°. inducit animæ mortem, à quo dicitur mortale; sicut enim expirat corpus, cùm animam emittit, ita expirat anima, cùm Deum amittit. Deus amissus, mors animæ; anima emissa, mors corporis. 2°. Habet quòd sit infinita Dei offensa, ac proinde mereatur pœnam æternam; quia per ejusmodi aversionem peccator aufert à Deo, ut suprà docebat S. Thomas, rationem ultimi finis, ut eam vilissimæ creaturæ afferat. Porrò Rex non potest majori affici injuriâ quàm cùm regia ejus Majestas infra vilis mancipii conditionem deprimitur. 3°. Est malum irreparabile, quia, ut ratiocinatur S. Thomas 1. Sec. q. 72. art. 5. *Deordinatio mortis, quæ est per remotionem principii vitæ, est irreparabilis secundùm naturam: inordinatio autem ægritudinis reparari potest*

propter id quòd salvatur principium vitæ. Similiter est in his quæ pertinent ad animam . . . qui enim peccando avertitur ab ultimo fine, quantùm est ex naturâ peccati, habet lapsum irreparabilem, & ideo dicitur peccare mortaliter, æternaliter puniendus : qui verò peccat circa aversionem à Deo, ex ipsâ ratione peccati reparabiliter deordinatur quia salvatur principium, & ideo dicitur peccare venialiter, quia scilicet non ita peccat ut mereatur interminabilem pœnam.

Dices 1°. unus & idem numero actus potest esse peccatum veniale & mortale : ergo peccatum mortale & veniale non differunt essentialiter, sed secundùm majus & minus dumtaxat, quemadmodum calor remissior & intensior.

Probatur antecedens duobus exemplis. Motus indeliberatus odii in Deum est peccatum veniale, deliberatus verò mortale. Item, si quis die Jovis produceret cœnam carnibus instructam ultra mediam noctem, peccaret venialiter ante mediam noctem, in hypothesi quod ederet cum aliqua intemperantia; mortaliter verò post mediam noctem, & tamen idem esset actus intemperantiæ.

Nego antecedens, & ejus confirmationem : in allatis enim exemplis, licèt idem numero motus perseveret in sensualitate, novus tamen & essentialiter diversus exurgit in voluntate, quæ post advertentiam rationis vult quod antea nolebat, nempè separari à Deo.

Dices 2°. Ex S. Augustino, Tract. 12. in Joan. *Plura minuta peccata, si negligantur, occidunt, quemadmodum minuta grana arenæ, si multa sint, premunt atque opprimunt, & aqua paulatim per sentinam intrando, si non exhauriatur, mergit navem* : ergo.

Distinguo antec. occidunt dispositivè, quemadmodum levis febris, si non curetur, tandem extinguit calorem naturalem, & mortem infert, concedo : occidunt per se formaliter, nego anteced.

Q. 2°. *Quibus signis discerni potest peccatum mortale à veniali ?*

R. Hæc duo ſunt ſigna peccati mortalis : Primum, ſi ſit in materia gravi ; ſecundum , ſi adfuerit ſufficiens advertentia & deliberatio , alioquin ſi alterutrum deſit , judicandum eſt peccatum eſſe veniale. Quare mendacium officioſum & furtum unius aſſis, licèt ex deliberata voluntate procedant , venialia ſunt peccata propter levitatem materiæ : delectatio turpis , quamvis ſit in materia gravi , ſi tamen deſit ſufficiens advertentia aut libertas , venialis cenſetur.

CAPUT V.

De Peccato originali.

Q. 1°. *EXiſtitne peccatum originale ?*

Negarunt Pelagiani , docueruntque Adamum peccando ſibi ſoli nocuiſſe : morbos , mortem & concupiſcentiam non eſſe effectus peccati illius , ſed meros naturæ humanæ defectus. Poſtea tamen argumentis Catholicorum coacti ſunt confiteri mortem corporis ex Adamo trahi , non verò peccatum. Priorem Pelagianorum errorem 16. ſæculo amplexi ſunt Anabaptiſtæ & Sociniani , poſteriorem Zuingliani. Contra hos omnes extat definitio Concilii Tridentini , ſeſſ. 5. can. 2. his verbis : *Si quis Adæ prævaricationem ſibi ſoli , & non ejus propagini aſſeruit nocuiſſe . . . aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum , mortem & pœnas corporis tantùm in omne genus humanum infudiſſe , non autem & peccatum , quod eſt mors animæ , anathema ſit.* Quare ad propoſitam quæſtionem.

R. De fide eſt per Adæ prævaricationem omnes homines naſci peccato , morti & aliis miſeriis obnoxios : *In iniquitatibus conceptus ſum* , inquit Propheta Pſalm. 50. Job. 14. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine , nonne tu qui ſolus es ?* Quem locum ſic vertunt ſeptuagînta Interpretes , & ex iis Origenes hom. 12. in Levit. & alii ex antiquioribus Patribus. *Nemo mundus à ſorde , cujus eſt*

unius diei vita ſuper terram. Certè Textus ille non poteſt intelligi ad mentem Socinianorum de ſordibus corporeis, cùm homines illas emundare poſſint & ſoleant Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt:* ergo nec ipſi parvuli immunes ſunt à peccato, cùm obnoxii ſint morti, quæ per peccatum in omnes homines pertranſiit: ergo ubi dicit Apoſtolus, nempè v 19. *Per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi;* ex S. Auguſtino lib. 6. contra Julianum, cap. 24. *Ipſi ſunt multi, qui & omnes.*

Dices 1°. Ezech. 18. habetur, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur: filius non portabit iniquitatem Patris ſui:* ergo.

Nego conſeq. namque peccatum originale non eſt peccatum Adami, ſed ex Concilio Tridentino, ſeſſ. 5. can. 3. ineſt cuique proprium. Et ex ſancto Auguſtino, lib. 3. de pecc. mer. c. 8. *Imputat* (Deus) *non jam aliena, ſed propria, carnali generatione jam eorum ſunt, quibus nondum ſpirituali regeneratione dimiſſa ſunt.*

Dices 2°. Citato cap. 5. Rom. *Regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen, etiam in eos qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ:* ergo mortem dumtaxat, non peccatum ex Adamo trahimus.

Diſtinguo antecedens, cum S. Auguſtino lib. 6. contra Julianum, cap. 4. Qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ, hoc eſt, propriâ voluntate, ſicut Adamus ex deliberata ſua voluntate peccavit, concedo: qui non peccaverunt ſimpliciter, & voluntate Adami, quæ erat voluntas totius generis humani, nego antecedens; mors enim, quæ regnavit uſque ad Moyſen, eſt pœna juſta: atqui non eſſet juſta, niſi ſupponeret peccatum. Unde Apoſtolus expreſsè dicit eodem cap. 5. *Uſque ad legem peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur*, id eſt non agnoſcebatur; per legem enim cognitio peccati.

Dices 3°. S. Clemens Alexandrinus lib. 3. ſtromatum. S. Gregorius Nyſſenus oratione de infantibus, &c. S. Chryſoſtomus Hom. ad Neophytos, Theodoretus lib. 5. hæreticarum fabularum, docent infantes nullo inquinatos eſſe peccato: ergo.

R. Difficiles quidem eſſe textus præſertim ſancti Clementis, nec apertè ſolvi poſſe ſine longiori diſſertatione conſulenda, tom. 3. de pecc. c. 7. §. 1. Hîc autem breviter diſtinguo: nullo peccato inquinatos propriâ voluntate commiſſo, concedo: voluntate Adami, nego antecedens. *Manifeſtum*, inquit S. Chryſoſtomus, Hom. 10. in Epiſt. ad Rom. *Quoniam non ipſum peccatum, quod ex legis tranſgreſſione,* (Nota ſanctum Doctorem in objectione loqui de peccato perſonali,) *ſed illud peccatum, quod ex Adæ inobedientia, hoc erat quod omnia contaminavit.*

Q. 2°. *Quomodo traducitur peccatum originale?*

Sanctus Auguſtinus, lib. 5. contra Julianum, cap. 3. hæret. circa propoſitam quæſtionem: *Hîc libentiùs diſco quàm doceo*, inquit, *nec audeo docere quod neſcio;* additque Epiſtolâ 167. aliàs 29. ideo ſcripturam in hac parte obſcuriùs loqui quàm cùm agitur de exiſtentia peccati originalis, quia prius non eſt ita ad ſalutem neceſſarium ac poſterius; ſed ſcholæ tandem circa obſcuram hanc quæſtionem convenerunt, quibuſcum.

R. Traducitur peccatum originale per generationem & ſeminalem propagationem. Ita S. Thomas 1. Sec. q. 81. art. 4. *Peccatum originale*, inquit, *à primo parente traducitur in poſteros, in quantùm moventur ab ipſo per generationem ſicut membra moventur ab animâ ad peccatum actuale . . . nam ratio ſeminatis nihil aliud eſt quam vis activa in generatione. Si autem aliqua formaretur virtute divinâ ex carne humana*, (ſicut Adamus ex luto,) *manifeſtum eſt quòd vis activa non derivaretur ab Adam, unde non contraheret peccatum originale; ſicut nec actus manus pertineret ad peccatum humanum, ſi manus non moveretur à voluntate hominis, ſed ab aliquo extrinſece*

movente. Hinc Christus nec actu contraxit, nec debuit contrahere peccatum originale, quia non est conceptus virtute activâ & seminali Adami, sed de Spiritu sancto: nec Eva, si ex costa Adami post ejus peccatum formata fuisset, peccato originali fuisset inquinata, quia non extitisset in Adam secundùm rationem seminalem.

Neque propterea fingas cum Gregorio Ariminensi qualitatem quamdam morbidam, propter quam Adamus peccator generet peccatorem, sicut in semine leprosi est quædam realis corruptio, propter quam generat leprosum, quia omne peccatum, utpote voluntarium, sedem habet in voluntate: semen verò est solummodò instrumentum quo traducitur peccatum in Adami posteros, quemadmodum si Adamus stetisset in justitia originali, eam transmisisset semine tamquam instrumento.

Q. *Peccatum originale transmittiturne absque ullâ exceptione in omnes Adami posteros, viâ ordinariâ progenitos?*

R. Beata Virgo peccatum originale actu non contraxit. Hæc propositio, quamvis non sit de fide, *cùm nondum æterna sapientia*, inquit Gregorius XV. ad Regem Hispaniæ, *Ecclesiæ suæ tanti mysterii penetralia patefecerit*, est tamen fidei consona, ut declaravit Concilium Basileense, sess. 36. anno 1439. cui declarationi adhæsit Theologiæ Facultas Parisiensis, statuitque anno 1497. neminem deinceps è suo gremio ad Gradum Doctoralem promovendum, nisi priùs Sacramento solemni ad tenendam hanc doctrinam se obstrinxisset: id ipsum postea præstiterunt Academiæ Colonienſis & Moguntina in Germania, Salmanticensis, Toletana, & Complutensis in Hispania. Summi Pontifices Sixtus IV. Pius V. Paulus V. & Gregorius XV. huic sententiæ admodum faverunt; quin Pius V. & Paulus V. prohibuerunt sub pœna suspensionis, ne publicè, ubi promiscua virorum & mulierum multitudo convenire solet, sententia negans immaculatam beatæ Mariæ Virginis

Conceptionem propugnaretur, quod tamen permiſerunt in publicis Academiæ diſputationibus, ubi nulla videbatur ſubeſſe ſcandali occaſio. Sed cùm nihilominus inde pax turbaretur, Gregorius XV. ſub iiſdem pœnis prohibuit ne in Scholis & privatis colloquiis quiſquam auderet aſſerere beatam Virginem in peccato fuiſſe conceptam, *niſi*, inquit, *aliquibus fuerit ſpecialiter indultum.* Cavent autem omnes illi Pontifices, ne quis ex prædictis Bullis & Conſtitutionibus colligat contrariam ſententiam ab iis eſſe damnatam aut improbatam, ac ſpeciatim Gregorius XV. prohibuit ne in officio feſti Conceptionis addatur nomen adjectivum immaculatæ, aut aliud ſimile.

Dixi beatam Virginem actu non contraxiſſe peccatum originale, quia juxta communem Theologorum ſententiam, cùm eſſet in lumbis Adæ ſecundùm rationem ſeminalem, vi generationis ſuæ, peccato erat obnoxia, ſed à Chriſto Domino redempta eſt, quatenus anima ejus in primo ſuæ creationis inſtanti fuit ornata gratiâ ſanctificante, & ita à peccati macula liberata, quam quidem actu & de facto non incurrit, ſed quam incurriſſet, niſi gratiâ Dei per merita Chriſti fuiſſet preventa. Redempta eſt igitur, *Quemadmodum*, inquit S. Auguſtinus in Pſal. 85. *Si Medicus videat tibi imminentem agritudinem fore ex aliquo labore, & dicat, parce tibi, requieſce; rectè dicis Medico, liberaſti me ab agritudine, non in qua jam eras, ſed in qua futurus eras.*

CAPUT VI.

De natura & eſſentia peccati originalis.

Q. *IN quo conſiſtit formalis ratio peccati originalis?*
R. 1°. Cum S. Auguſtino, lib. de moribus Eccleſiæ, cap. 22. *Hoc peccato antiquo nihil eſt ad prædicandum notius*, (ſcilicet in Scripturis & traditione) *nihil ad intelligendum ſecretius.*

R. 1°. Lutherani & Calviniſtæ docent peccatum originale eſſe formaliter ipſam concupiſcentiam : *Videtur ergo*, inquit Calvinus lib. 3. Inſtitut. cap. 1. *peccatum originale hæreditaria naturæ noſtræ pravitas, & corruptio in omnes animæ partes diffuſa . . . . atque id eſt propriè quod à Paulo ſæpiùs peccatum nominatur.* Atque ex hoc falſo principio deducunt peccatum originale per baptiſmum non deleri, ſed tegi dumtaxat in prædeſtinatis, cùm in iis concupiſcentia remaneat, bona etiam juſtorum opera inficiens. Quam impietatem Concilium Tridentinum ſeſſ. 5. Can. 5. anathemate percuſſit : *Nihil enim damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto Jeſu*, Rom. 8. *Sanguis ejus emundat nos ab omni peccato*, Joan. 1.

Dices : Concupiſcentia, quæ remanet in baptiſatis, peccatum vocatur ab Apoſtolo, Rom. 7. v. 20. ergo.

Diſtinguo anteced. cum Patribus Tridentinis, laudato canone 5. peccatum metaphoricè, quia vel ex peccato eſt, ſicut idioma vocatur lingua, & ſcriptura manus, vel ad peccatum inclinat, ſicut Spiritus ſanctus dicitur poſtulare, quia nos poſtulare facit, concedo : eſt peccatum verè, propriè & formaliter, nego antecedens. *Si quis autem contrarium ſenſerit, anathema ſit*, inquiunt laudati Patres.

R. 3°. Peccatum originale formaliter conſiſtit in habituali averſione à Deo, hoc eſt, in privatione gratiæ ſanctificantis propter actualem prævaricationem Adæ, in quo omnes fuimus & peccavimus ; ita ut ipſa privatio gratiæ ſanctificantis ſit materiale peccati, & averſio à Deo formale, quia peccatum originale non eſt actuale, ſed habituale ; atqui peccatum habituale ex dictis eſt privatio gratiæ ſanctificantis cum relatione ad aliquem actum malum præcedentem, & moraliter remanentem, ratione cujus eſt voluntarium : ergo.

Ergo peccatum originale eſt mortale, cùm ſit habitualis averſio à Deo.

Caput VII.

CAPUT VII.

De Pœnis peccati originalis.

Q. 1°. *Quænam sunt pœnæ peccati originalis?*

R. Aliæ spectant corpus, aliæ animam; aliæ morta em hanc vitam, aliæ futuram.

Q. 2°. *Quæ sunt pœnæ corporis in hac vita?*

R. Mors, morbi, & aliæ miseriæ. Est de fide, sic enim definiit Concilium Tridentinum sess. 5. can. 1. præiverat Concilium Arausicanum II. can. 2. *Per unum hominem peccatum introivit in mundum, & per peccatum mors*, Rom. 5.

Q. 3°. *Quæ sunt pœnæ animæ in hac vita?*

Respondet sanctus Thomas primâ Secundæ q. 85. art. 3. per peccatum quatuor vulnera animæ fuisse inflicta, nempe ignorantiam in intellectu, malitiam in voluntate, quam sanctus Augustinus vocat difficultatem recti, infirmitatem in appetitu irascibili, & concupiscentiam in concupiscibili.

Q. 4°. *Homo estne vulneratus in naturalibus?*

R. Cum glossa, quæ venerabili Bedæ tribuitur, homo spoliatus est gratuitis, & vulneratus naturalibus. Et ratio est quia; si homo sine peccato in puris naturalibus conditus esset, eam intelligentiam haberet unde seipsum posset excolere, in virtute proficere, & ultimum finem adipisci; repugnat enim sapientiæ divinæ negare creaturæ innocenti media sine quibus finem, ad quem illam ordinavit, consequi non posset: atqui homo in statu naturæ corruptæ adeo depravatus est in mente & in affectibus, ut propriis viribus finem etiam naturalem assequi non possit. *Quidam tanta sunt fatuitatis*, inquit S. Augustinus epist. 169. aliàs 28. *ut non multùm à pecoribus differant.* Ipsimet Philosophi Gentiles, ut refert idem S. Doctor, ex tanta naturæ humanæ depravatione collegerunt præcessisse aliquod peccatum, ad quod esset referenda.

Q. 5°. *Quanam est pœna peccati originalis in altera vita?*

R. De fide est parvulos sine Baptismo decedentes privari vitâ æternâ; ita definierunt Concilium Florentinum sess. ultimâ, & Concilium Tridentinum sess. 5. can. 4. Scriptum est enim Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei.*

Q. 6°. *Parvuli sine Baptismo defuncti fruunturne aliquâ beatitudine naturali?*

Affirmarunt Catharinus, Pighius, quibus se adjunxit Cardinalis Sfondratus, contendentes hujusmodi parvulos post judicium universale habitaturos super faciem terræ, tanquam in Paradiso terrestri, plenos sapientiâ & virtutibus moralibus, identidemque fruituros consortio Angelorum. Sed communiter rejicitur hæc sententia, utpote quæ accedat ad hæresim Pelagianorum. Quare.

R. Fictitia est beatitudo illa naturalis, pugnatque contra Ecclesiæ traditionem: *Non baptizatis parvulis*, inquit S. Augustinus lib. 1. de Origine animæ cap. 9. *nemo promittat inter damnationem regnumque Cœlorum, quietis vel felicitatis cujuslibet, atque ubilibet medium locum: hoc enim est hæresis Pelagiana.* Et Concilium Florentinum citato loco declarat: *Illorum animas quæ cum actuali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas*, si aliquibus pœnis sunt puniendæ: ergo tristitiâ saltem afficiuntur ob privationem visionis beatificæ.

Q. 7°. *Parvuli qui nondum regenerati decedunt, afficiunturne pœnâ ignis?*

R. Non una est Catholicorum sententia.

Affirmant 1°. S. Augustinus pluribus in locis, ac præsertim serm. 294. cap. 3. & 4. *Nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes; alii erunt ad dexteram, alii ad sinistram, non novi aliud... Ecce exposui tibi quid sit regnum, & quid sit ignis æternus, ut quando confiteris parvulum non futurum*

in regno, fatearis futurum in igne æterno. 2°. S. Fulgentius lib. de Fide ad Petrum, cap. 27. 3°. Episcopi in Sardinia relegati ex eodem S. Fulgentio lib. de Incarnatione & Gratia, cap. 14. & 30. 4°. S. Gregorius lib. 9. Moral. cap. 12. *Perpetua*, inquit, *tormenta percipiunt, qui nihil ex propria voluntate peccaverunt.*

Sanctus tamen Augustinus lib. 5. contra Julianum, cap. 11. lenit suam sententiam, fatetutque se esse ancipitem circa pœnas ejusmodi parvulorum, ac tandem concludit: *Quis dubitaverit parvulos non baptizatos in damnatione omnium levissima futuros? Qua, qualis, & quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quòd eis, ut nulli essent, quàm ut ibi essent, potiùs expediret.* Atqui, inquam ego, dicendum videretur melius eis fuisse non nasci, si ignis per totam æternitatem in eos sæviret, quemadmodum hîc sævit in corpora eorum qui flammis pereunt.

Negant verò parvulos non baptizatos igne torqueri, 1°. sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 4. in sanctum Baptisma; 2°. S. Gregorius Nyssenus orat. 1. de Infantibus; 3°. Sanctus Thomas quæst. 1. de Malo, art. 2. Ejusdem sunt sententiæ sanctus Bonaventura, Scotus in secundum.

Cæterùm monendi sunt Clerici in Catechesibus primam sententiam non esse exponendam tanquam fidei dogma; experientiâ quippè constat fideles ægrè admodum audire parvulos sine Baptismo decedentes, mitti in ignem æternum, & propter ejusmodi sermones scandala interdum oriri in Ecclesia, sine causâ tamen, parvuli quippe, pro opinionum diversitate, nec melius, nec pejus habebunt.

Nihilominus poterunt, datâ occasione, prudenter uti priore opinione adversùs matres, quæ ex negligentia, vel alio quovis modo, fœtus in utero suffocant, aut præmaturè effundunt: posteriore verò, utpote benigniore, lenire dolorem earum quæ acerbiùs lugent filios suos sine gratia Christi decessisse.

Caput VIII.

De causâ efficiente peccati.

Q. 1°. *Quænam est causa efficiens peccati?*

R. Propriè & directè sola voluntas; Matth. 15. v. 19. *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, &c. hæc sunt, quæ coinquinant hominem.* Et S. Augustinus lib. 2. de Civit. Dei, cap. 6. *Mala voluntas efficiens est operis mali; mala autem voluntatis efficiens est nihil.* Et cap. 7. *Nemo quærat causam malæ voluntatis; non enim est efficiens, sed deficiens.*

Dixi, *propriè & directè*, nam multa voluntatem ad peccatum impellunt, ut caro, mundus, & Dæmones; & ideò occasionaliter & impropriè dici possunt causa efficiens peccati.

TRACTATUS DE REGULA MORUM.

Caput unicum.

De ejus necessitate & existentia.

Q. 1°. *Estne necessaria aliqua morum regula?*

R. Affirmativè, quia facultas, quæ deficere potest, ut manus pictoris pingendo, indiget regulis, v. g. artis Pictoriæ, per quas certò & infallibiliter dirigatur; atqui voluntas humana

ex qua procedunt actus humani & morales, deficere potest : ergo.

Q. 2°. *Quænam est regula actuum humanorum ?*

R. Duplex statuitur, interior scilicet & exterior : interior est conscientia, exterior verò lex.

Q. 3°. *Quare conscientia non est unica actuum humanorum regula ?*

R. Quia cùm possit errare & à vero deficere, ut patebit ex dicendis, lege debet dirigi.

Ergo temerè agunt qui sine notitia legis, ex propria conscientia seu cerebro decernunt quid hîc & nunc ipsis & aliis sit agendum.

Ergo actus humanus non est moraliter bonus, nisi dirigatur conscientiâ simul & lege ; sed est simpliciter malus, si alterutrum desit. *Duobus modis aliquis ad peccatum obligatur*, inquit S. Thomas, quodlib. 8. qu. 6. art. 3. *Uno modo faciendo contra legem, ut cùm aliquis fornicatur ; alio modo faciendo contra conscientiam, etsi non sit contra legem, ut si conscientia dictat alicui quòd levare festucam de terra sit peccatum mortale.*

Q. 4°. *Quare actus humanus legi conformis, sed conscientiæ repugnans, est malus ?*

R. Quia hominis natura, utpote rationalis, exigit ut omnes ejus actiones rationabiliter fiant, hoc est, ratione regantur ; *Rationabile obsequium vestrum*, inquit Apostolus, Rom. 12.

DE CONSCIENTIA.

Caput I.

De notione conscientiæ.

Q. 1°. *Quid est conscientia ?*

R. Est judicium actuale practicum dictans, quid in particulari sit faciendum aut omittendum.

Dicitur 1°. *Judicium*, quo significatur conscientiam esse actum elicitum ab intellectu; sed plerùmque imperatur è voluntate, quæ, prout est bene vel male affecta, efficit bonam vel malam conscientiam. Unde in peccatoribus mala est conscientia, quia prava eorum voluntas pervertit judicium practicum: nulla est apud eos vera prudentia, nec in agendis consilium ab eis quærendum.

Dicitur 2°. *Actuale*, quia conscientia neque est potentia, neque habitus, sicut prudentia, sed actus.

Dicitur 3°. *Dictans*; quia conscientiæ est dirigere actus humanos.

Dicitur 4°. *Quid in particulari sit faciendum aut omittendum*, ut distinguatur, tum à synderesi, tum à prudentia universali; synderesis enim est habitus mentis nobis naturaliter inditus, qui versatur circa prima principia practica, v. g. *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*. Prudentia verò universalis est habitus, sive acquisitus, sive infusus, qui ex illo primo principio, quod à nemine ignorari potest, deducit conclusiones universales, v. g. non debemus alteri facere quod nobis fieri nolumus: atqui nolumus rem nostram subripi; ergo non debemus rem proximi subripere. Ex hac autem universali conclusione conscientia subsumit: atqui hæc pecunia usuraria est res aliena; ergo non licet mihi eam accipere.

Ergo conscientia est ultimus prudentiæ particularis actus, & veluti ejus conclusio. *Conscientia*, inquit sanctus Antonius, *est concludens scientia*.

Ergo conscientia, ut sit recta, necessariò præsupponit præmissas veras & notas, namque vera & certa non potest esse conclusio nisi eliciatur ex propositionibus veris & notis; ac proinde ex temeraria conscientia concludunt hoc aut illud hîc & nunc esse faciendum, qui nullam habent firmam rationem aut certam auctoritatem, ex qua ejusmodi conclusionem eliciant.

Q. 1°. *Quare conscientia plerùmque vocatur fides*, ut Rom. 14. v. 2. *damnatus est, quia non ex fide*,

hoc est, ex conscientia; *omne autem quod non ex fide, peccatum est?*

R. Quia conscientia non habet scientiæ strictè sumptæ certitudinem & evidentiam, sed ut plurimùm nititur fide, sive divinâ, sive humanâ, ac proindè non immeritò quis dicitur agere bonâ aut malâ fide, quando agit ex bona aut mala conscientia.

Caput II.

De divisione conscientiæ.

Q. 1°. *Quomodo dividitur conscientia?*

R. 1°. Generatim & adæquatè dividitur in bonam & malam. Gravis autem est difficultas, ac præ cæteris accuratiùs examinanda, quæ conscientia dici mereatur bona, nusquam enim in moralibus periculosiùs erratur, quàm in definienda bona conscientia, testante Clero Gallicano anno 1700. *Hoc initium malorum esse, atque omnium corruptelarum caput, & doctrinæ consecutio & series temporum ostendit.* Atque ut in re tam lubrica securè procedamus, operæ pretium est referre figillatim singulas conscientiæ divisiones, & varias ejus species; tumque licebit de unaquaque judicium ferre. Itaque.

R. 2°. Conscientia specialiùs dividitur 1°. in veram seu rectam, & falsam seu erroneam; & hæc vel invincibiliter est erronea, vel vincibiliter. 2°. In certam & in incertam.

Conscientia est certa, quando mens judicat practicè nullum esse errandi periculum: incerta verò, quando oppositum judicat. Potest autem quis vel prudenter vel imprudenter esse certus: prudenter quidem, quando nulla est vera ratio erroris suspicandi; imprudenter verò, quando ejus certitudo oritur vel ex crassa ignorantia, vel ex cupiditate excæcante, juxtà illud Sapientiæ 2. *Excæcavit eos malitia eorum*, vel ex fallaciis Dæmonis, qui ex Apostolo 2. Cor. 5. *Excæcavit mentes infidelium.*

conſcientia dicitur cæca & erronea, eſtque in pluribus cauſa impœnitentiæ finalis & damnationis æternæ. *Error conſcientiæ non habet vim excuſandi*, inquit ſanctus Thomas quodlib. 8. q. 6. art. 5. *quando ipſe error peccatum eſt, ut cùm procedit ex ignorantia ejus, quod quis ſcire tenetur & poteſt.* Ergo fruſtra quis objicit bonam fidem in facto, quod diſcit poſtea eſſe, v. g. ſimoniacum, niſi ejus ignorantia ſit eorum quæ nec ſcire potuit, nec debuit; alioquin ejus fides mala cenſenda eſt.

Q. *Quotuplex certitudo competere poteſt conſcientiæ?*

Nota triplicem eſſe certitudinem, ſcilicet metaphyſicam, phyſicam, & moralem.

Metaphyſica habetur certitudo, quando res quæ concipitur non poteſt aliter ſe habere, nequidem divinitùs, ut mons ſine valle, homo ſine rationalitate, Deus ſine bonitate: hæc enim ſunt contradictoria.

Phyſica, cùm cognitio eſt rei quæ naturaliter & ſecundùm ordinem à Deo inſtitutum alio modo ſe habere nequit, quamvis ſupernaturaliter poſſit: ſic certi ſumus ſtupam in ignem conjectam brevi conſumendam, licèt per miraculum poſſit conſervari.

Moralis adeſt certitudo, quando ſpectatis circumſtantiis, ratio dictat non eſſe timendum ne res aliter ſe habeat, quamvis naturaliter & abſque miraculo aliter poſſit contingere, imò ſic aliquando contigerit: ſic cum morali certitudine quis ambulat per plateas tranquillo aëre, vel cum fratre, quem benevolum expertus eſt, ſolus egreditur in campum, licèt è tectis tegulæ in caput ejus decidere naturaliter poſſint, ut aliquando contingit, aut frater in ipſum inſurgere, quemadmodum Caïn in Abelem; nam imprudens & ridiculus videretur, ſi timore incurrendæ mortis in hujuſmodi circumſtantiis domi ſe contineret. Cum eadem certitudine judex credit duobus teſtibus conſentientibus, plebs docenti Parocho; nec niſi imprudenter fidem denegarent, eo prætextu quòd duo teſtes & Parochus fallere poſſint, & aliquando deceperint; hæc enim

ratiora & remotiora ſunt quàm ut timeri debeant. His prænotatis.

R. Certitudo conſcientiæ non eſt metaphyſica, nec phyſica, ſed moralis tantùm. Hoc agnovit Ariſtoteles lib. 21. Metaph. *Certitudinem metaphyſicam*, inquit, *non oportet in cunctis quærere, ſed in his quæ non habent materiam.* Et S. Thomas 2. Sec. q. 70. art. 2. *In actibus humanis non poteſt haberi certitudo demonſtrativa, eò quòd ſunt circa contingentia & variabilia; & ideo ſufficit probabilis certitudo, quæ ut in pluribus veritatem attingat, etſi in paucioribus à veritate deficiat.* Eadem docet S. Antonius 2. part. tit. 3. cap. 20. parag. 34. Cùm autem certitudo moralis poſſit eſſe major vel minor, conſcientia certa ſubdividitur in tutam & tutiorem.

Q 3° *Quotuplex eſt conſcientia incerta?*

R. Quadruplex, ſcilicet dubia, perplexa, ſcrupuloſa, & probabilis.

Dubia eſt conſcientia, quando mens inter rationes æqualis ponderis manet ſuſpenſa & quaſi in æquilibrio, ut ſi ex duobus teſtibus æquali fide dignis alter affirmet, alter neget, hæret mens judicis, nec in unam partem magis quàm in aliam inclinare poteſt.

Perplexa conſcientia eſt intellectûs practici judicium dictans ſubeſſe peccatum, quamcumque agens amplectatur partem, v. g. ſive mentiatur ad impediendum homicidium injuſtum, ſive aperiat veritatem, ex qua ſequetur ejuſmodi homicidium. Sed prudentia dictat in hac hypotheſi minùs malum eſſe eligendum, & ita nunquam poteſt quis eſſe in vera peccandi neceſſitate.

Scrupuloſa conſcientia eſt intellectûs practici judicium, quo aliquid frivolis rationibus eſſe bonum aut malum æſtimatur, adeoque trepidatur timore in agendo, ubi non eſt timor.

Probabilis conſcientia ſeu opinio eſt mentis aſſenſûs cum formidine oppoſiti. *Opinio*, inquit S. Bernardus lib. 5. de Conſideratione, c. 3. *certi nihil habens; verum per ſimilia quærit potiùs quàm apprehendit.*

Q. 4°. *Quotuplex est conscientia seu opinio probabilis ?*

R. Duplex ; alia fulcitur ratione, alia auctoritate sapientiorum : prima dicitur probabilis probabilitate intrinsecâ ; secunda probabilis probabilitate extrinsecâ.

Q. 5°. *Quotuplici modo spectari potest opinio probabilis probabilitate sive intrinsecâ, sive extrinsecâ ?*

R. Duplici, 1°. absolutè, quomodo rusticus probabiliter judicat hunc contractum, putà societatis, esse licitum, quia ejus Parochus vel Confessarius illum approbavit. 2°. Comparatè cum alia oppositâ, ut si idem rusticus postea audiret à Concionatore fide digno ejusmodi contractum esse illicitum & usurarium.

Q. 6°. *Quid observandum in concursu probabilium opinionum oppositarum ?*

R Observandum utrum illæ propositiones sint æquè probabiles, aut altera ex illis sit minùs vel magis probabilis. Si sint æquè probabiles, conscientia efficitur, aut saltem effici debet dubia, quia mens propter æqualia rationis vel auctoritatis pondera, non magis in unam inclinat partem quàm in aliam. Si opposita opinio sit minùs probabilis, conscientia in illo concursu non solùm est dubia, sed, nisi impediatur pravo voluntatis affectu, judicabit opinionem minùs probabilem probabiliùs esse falsam.

Dixi, *nisi conscientia impediatur pravo voluntatis affectu*, quia hujusmodi affectus judicium præcipitat, nec sinit mentem attendere nisi leviter & superficie tenùs, ad ea quæ dubium ingerere, & voluntatis impetum cohibere deberent ; quod quàm timendum sit, monet Clerus Gallicanus anno 1700. hisce graviſſimis verbis : *Neque quisquam in dubio salutis ad actum prosiliat, nisi ipso dubio* NON AD NUTUM VOLUNTATIS, AUT EX CUPIDITATIS INSTINCTU, *sed ex recta ratione deposito, dicente Scripturâ* : Rationabile obsequium vestrum, Rom. 12.

Omnia probate, quod bonum est, tenete, 1. Thess. 5.

Q. 7°. *Conscientia qua fulcitur opinione probabiliori, estne certa?*

R. Distinguendum est; vel enim vis argumenti quo nititur opinio minùs probabilis, stat cum altera probabiliore, vel prorsùs exploditur. Si primum, conscientia non est certa, quia opposita opinio, quamvis minùs probabilis, verisimilitudine non caret, quæ prudenti injicere debet errandi formidinem. Judex, v. g. non potest certò judicare testem fide digniorem vera dicere, quandiù alterum contradicentem non potest falsi arguere: si secundum, hoc est, si opinio probabilior explodit momenta oppositæ minùs probabilis, efficaciterque ostendit non esse verisimilia, efficit conscientiam certam saltem moraliter. Expositis variis conscientiæ speciebus, superest ut definiamus quæ conscientia sit bona, statuique possit pro regula morum.

Caput III.

De bona, malave conscientia.

CErtum est 1°. ex dictis capite præcedenti, malam esse conscientiam vincibiliter erroneam, id est, quæ procedit ex ignorantia eorum quæ quis scire potest & debet.

Certum est 2°. ad bonam conscientiam non requiri omnimodam certitudinem, nempè metaphysicam aut physicam. *Absit verò*, inquit Clerus Gallicanus anno 1700. *ut probemus eorum errorem, qui negant licere sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam*; quem errorem Alexander VIII. proscripsit anno 1690. sed gravis est controversia an certitudo moralis necessaria sit ad bonam conscientiam. Itaque.

Q. 1°. *Quid sentiendum est de conscientia dubia?*

R. Mala est, nec eâ innitendum, sed suspendendus consensus, donec efficax ratio aut indubitata

auctoritas dubium dispulerit, quia *qui amat periculum, in illo peribit*, Eccli. 3. v. 21. *Graviter peccaret in rebus ad salutem animæ pertinentibus*, inquit S. Augustinus lib. 1. de Bapt. cap. 3. *vel eo solo quòd certis incerta præponeret.* Cap. *Juvenis*, tit. *de Sponsalibus*: *In his quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus.* Generale quoque Concilium Viennense, cap. *Exivi*, de verb. signif *In his quæ salutem animæ respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientiæ, pars securior est tenenda.* Addit Clerus Gallicanus anno 1700. *neque id consilii, sed præcepti loco habemus.*

Ergo ex mala conscientia agit & peccat qui in concursu oppositarum opinionum æquè probabilium quamlibet eligit & ex ea operatur, quia agit ex conscientia dubia. *Beatus Thomas & alii*, inquit sanctus Antonius, 3. parte, tit. 3. cap 10. parag. 10. *dicunt quòd ille qui agit id de quo est dubium, utrùm sit mortale vel non, peccat mortaliter, quia periculo se exponit mortalis. Cùm ergo in aliqua materia mortali sunt variæ & contrariæ opiniones, ille qui adhæret latiori viæ, videtur se exponere periculo mortis, quia est in dubio: cùm possit illa opinio esse falsa, & contraria vera.* Notent qui plures consulunt, donec acceperint consilium quod cupiditati eorum faveat.

Ergo à fortiori peccat & agit ex mala conscientia qui in praxi sequitur opinionem minùs probabilem, quia opinio minùs probabilis, cum probabiliore collata, est verisimiliùs falsa: quis autem imprudentissimum ac stultissimum non dixerit, qui poculum haurit, quod probabilius creditur veneno infectum.

Q. 2°. *Quæ igitur conscientia censenda est bona & recta?*

R. Ea sola & omnis quæ est moraliter certa; namque ex dictis conscientia dubia & incerta est mala: ergo non potest esse bona & recta, nisi sit certa saltem moraliter. Dico moraliter, quia ut

obſervavimus, in praxi non poteſt haberi certitudo metaphyſica nec phyſica.

Dices 1°. Eſt regula juris, in dubiis melior eſt conditio poſſidentis, & benignior ſententia eſt eligenda; atqui privatus quiſque eſt in poſſeſſione ſuæ libertatis: ergo in concurſu oppoſitarum opinionum benigniorem licitè eligit.

R. 1°. Diſtinguendo majorem, eſt regula juris in materia juſtitiæ, concedo; in qualibet materia, nego majorem, obſtant enim ſupra laudatæ regulæ: *In iis quæ dubia ſunt, quod certius exiſtimamus, tenere debemus.* Item. *In iis quæ ſalutem animæ reſpiciunt, pars ſecurior eſt tenenda.* Ideò autem in materia juſtitiæ melior eſt conditio poſſidentis, quia quando eſt dubium num res aliqua pertineat ad Petrum vel ad Paulum, Paulus in illa controverſia non poteſt illam auferre à Petro, qui illam poſſidet, nec Petrus tenetur eâ ſe ſpoliare, cui enim eam reſtitueret: Poteſt ergo eam ſibi retinere, maximè cùm præſumatur eam juſto titulo poſſidere, quandiu contrarium evinci non poteſt.

R. 2°. Negando minorem. Imò ſtat poſſeſſio. 1°. Pro lege naturali & divina; Deo quippè, ſemper obligata fuit noſtra libertas, cùm ab illo eſſentialiter dependeat: ergo in dubio juris naturalis & divini nefas eſt contra Deum litigare & libertati humanæ favere. 2°. Stat quoque poſſeſſio pro lege humana; homo enim naturaliter eſt animal ſociabile; ſocietas autem conſiſtere nequit ſine aliquo Duce & Præſide: naſcimur ergo cives & ſubditi Reipublicæ.

Fatendum tamen eſt in hypotheſi quòd lex humana ſit obſcura, nec de ejus ſenſu conſtet apud peritiores, liberum & tutum eſſe in conſcientiâ amplecti alterutram ex oppoſitis opinionibus, quia præſcribitur adversùs legem humanam, præſumiturque Legiſlator conſentire in oppoſitas legis ſuæ interpretationes.

Dices 2°. Ex laudatis regulis, in dubiis certior & ſecurior pars eſt eligenda: ergo ad bonam &

rectam conſcientiam ſatis non eſt ut ſit moraliter certa, ſed debet eſſe certior & ſecurior.

Diſtinguo antec. eligenda eſt pars certior & ſecurior; ſecurior, inquam, ſecundùm communem uſum loquendi, concedo; ſecurior ſecundùm Grammaticæ leges, nego anteced. Itaque juxta communem loquendi morem dicimus aliquid eſſe certius & tutius comparatè ad incertum & periculoſum: v. g. tutius eſt terrâ proficiſci quàm periculoſæ navigationi ſe committere, ubi tutius non opponitur tuto, quemadmodum apud Grammaticos, apud quos tutius ſumitur comparatè ad tutum, ſed opponitur incerto & periculoſo: porrò perſpicuum eſt legenti in laudatis regulis certius & ſecurius accipi, prout opponuntur incerto & dubio.

Dices 3°. cum Guimenio: poteſt quis opinionem amplecti, licèt à principiis intrinſecis falſam & improbabilem exiſtimet quam Doctorum turba docet in praxi eſſe tutam & certam: atqui viginti & ſupra Doctores id ipſum teſtantur: ergo.

Nego majorem: *Hoc enim novum, hoc inauditum, hoc poſtremo demum ſæculo proditum, & pro regula morum poſitum repugnat huic effato à Patribus celebrato*, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus; *nec habere poteſt chriſtiana regula ſecuritatem*, inquit Clerus Gallicanus, de opinionum probabilium uſu, anno 1700. qui ibidem hanc nobis tradit regulam, *ut in rebus theologicis ad fidei & morum dogmata ſpectantibus, Theologos quidem etiam modernos audiamus, ſi tamen conſonas ſanctis Patribus tradant ſententias: ſi autem ab eis recedant, harum opinionum inhibeatur curſus, nedum earum aliqua ratio habeatur, aut ulla eis tribuatur auctoritas.*

Q. 3°. *Conſcientia poteſtne eſſe ſpeculativè dubia & in praxi certa ac tuta?*

R. Diſtinguendum eſt. Si ex quibuſdam circumſtantiis concurrat ratio practica & quidem certa, poterit ex ea deduci concluſio ſeu conſcientia in praxi certa ac tuta, manente dubio ſpeculativo:

ſecùs, ſi non interveniat ejuſmodi indubitata ratio. Reſponſio elucidatur exemplo. Tonſor qui ſpeculativè dubitat an radere barbas ſit opus ſervile die feſto prohibitum, non poteſt certò concludere ſibi licere eodem die radere, niſi ipſi præſto ſit alia ratio certa in praxi, nempe legem eccleſiaſticam non obligare cum magno familiæ diſpendio: quòd evidenter pateretur, ſi, clausâ ejus officinâ, omnes confluerent ad alios tonſores, qui palàm & publicè radunt feſtis diebus, nemine prohibente; ex qua ratione certa conſcientiam format moraliter certam in praxi ſibi licitum eſſe radere die feſto, quamvis ſpeculativè dubitet num opus illud ſit ſervile & ab Eccleſia prohibitum: ſic mulier ſpeculativè eſt dubia de veritate matrimonii bonâ fide initi, nec dubium illud poteſt diſplicere quâcumque diligentiâ adhibitâ; poteſt tamen practicè eſſe certa teneri ſe meritò exigenti debitum reddere; quia occurrit ipſi alia certa ratio, ſcilicet neminem in dubio privandum eſſe jure ſuo.

Ergo in praxi periculoſum eſt ſtatuere ſimpliciter & abſolutè conſcientiam poſſe eſſe practicè certam ſimul & ſpeculativè dubiam; quia facilè quis in quolibet dubio ad nutum voluntatis ſibi formaret conſcientiam, omnes dubitandi rationes abjiceret, certumque ſe in operatione crederet, eo ipſo quo vellet eſſe certus.

DE LEGE.

Caput I.

De notione Legis.

Q. 1°. *Quid eſt Lex?*

R. Definitur, rationis ordinatio ſtabilis ad bonum publicum promulgata ab eo qui curam habet communitatis cum intentione obligandi ſubditos.

Dicitur 1°. *Rationis ordinatio*, quia lex est actus prudentiæ, quo Legislator membra Reipublicæ inter se componit & mediis aptis dirigit ad suum ultimum finem. Unde 1. Ethic. c. 9. lex dicitur : *Sermo ab aliqua prudentia & mente profectus.*

Dicitur 2°. *Stabilis*, hoc est, non ad tempus, sed in perpetuum duratura, nisi abrogetur : quo differt lex à mandato vel præcepto, quod non est ita firmum & stabile, quia non solet dirigi nisi ad privatas personas aut familiam, quæ successu temporis extinguitur : lex verò imponitur toti communitati, quæ numquam interit.

Ergo lex ligat non solùm præsentes, sed & eorum successores, non verò præceptum aut mandatum.

Ergo, defuncto Episcopo, statuta ejus obligant quandiù non revocantur à successore : secùs sentiendum de ejus mandatis quæ non sunt lata per modum legis aut statuti.

Dicitur 3°. *Ad bonum publicum*, quia potestas legislativa est à Deo, Rom. 13. v. 1. & Principibus sive Ecclesiasticis, sive Politicis concessa, non in eorum privatam utilitatem, sicut potestas dominativa domini in servum & rem domesticam, sed in totius Reipublicæ ædificationem, 2. Cor. 10. v. 8. turpe enim est totum ad partem referri, cùm pars naturaliter ordinetur ad totum. Unde 4. Ethic. cap. 1. Leges ad Rempublicam sunt accommodandæ, non Respublica ad leges.

Ergo vera lex non est nec ligat subditos, quæ contraria est juri vel naturali, vel divino.

Dices : hæc definitionis particula subditorum inobedientiam fovet, & ad seditionem inducit ; familiare quippè est subditis conqueri se gravari legibus iniquis & superfluis : ergo.

Nego antec namque 1°. non ex vulgi opinione, sed ex Sapientum judicio æquitas legum pensanda est. 2°. In dubio sitne lex justa an injusta, utilis an superflua, præsumptio debet esse pro legislatore ; quia, ut jam dictum est, in dubiis melior est conditio possidentis : atqui legislator est in possessione regendi

ſubditos : ergo in hoc dubio non eſt ei deneganda obedientia, maximè cùm ſubditi motiva & rationes ignorent, propter quas leges feruntur. 3°. Quamvis leges nonnumquam habeant aliquid iniqui reſpectu unius aut alterius privati, juſtæ nihilominus cenſendæ ſunt, cùm toti communitati expediant : ſi enim medicus laudatur, dum ſecundùm ſuæ artis regulas membrum alioquin ſanum cauterio inurit ut totius corporis ſaluti conſulat ; quidni & legiſlator, qui lege ſuâ nonnullos gravat ex neceſſitate procurandi boni publici.

Inſtas, ceſſante fine legis, ipſa quoque lex ceſſare dicitur : ergo privatus non tenetur parere legi, quando eſt ipſi inutilis.

Diſtinguo antec. ceſſante fine legis univerſaliter & reſpectu totius communitatis, concedo ; ceſſante dumtaxat reſpectu quorumdam, nego antecedens. Unde clericus qui contra ſtatutum Diœceſeos manducat in taberna ſub eo prætextu quòd tabernarius ſit amicus, ſervetque temperantiæ & honeſtatis leges, nec proindè finis ſtatuti in ipſum cadat, nihilominus peccat, quia finis ejuſdem ſtatuti in totâ Diœceſi ſubſiſtit, rectuſque ordo poſtulat ut pars toti cohæreat.

Dicitur 4°. *Promulgata*, id eſt, enunciata & intimata ; regula enim morum innoteſcere debet : innoteſcit autem per promulgationem.

Ergo etiamſi ante promulgationem didicerint ſubditi quid Princeps decreverit, illud tamen decretum non habet rationem legis & regulæ obſervandæ. Ad promulgationem autem neceſſe non eſt ut lex ſingulis perſonis intimetur, ex C. *Ad hæc*, de Prælatorum poſtulatione.

Ergo poſt promulgationem ſubditi tenentur diligentiam adhibere ut diſcant quid lex ferat, peccantque ſi ex ignorantiâ vincibili illam tranſgrediantur.

Dicitur 5°. *Ab eo qui curam habet communitatis* ; quibus verbis duo deſignantur in legiſlatore neceſſaria ; primum ut ſit ſuperior, quia omnis lex eſt

præceptum, quamvis non omne præceptum habeat rationem legis, ut jam obſervavimus: atqui ſolus ſuperior præcipere poteſt; ergo. Secundum, ut juriſdictionem exteriorem habeat, hoc eſt ut præſit communitati perfectæ, v. g. Regno, Diœceſi. Quinam autem cenſeantur ſubditi, an & quomodò advenæ & peregrini, conſule Tom de Legibus.

Dicitur 6°. *Cum intentione obligandi*, ut diſtinguatur lex à conſilio, quod dari poteſt æqualibus ac ſuperioribus, nec per ſe inducit obligationem: lex verò cùm præceptum contineat, non imponitur, niſi inferioribus & ſubditis.

Q. 2°. *Omnis lex obligatne in conſcientia & ſub peccato?*

R. Obligat etiam aliquando ſub peccato mortali; de lege naturali & divinâ nulla poteſt eſſe difficultas, cùm tranſgreſſio illius ſit vera Dei offenſa, pugnetque contra ejus voluntatem; nam ex Tertulliano, lib. 1. contra Marcionem, cap. 26. *Deus neceſſariò offenditur facto quod non vult fieri, cùm offenſa ſit comes fruſtrata voluntatis.* De lege autem humana, ſive eccleſiaſticâ, ſive civili, conſtat ex Apoſtolo Rom. 13. *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit; qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.*

Q. 3°. *Unde colligitur legem obligare ſub mortali peccato?*

R. Ex materiæ gravitate; nam vis & efficacia legis pendet à voluntate legiſlatoris, quæ ut ſupponitur recta, longè magis expetit ſervari ea quæ ſunt graviora, ac proinde magis oſtenditur, ſi ea negligi contingat.

Ergo tranſgredi legem in re levi, levis eſt etiam culpa, niſi adſit formalis contemptus; nam ex S. Bernardo, lib. de præcep. & diſp. cap. 8. *Ubique culpabilis neglectus, & contemptus damnabilis;* quia qui contemnit, adversùs ſuperiorem ſe erigit, auctoritatemque ejus deprimit. *Porrò ejuſmodi elatio,*

inquit S. Bernardus citato loco, *in minimis mandatis culpam facit non minimam, & convertit in crimen gravis rebellionis nævum satis levem simplicis transgressionis; non est enim idipsum nolle obedire, & non obedire. Hoc quippè interdum erroris est, nonnumquam & infirmitatis: illud verò aut odiosæ pertinaciæ, aut contumaciæ non ferendæ.*

Dices: dantur leges pœnales quæ non obligant sub culpa, sed solùm sub pœna: ergo.

Nego antecedens, quia omnis pœna, si justa sit, supponit necessariò culpam, nisi constet voluntatem legislatoris non esse obligare sub peccato: unde autem constare possit, consule tom. 3. de legibus, ubi plura de lege pœnali.

Q. 4°. *Acceptatio legis estne necessaria, ut vim habeat obligandi.*

R. Minimè, quia si leges vim & efficaciam acciperent à subditorum consensu, potestas legislativa minùs penès esset superiorem quàm penès subditos: undè meritò Alexander VII. & Clerus Gallicanus anno 1700. damnarunt hanc propositionem, ut scandalosam, seditiosam, & apostolicæ doctrinæ contrariam: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.*

Ergo peccant qui sine justa causa legi promulgatæ primi contradicunt, resistunt enim potestati obedientiam exigenti.

Dixi, *qui primi contradicunt*, 1°. Quia licet cum debita reverentia Principi exponere si quæ prævideantur ex lege incommoda secutura, & interim executionem differre. 2°. Quia cùm superior legi à se latæ non insistit propter subditorum resistentiam, præsumitur acquiescere, ut lex effectu careat; cùm enim lex feratur in bonum publicum, optimi Principis est obligationem relaxare, quando videt legem à se latam turbare pacem, & vergere in boni publici detrimentum.

Caput II.

De divisione Legis.

Q. 1°. *Quotuplex est Lex?*

R. Generatim dividitur in æternam, naturalem & positivam.

Q. 2°. *Quid est Lex æterna?*

R. Est summa ratio, secundùm quam Deus cuncta regit & gubernat, diciturque à sancto Bernardo lex Dei, quam tanquam regulam divina ejus prudentia sequitur in actuali rerum gubernatione.

Ergo, cùm nemini liceat ignorare Dei existentiam & providentiam, notum quoque omnibus esse debet legem æternam existere; evidens quippè est Deum, utpotè sapientissimum & optimum, ea regere quæ ipse condidit & conservat.

Ergo lex æterna una est, immutabilis & indefectibilis, quia realiter est Deus ipse unus & immutabilis.

Ergo à lege æterna omnes leges derivantur: quia in regimine Monarchico omnes Ministri ad mentem & voluntatem Principis attendere debent, à quibus si devient, iniqua illorum judicia censentur. *Lex Dei*, inquit sanctus Augustinus, quæst. 58. in Exod. *sempiterna est, quam consulent omnes piæ mentes, ut quod in ea invenerint, vel faciant, vel jubeant, vel vetent, secundùm quod illa incommutabili veritate perceperint.*

Q. 3°. *Quid est Lex naturalis?*

R Est legis æternæ fulgor & radius, creaturæ rationali à Deo impressus, dictans & præcipiens quid agere aut fugere debeat. *Undè patet*, inquit sanctus Thomas primâ Secundæ, quæst. 91. art. 2. *quòd lex naturalis nihil aliud est quàm participatio legis æternæ in rationali creatura*, quemadmodum illuminatio oculorum est ipsamet lux Solis in oculos sese diffundens. *Hoc lumen*, inquit sanctus Augustinus

in Pſalm. 4. *eſt totum hominis, & verum bonum. Signatum autem dicit in nobis, tanquam denarius ſignatur Regis imagine; homo enim factus eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei.*

Q. 4°. *Poteſtne deleri lex naturalis?*

R. Obumbrari quidem poteſt in concluſionibus præſertim remotioribus; ut dictum eſt ubi de ignorantia, Tract. de Act. hum. ſed deleri omninò non poteſt, alioquin homo deſineret eſſe rationalis & imago Dei. *Poteſt obumbrari*, inquit Tertullianus, lib. de anima, cap. 41. *quia non eſt Deus, extingui non poteſt, quia eſt à Deo.*

Ergo cùm natura rationalis una ſit ubique & in omnibus, lex quoque naturalis ubique & in omnibus eſt una, quamvis in applicatione propter varias circumſtantias ſit diverſa, ut docet S. Thomas quæſt. 94 art. 4.

Q. 5°. *Quid eſt lex poſitiva?*

R. Eſt ea quæ legi naturali ſuperaddita eſt ex libera legiſlatoris voluntate.

Q. 6°. *Quomodò dividitur lex poſitiva?*

R. Dividitur in divinam & humanam.

Divina habet Deum auctorem, humana hominem.

Q. 7°. *Quotuplex eſt lex divina?*

R. Duplex, ſcilicet ſcripta, diciturque lex vetus, Moſaïca, quia per Moyſen promulgata eſt, vetus Teſtamentum; & lex gratiæ, non ſcripta atramento, ſed ſpiritu Dei vivi, in eorum cordibus qui eam receperunt, vocaturque lex nova, novum Teſtamentum.

Q. 8°. *Quotuplex eſt lex humana?*

R. Duplex, alia eſt communis omnibus Nationibus, diciturque jus Gentium; alia, in qua non omnes conveniunt; & hæc, ſi à poteſtate eccleſiaſtica procedat dicitur lex canonica ſeu eccleſiaſtica, ſi à poteſtate politicâ, dicitur lex civilis.

Q. 9°. *Quotuplici modo lex naturalis diſtinguitur à lege poſitiva, ſive divina, ſive humana?*

R. Triplici; 1°. Lex naturalis ſimul cum natura

indita est, nihilque præscribit quod quisque in corde suo (si attendere velit) cernere non valeat, v. g. Deum colendum, parentes honorandos, nemini nocendum: lex verò positiva extrinsecùs supervenit, & ordinat quæ ratio naturalis non dictaret observanda, v. g. Baptismum suscipiendum, à carnibus abstinendum diebus Veneris. 2°. Præcepta legis naturalis necessaria sunt, nec pendent à liberâ Dei aut cujusvis legislatoris voluntate; præcepta verò legis positivæ sunt merè arbitraria. Deus, v. g. nec prohibere potest justitiam, religionem, pietatem erga parentes, nec imperare mendacium, adulterium, odium proximi; hæc quippè repugnant naturæ tum divinæ, tùm humanæ, quæ est ad imaginem Dei condita; sed liberum illi fuit primò præcipere circumcisionem, esum Agni Paschalis, quæ sunt legis positivæ, & eadem postmodùm in lege nova prohibere. Hinc 3°. & maximè quæ prohibentur lege naturali sunt per se mala, & ideo prohibita, ut mendacium, injustitia &c. & quæ præcipiuntur adeò sunt necessaria, ut turpe esset ea prætermittere, v. g. amare Deum, colere parentes. Quæ verò vetantur lege positivâ, per se sunt licita, plerùmque etiam indifferentia, nec mala evadunt, nisi quia prohibita, ut apud Judæos esus carnis suillæ ac suffocatæ, & apud Christianos opera servilia, carnisque usus certis quibusdam diebus. Similiter quæ eâdem lege præcipiuntur, etsi aliquando sint utilia, tamen necessaria non sunt, nec eorum omissio repugnaret rationi, nisi præciperentur, ut jejunium Quadragesimale, celibatus Clericorum, &c.

Ergo ex crassa ignorantia Clerici obmurmurant aut obmurmurarent contra Diœceseos suæ statuta, quibus prohibentur venatio, ludus alæ & cartarum, popinarum frequentatio, & alia similia, eo prætextu quòd per se mala non sint, sed indifferentia; nulli enim Clericorum ignorare licèt allatum discrimen legem naturalem inter & positivam,

Prælatiſque à Deo conceſſam poteſtatem ſtatuendi & ſanciendi quæ ad bonum publicum promovendum expedire judicaverint.

Ergo lex naturalis eſt immutabilis, nullam abrogationem, derogationem, diſpenſationem admittit, nec adversùs illam uſu contrario præſcribi poteſt; quia nunquam licet facere quæ per ſe mala ſunt, quæve repugnant naturæ divinæ & rationali. Lex verò poſitiva iis modis mutari poteſt, quia præcepta ejus ſunt arbitraria, pendentque ex libera legiſlatoris voluntate.

Dices 1°. Deus ſæpiùs diſpenſavit in lege naturali, namque permiſit, 1°. in primâ generis humani generatione, fratres in matrimonium ducere ſorores. 2°. Judæos auferre Ægyptiorum vaſa pretioſa, & uſuras ab alienis accipere. 3°. Plures ſimul habere uxores, & matrimonia diſſolvere dato libello repudii. 4°. Abrahamum immolare filium ſuum. 5°. Prophetam Oſee filios fornicationis ſuſcipere ex meretrice. 6°. Poteſtatem conceſſit Eccleſiæ diſpenſandi in votis & juramentis, quæ omnia ſunt juris naturalis: ergo lex naturalis Dei diſpenſatione mutari poteſt.

Diſtinguo antec. diſpenſavit impropriè, mutando materiam legis, & efficiendo ut non pertineret ad legem naturalem, v. g. transferendo in aliquem dominum rei alienæ, concedo: diſpenſavit propriè, permittendo v. g. ut quis rem alienam invaderet, nego antec. Itaque cùm Deus ſit rerum omnium dominus, dedit Judæis Ægyptiorum divitias & aliarum Gentium à quibus uſuras exigebant, (niſi tamen hoc poſteriùs toleraverit potiùs quàm conceſſerit.) Dedit Abrahamo poteſtatem ſibi immolandi filium unigenitum; dedit Oſee dominium in corpus meretricis, fecitque ut eſſet ejus uxor, ac etiam nunc miniſterio Prælatorum condonat facta ſibi promiſſa etiam juramento firmata: *Oſee*, inquit ſanctus Thomas, quæſt. 100. art. 8. *accedens ad uxorem fornicariam, vel mulierem adulteram;*

non eſt mœchatus vel fornicatus; quia acceſſit ad eam, quæ ſua erat ſecundùm mandatum divinum, qui eſt auctor inſtitutionis matrimonii. Item Deus, utpotè ſupremus ſocietatis humanæ auctor & moderator, potuit quod non poſſunt homines ordini ab ipſo inſtituto ſubditi, nempè juſtis de cauſis uni & eidem viro tribuere jus in corpora plurium fœminarum, & libello repudii revocare quod priùs conceſſerat, nec in extraordinaria illa diſpoſitione violavit jura ſocietatis humanæ, quemadmodum cùm operatur miracula, vim naturæ non infert, ſed agit ſupra naturalem rerum ordinem, ut docent Theologi. At ubi materia legis eſt immutabilis, Deus nec propriè, nec impropriè diſpenſare poteſt, v.g. permittere mendacium, perjurium, blaſphemiam, idololatriam, quia illa ſemper per ſe ſunt mala.

Dices 2°. Præceptum obſervandi Sabbathi ad legem naturalem pertinet, cùm in primâ Decalogi tabula tertium locum obtineat: atqui præceptum illud, adveniente lege evangelicâ, mutatum eſt; ergo lex naturalis non eſt immutabilis.

Diſtinguo majorem: ad legem naturalem pertinet ſub aliquo reſpectu, concedo; ſub omni reſpectu, nego majorem. In præcepto itaque obſervandi Sabbathi duo ſunt diſtinguenda, nempè res ipſa quæ præcipitur, & tempus quo executionis eſt demandanda. Præcipitur primò ut homo aliquandiù vacet rebus divinis, & propriæ ſaluti proſpiciat; deindè determinatur tempus quo id præſtare debeat, ſcilicèt dies Sabbathi. Primum pertinet ad legem naturalem; ratio quippè naturalis dictat propriæ ſaluti conſulendum, vacandum orationi & meditationi rerum cœleſtium, ne uſu rerum temporalium noſter in Deum amor tepeſcat, aut etiam extinguatur. Quòd autem his ſpiritualibus exercitiis homo incumbat diebus Sabbathorum potiùs quàm aliis, pertinet ad legem poſitivam; neque enim ratio dictat ejuſmodi dies præ cæteris neceſſario eſſe eligendos.

Ergo

Ergo qui in Republica terrenis occupationibus die Dominicâ toti detinentur, nisi spiritale damnum, quod indè incurrunt, aliis hebdomadæ diebus resarciant, contra legem naturalem peccant & propriæ salutis periculum subeunt; opus enim salutis perficitur, non corporis, sed animi viribus, quæ sicut uberiori Dei cognitione & amore crescunt, ita ejusdem oblivione sensim evanescunt.

Caput III.

De Lege humana.

Q. 1°. *Prater Legem naturalem & divinam, estne necessaria Lex humana?*

R. Affirmativè: tum quia in humana societate plura ordinanda occurrunt, tum circa cultum divinum, tum circa contractus, quæ lex divina prætermittit, nec ex lege naturali necessariò deducuntur, tùm quia plures inveniuntur protervi & ad vitia proclives, qui, ut scribit S. Thomas, quæst. 96. art. 1. *Verbis de facili moveri non possunt: necessarium ergo fuit quòd per vim & metum cohiberentur à malo.*

Q. 2°. *Lex humana debetne prohibere omnia vitia?*

Negat S. Thomas cit. quæst. art. 2. Quia lex essentialiter est ordinatio ad bonum commune; atqui lex humana omnia mala prohiben, esset bono communi noxia, utpotè observatu difficilior; in societate enim humana plures reperiuntur infirmi quàm sani: quæ autem possibilia sunt sanis, infirmis sunt moraliter impossibilia. Undè multiplicarentur transgressiones, & cives evaderent pejores, cùm tamen sit legis officium illos efficere bonos. Ita S. Thomas.

Q. 3°. *Quot modis lex humana potest definiri?*

R. Quatuor. 1°. Per revocationem, aut aliam legem contrariam. 2°. Per privilegium. 3°. Per dispensationem. 4°. Per consuetudinem.

Q. 4°. *Quid est dispensatio ?*

R. Est relaxatio juris communis cum cognitione causæ, facta in quibusdam casibus à Superiore ob rationabilem causam.

Dicitur 1°. *Relaxatio juris communis*, ut distinguatur, 1°. ab interpretatione legis, quæ est mera legis explicatio, in qua Superior simpliciter & juridicè declarat legem ad casum sibi propositum non extendi, v. g. votum non obligare in iis circumstantiis. Vulgò tamen hæc interpretatio vocatur dispensatio, sed impropriè; Prælatus quippè legem naturalem aut divinam non relaxat. 2°. A privilegio, quod plerumque non est contra, sed præter Legem, ut privilegium clericale.

Dicitur 2°. *Cum cognitione causæ*, quia lex non est relaxanda, nisi adhibitâ diligenti consideratione, ut habetur cap. *Necessaria*, causâ 1. q. 7. per dispensationem enim plaga infligitur disciplinæ, quod non debet fieri absque magnâ cautione.

Dicitur 3°. *In quibusdam casibus*, in quo differt iterum à privilegio, quod conceditur in perpetuum & per modum legis.

Dicitur 4°. *Facta à Superiore*, quia ex S. Thoma, q. 97. art. 4. *Periculosum esset, ut hoc judici cujuslibet committeretur; & ideò ille qui habet regere multitudinem, habet potestatem dispensandi in lege humana quæ suâ auctoritate nititur.*

Ergo inferior non potest dispensare in lege superioris, nisi id ipsi sit concessum vel jure, vel consuetudine, vel delegatione: *Lex superioris per inferiorem tolli non potest*, cap. *Romani*, Clementina, tit. de Elect. Et ratio est, tum quia lex superioris nititur ejus auctoritate, tum quia inferior ipse lege superioris constringitur, eique parere debet sicut cæteri.

Dixi, *Nisi id ipsi sit concessum*, &c. ex usu enim Episcopi dispensant in Canonibus & præceptis universalibus Ecclesiæ, nisi dispensatio sit specialiter reservata summo Pontifici.

Dicitur 5°. *Ob rationabilem causam*; quia ex Concilio Tridentino, sess. 25. cap. 18. de Reform. *Frequentiùs legem solvere, nihil aliud est quàm unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire.* Et sanctus Bernardus, lib. 3. de Consid. cap. 4. *Ubi necessitas urget*, inquit, *excusabilis dispensatio est; ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est: utilitas, dico, communis, non propria; nam cùm nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio.*

Ergo peccant qui sine causa dispensationes petunt, aut ut petantur, consulunt, quia dispensatorem ad peccandum inducunt: peccatum autem illud ex natura sua est mortale, ut docent communiter Theologi, quia est in materia gravi, & contrarium bono publico. Dico, *ex naturâ suâ*; quia potest esse veniale, vel ex ignorantia, vel ex levitate materiæ.

Q. 5°. *Dispensatio sine causa estne valida?*

R. Si facta sit ab ipso legislatore vel ab ipsius successore, valida est, quamvis illicita, quia ex dictis lex positiva non habet vim obligandi, nisi ex voluntate legislatoris: si autem facta sit ab inferiore, irrita est & prorsùs nulla, quia inferior non potest dispensare se cum lege superioris; ergo nec cum aliis. Nec præsumitur superior dedisse inferiori potestatem dispensandi sine causa in sua lege, cùm non potuerit absque peccato ejusmodi potestatem concedere.

Ergo nulla est dispensatio sine causa à summo Pontifice obtenta in voto & juramento; censeturque subreptitia, quia lex voti & juramenti est juris divini, cui subest summus Pontifex.

Ergo sine causa validè non dispensaret Episcopus in impedimentis matrimonii, quia hujusmodi impedimenta sunt leges universalis Ecclesiæ, quæ est suprà Episcopum.

Quamplurimæ in praxi occurrunt difficultates circà dispensationes, præsertim quæ emanant à Sede apostolica, quas attigimus tom. 3. de Legibus, cap. 11. 12. 13. & tom. 5. de Matrimonio, cap. 10.

Q. 6°. *Lex definitne per quamlibet consuetudinem contrariam ?*

Certum est adversùs legem naturalem aut divinam positivam præscribi non posse per ullam consuetudinem, etiamsi supponatur universalis & omnium hominum memoria antiquior ; tum quia utraque illa lex non pendet à voluntate hominum, ut pro eorum nutu & contrariis moribus mutari possit, tùm quia lex naturalis est ipsamet veritas & recta ratio, adversùs quam agere est per se malum ; Lex verò evangelica, ex Christi institutione, permanebit usque ad consummationem sæculi, Matth. 24. v. 14. Unde cap. *Qui contempta*, distinct. 8. hæc referuntur ex S. Augustino : *In Evangelio Dominus ait, Ego sum veritas ; non dixit, Ego sum consuetudo. Itaque cedat consuetudo veritati.* Et cap. *Frustra*, ex eodem Doctore, *Frustra quidam qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis objiciunt, quasi consuetudo major sit veritate.*

Ergo consuetudo quæ in aliquibus Provinciis obtinuit lucrum percipiendi ex mutuata pecunia, etiam pupillorum, mera corruptela est ; quia adversatur legi naturali & divinæ, *cui nemo præscribere potest, non spatia temporum, non patrocinia personarum, non privilegia nationum*, inquit Tertullianus, lib. de velandis Virginibus, cap. 1. Frustra ergo opponuntur spatia temporum, *Cùm tantò graviora sint peccata, quantò diutiùs infelicem animam detinent alligatam*, ut habetur cap. *Cùm tantò*, tit. de Consuetudine. Frustra patrocinia personarum illustrium & magni nominis, quia non ex personis legem, sed ex lege personas judicamus. Frustra privilegia Provinciæ aut Nationis, quia ut dicitur citat. cap. *Cùm tantò*, quod est Gregorii IX. *Nemo sanæ mentis intelligit naturali juri, cujus transgressio periculum salutis inducit quacumque consuetudine (quæ dicenda est verius in hac parte corruptela) posse aliquatenùs derogari.* Itaque de lege humana dumtaxat potest esse quæstio, ad quam.

R. Consuetudo præscribit adversùs legem humanam, modò tria concurrant. 1°. Legislator non contradicat. 2°. Sit universalis etiam apud Sapientiores; si enim legislator, vel sanior pars communitatis resistit, consuetudo non præscribit, censeturque prævaricatio in legem. Hinc 3°. quando non constat de voluntate legislatoris, qui fortè ignorat consuetudinem, vel ad illam non attendit. Ut consuetudo deroget legi civili, requiritur decennium; legi verò ecclesiasticæ, spatium 40. annorum.

Q. 7°. *Consuetudo potestne habere vim Legis, & esse regula morum?*

R. Potest, modò sit utilis bono publico, inductaque sit animo se obligandi: *Mos populi Dei*, inquit S. Augustinus, Epist. 36. aliàs 86. *& institutа majorum pro lege sunt tenenda; & sicut prævaricatores Legum divinarum, ita & contemptores consuetudinum ecclesiasticarum coercendi sunt.*

Caput IV.

De veteri Lege divina.

Q. 1°. *Ex vetus fuitne bona?*

Negarunt Marcionitæ, deinde Manichæi & Priscillianistæ, statuentes duo rerum principia; alterum malum, quod fingebant esse auctorem legis veteris, & ideò mala in eorum sententia; alterum bonum, à quo exiit lex evangelica, & secundùm eos bona. Adversùs quos.

R. De fide est legem veterem fuisse bonam, & à Deo conditam. Rom. 4. v. 12. *Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & justum & bonum.* Hebr. 1. *Multifariam multisque modis Deus loquens olim in Prophetis.*

Dices 1°. Deus, Ezech. 10. de lege veteri sic loquitur: *Dedi eis præcepta non bona*; ergo lex vetus est mala.

Nego conſeq. nam pater ad frangendam cervicem filii protervi laborioſa & duriora opera ipſi injungit, quæ ſecundùm ſe ſpectata bona ſunt & utilia; comparatè verò ad ea, in quibus exercet fratres ejus egregiæ indolis, bona non ſunt.

Dices 2°. Gal. 3. Lex vetus eſt *ordinata per Angelos in manu Mediatoris*, id eſt Moyſis; ergo non eſt à Deo.

Diſtinguo anteced. Per Angelos tanquam Dei miniſtros & ejus nomine agentes & loquentes, per Moyſen verò tanquam legis promulgatorem, concedo: per Angelos & Moyſen tanquam legis auctores, nego antecedens; nam Moyſes, Exod. 34. *Narravit plebi omnia verba Domini atque judicia; reſponditque populus unâ voce: omnia verba Domini, quæ locutus eſt, faciemus.*

Q. 2°. *Quotuplicis generis erant præcepta in Lege veteri?*

R. Triplicis, 1°. Moralia, quæ pertinent ad morum diſciplinam, digito Dei deſcripta in duabus Tabulis, Exod. 20. ſolentque dici Decalogus, eò quòd ſint numero decem. 2°. Cæremonialia, quæ cultum Dei ſpectant, ut Sacrificiorum & Purificationum leges. 3°. Judicialia, quæ ſunt leges civiles & politicæ, quibus Judæorum ſocietas regebatur.

Q. 3°. *Quare Deus legem naturalem in tabulis ſcribi voluit, cùm ex dictis in cordibus hominum ita ſit impreſſa ut omninò deleri non poſſit?*

Reſpondet S. Auguſtinus, Enarr. in Pſalm. 57. *Scriptum eſt in tabulis quòd in corde non legebant, non enim ſcriptum non habebant, ſed legere nolebant. Oppoſitum eſt oculis eorum quòd in conſcientiâ legere cogerentur.* Adde quòd concupiſcentia & affectus inordinati, etſi legem naturalem omninò delere non poſſint, illam tamen valdè obſcurant, rationemque ita perturbant ut facilè homo malum tanquam bonum apprehendat. Undè Apoſtolus, Rom. 7. ait: *Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex dixerit*, non concupiſces.

Q. 4°. *Lex vetus obligabatne omnes Gentes?*

R. Præcepta Decalogi, cùm ſint legis naturalis, omnes obligant; ſed præcepta cæremonialia & judicialia ſolis data ſunt Judæis, Deut. 4. *Quæ eſt alia gens tam inclyta, quæ habeat cæremonias & juſta judicia?* Gentilibus tamen licebat amplecti legem, quamvis ſine ea abſolutè ſalvari potuiſſent, Exod. 12. v. 48.

Q. 5°. *Lex vetus debuitne in æternum durare?*

R. Minimè, ſed data eſt ad tempus, *donec veniret ſemen cui promiſerat;* Galat. 3. v. 29. tum quia finis legis eſt Chriſtus, Rom. 10. v. 4. atqui obtento fine, ceſſare debent ea quæ ſunt ad finem; tum quia lex erat umbra futurorum, Heb. 10. v. 1. Atqui fulgente luce & veritate, evaneſcunt umbræ & figuræ.

Q. 6°. *Quandonam Lex mutata eſt?*

R. 1°. Abrogata eſt in morte Chriſti, quia lex nova tunc ſancita eſt, & novum Teſtamentum conditum, Heb. 9. v. 16. & 17. *Ubi teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris; teſtamentum enim mortuis confirmatum eſt.* 2°. Deſiit obligare Judæos die Pentecoſtes, quo lex evangelica promulgata eſt, ut patet ex cap. 2. Act. tunc enim lex nova obligare cœpit, & conſequenter Judæi ex illo tempore veteri lege non fuerunt conſtricti.

Supereſt gravis difficultas, utrùm ſtatim poſt promulgatum Evangelium lex vetus fuerit mortifera, adeo ut cultus ejus fuerit ſuperſtitioſus, nec obſervari potuerit abſque peccato.

Affirmavit S. Hieronymus, Epiſtolâ quæ eſt 75. inter Epiſtolas S. Auguſtini, ubi contendit S. Petrum & alios Apoſtolos eâ uſos ſimulatoriè, hoc eſt non in honorem ejuſdem legis, nec ad Dei cultum, quemadmodum ſi quis nunc à ſuffocato abſtineret, non Religionis, ſed ſolius ſanitatis causâ; vultque S. Doctor, S. Petrum à S. Paulo reprehenſum, Gal. 2. in ſpeciem tantùm & ex compoſito, ut per ejuſmodi reprehenſionem Judæi

legalibus nimis addicti intelligerent ea non amplius esse servanda. Sed patet ex cap. 8. l. 1. quem scripsit idem sanctus Hieronymus adversùs Pelagianos, ipsum tandem descendisse in sententiam S. Augustini, quæ est communis Catholicorum, nempè observationem legis veteris aliquandiu post Pentecosten fuisse per se licitam, cùm ipsi Apostoli eam observaverint. Sanctus Paulus Timotheum circumcidit, Act. 18. v. 23. ritus purificationis legalis observavit, suadentibus S. Jacobo & Senioribus, Act. 21. v. 23. Quin Apostoli in Concilio Hierosolymitano Act. 15. v. 29. præceperunt eis qui ex Gentibus religionem christianam amplexi fuerant, ut abstinerent ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, quam Gentiles crimen non existimabant, quamvis ejus prohibitio pertineat ad legem naturalem. Quòd autem hæc apostolica Constitutio, quoad priora capita sit lata, dumtaxat ad vitandum Judæorum scandalum, patet tum ex c. 14. ad Rom. tùm ex c. 10. 1. ad Cor. ubi Apostolus cibis hujusmodi uti permittit, quando id fieri potest absque aliorum scandalo.

Dici autem non potest ista per simulationem facta & dicta ab Apostolis, cùm ejusmodi simulatio fuisset mendacium & quidem grave; assumere enim signum falsæ religionis, v. g. coram idolo thus incendere, etiam sine animo colendi idolum, est grave peccatum contra religionem: atqui in hypothesi S. Hieronymi, quòd lex fuisset superstitiosa & mortifera, Apostoli legalia cùm Judæis observantes, tanti criminis reos se constituissent.

Certo certius est ergo Apostolos ex animo observasse legalia, *non ex necessitate salutis, sed ex consuetudine solemnitatis*, inquit S. Augustinus, hoc est, ut Synagoga honorificè sepeliretur, persuasum redderent legem veterem per se non esse malam, & Judæos suis ritibus valdè addictos faciliùs ad finem adducerent.

Dices: Apostolus ait, Gal. 5. v. 2. *Si circumci-*


image
not
available

R. Communior est sententia evasisse mortiferam à destructione Templi Hierosolymitani ; tum quia Synagoga tunc temporis fuit omninò extincta, & ex tunc cessarunt Sacrificia Aaronica & alia Judæorum solemnia ; tum quia Evangelium jam erat prædicatum in universa creatura quæ sub cœlo est, Col. cap. 1. v. 23.

CAPUT V.

De Lege evangelica.

Q. 1°. *Quotuplici modo accipi potest Lex evangelica ?*

Respondet S. Thomas primâ Secundæ quæst. 106. art. 1. dupliciter accipi. 1°. Pro ipsamet gratiæ & charitatis largitione. 2°. Pro doctrina sive verbo sive scriptis tradita, tanquam signo quo nobis innotescit gratia quæ per Christum facta est, Joan. 1. v. 17. Sic in civilibus testamentum duobus modis sumitur. 1°. Pro ipsamet donatione facta causâ mortis. 2°. Pro instrumento seu scriptura quâ testator significat hanc fuisse ultimam suam voluntatem. Verba sunt angelici Doctoris : *Quod est potissimùm in Lege novi Testamenti, & in quo tota ejus virtus consistit, est gratia Spiritûs sancti, qua datur per fidem Christi ; & ideo principaliter Lex nova est ipsa gratia Spiritûs sancti . . . . Habet tamen Lex nova quadam sicut dispositiva ad gratiam Spiritûs sancti, & ad usum hujus gratia pertinentia, quæ sunt quasi secundaria in Lege nova, de quibus oportuit instrui fideles Christi & verbis & scriptis, tam circa credenda quàm circa agenda.*

Q. 2°. *Quomodo definitur Lex evangelica ?*

R. Describi potest, gratia per Spiritum sanctum cordibus indita, quâ creduntur & amantur quæ Christus nos docuit.

Dicitur 1°. *Gratia*, quâ voce lex nova distinguitur

à veteri, *quia Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est*, Joan. 1. v. 17.

Dicitur 2°. *Cordibus indita*; sic enim de eâ habetur Jerem. 31. & Heb. 8. v. 10. *Ecce dies venient, dicit Dominus; & feriam domui Israël & domui Juda fœdus novum..... Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.*

Dicitur 3°. *Per Spiritum sanctum*, ut lex evangelica distinguatur etiam à lege naturali, quæ ita est indita ut sit innata & refulgens, instar cujusdam radii à principiis naturæ rationalis, quæ cùm sit per peccatum originale vitiata & debilitata, lex ab ipsa emanans infirma quoque sit necessum est. At lex evangelica, 1°. est naturæ rationali superaddita, & in cordibus *scripta, non atramento, sed Spiritu Dei vivi*, 2. Cor. 3. v. 3. 2°. Obscuratam legem naturalem illustrat, & debilitatas naturæ vires reparat, auget ac perficit, *Virtus enim Dei est in salutem omni credenti*, Rom. 1. v. 16.

Dicitur 4°. *Quâ creduntur & amantur*, quibus vocibus significatur legem novam non solùm ostendere, sicut veterem, quæ sint credenda, amanda, & fugienda, sed etiam dare ut illa credantur, amentur, & ista rejiciantur. Hinc dicitur, Rom. 8. v. 2. *Lex spiritus vitæ in Christo Jesu:* Lex verò vetus, *ministratio mortis litteris deformata in lapidibus*, 2. Cor. 3. v. 7.

Dicitur 5°. *Quæ Christus nos docuit*, ut ostendatur materiam circa quam versatur lex evangelica, seu fides per dilectionem operans, esse ea omnia quæ Christus verbo docuit, & Apostoli postmodum magnâ ex parte scripto tradiderunt.

Dices: Gratiæ non convenit definitio legis, non enim est ordinatio rationis ad bonum commune facta à superiore, habens vim obligandi; ergo gratia propriè non est lex.

Nego antecedens; gratia quippè est ordinatio vel efficax vel sufficiens facta à Deo summâ ratione ad finem ultimum supernaturalem, quo nihil

est melius, & quisquis ab illo ordine deficit, peccat, & reus pœnæ efficitur.

Instas: Lex evangelica data est omnibus; atqui hæc gratia paucorum est: ergo non est lex evangelica.

Distinguo majorem; lex evangelica data est omnibus, id est, lata est pro omnibus, concedo; recepta est ab omnibus, nego majorem; scriptum quippè est de Spiritu sancto, per quem charitas diffunditur in cordibus, *Quem mundus non potest accipere*, Joan. 14. v. 17. nomine autem mundi, interprete S. Augustino, Tract. 74. in Joan. significat mundi dilectores & concupiscentiis carnis servientes.

Ergo sicut erant in lege veteri qui pertinerent ad Evangelium, ut SS. Patriarchæ & Prophetæ Deo servientes in novitate spiritûs, & non in vetustate litteræ, ita in lege evangelica plures non re, sed nomine dumtaxat Christiani, pertinent ad legem veterem, utpote qui non receperint nisi litteram legis evangelicæ, jugum ipsis gravissimum; quia ex Apostolo, Rom. 8. *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus.*

Q. 3°. *Lex evangelica estne præceptiva?*

Negant Pseudo-reformati, contenduntque nihil præcipi in Evangelio præter fidem seu fiduciam in promissionibus Christi; quam impietatem proscripsit Concilium Tridentinum sess. 6. can. 19. & 21. Quare.

R. De fide est legem evangelicam multa præcipere præter fidem, idque patet vel ex cap. 5. Matth. ubi Christus plura tradit præcepta subditque: *Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum.*

Ergo per fidem in Christum salvamur, quemadmodum æger desperatus ab omnibus Medicis, uno excepto, cui credidit & sanatus est; an non recte diceretur sanatus per fidem in Medicum? Per quam autem fidem? an per fidem inertem & otiosam? Imò si Medici præcepta contempsisset,

visus esset non habuisse in eum fidem : ergo fides operans illum à morbo liberasset.

Similiter humanum genus peccato primi parentis vulneratum, nec Moyses per plura legis præcepta, nec cæteri Dei Prophetæ curare potuerunt. Prædicatus est Salvator mundi, & quotquot in illum credidere, per fidem in ipsum salvi facti sunt ; per fidem, inquam, quæ per charitatem operatur.

Dices : *Ubi spiritus Domini, ibi libertas*, 2. Cor. 3. ergo.

Distinguo antecedens : libertas à timore servili, à peccato & à jugo veteris legis, concedo ; ab omni præcepto, nego antecedens. *Nolite errare*, inquit Apostolus 1. Cor. 6. v. 9. *neque fornicarii*, &c. *regnum Dei possidebunt.*

Q. 4°. *Quotuplicis generis sunt præcepta legis evangelicæ ?*

R. Triplicis : alia sunt fidei, ut præceptum credendi Mysterium Trinitatis, Incarnationis, &c. alia moralia, quæ continentur in Decalogo, quæque Christus suâ auctoritate confirmavit & explicuit, Matth. 5. Undè si quæ in iis occurrat difficultas, eorum interpretatio quærenda est ab Ecclesia & à Patribus, meritoque damnata est à Clero Gallicano anno 1700. isthæc quorumdam modernorum propositio, *Doctrina morum magis à junioribus petenda.* Alia denique sunt præcepta cæremonialia, quæ spectant usum Sacrificii & Sacramentorum.

Q. 5°. *Lex nova estne alia à veteri ?*

Respondet S. Thomas, primâ Secundæ quæst. 107. art. 1. non esse aliam secundùm substantiam & essentialia, sed differre solùm in accidentalibus, sicut imperfectum differt à perfecto, puer v. g. à viro, quia utraque lex habet eumdem Legislatorem, nempè Deum, eumdem finem, eadem præcepta, scilicet fidei in Christum & charitatis ; in dilectione enim Dei & proximi tota lex pendet & Prophetæ, Matth. 22. v. 4.

Lex ergo vetus differt à nova in accidentalibus, quatenus erat disciplina rudior, puerorum imbecillitati accommodata, qui cùm non alliciantur virtutis honestate, neque intelligant nobiles fructus qui ex illa percipiuntur, urgendi sunt pœnarum timore & incitandi infantibus quibusdam promissis; Lex quippè eadem Mysteria, quæ nunc explicitè credimus, obscurè & sub figurarum velamine commendabat, carnalesque Judæos tum pœnarum temporalium metu, tum terrenæ felicitatis pollicitatione implebat ad ea quæ virtutis sunt. At ubi venit plenitudo temporis, & splendidior effulsit lux evangelicæ prædicationis, *Jam non sumus sub Pædagogo*, ait Apostolus, Gal. 3. dispelluntur veteres umbræ, spernuntur mundi terricula & promissa, unus animarum ardor, rapere regnum cœlorum, unus timor, à tanta spe excidere. *Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur*, 2. Cor. 4. v. 18. Undè tota Christianorum vita & actio est in fide, spe & charitate, de quibus nunc dicendum.

TRACTATUS
DE
VIRTUTIBUS THEOLOGICIS,
FIDE, SPE,
ET CHARITATE.

CAPUT I.

De definitione & divisione virtutis theologicæ.

Q. 1°. *Unde virtus dicitur theologica?*

R. A nomine Græco Θεὸς, Latinè *Deus*, quia omnis virtus theologica habet Deum pro objecto.

Q. 2°. *Quomodo definitur virtus theologica?*

R. Definitur virtus infusa, quæ habet Deum pro objecto materiali primario, & aliquod ejus attributum pro formali.

Dicitur 1°. *Virtus infusa*, ut distinguatur à virtute naturali, quæ potest naturaliter acquiri, cùm virtus theologica sit omnino supernaturalis & speciale Dei donum.

Dicitur 2°. *Quæ habet Deum pro objecto materiali primario*, quia omnis virtus theologica primariò versatur circa Deum, & secundariò circa alias res à Deo revelatas; fide, v. g. primariò credimus Deum esse unum trinum, secundariò septem esse Sacramenta: spe primariò speramus beatitudinem, quæ consistit in Dei possessione, secundariò necessaria gratiæ auxilia ad consequendam beatitudinem;

charitate primò diligimus Deum, secundò proximum.

Dicitur 3°. *Et aliquod ejus attributum pro formali*, quia ex sæpiùs dictis objectum formale est motivum & ratio sub qua habitus vel actus versatur circa objectum suum materiale, v. g. objectum formale artis medicæ est sanabilitas, quia ars medica versatur circa corpus naturale sub hac ratione, scilicet quatenus est sanabile; atqui virtus theologica versatur circa suum objectum materiale sub ratione & motivo alicujus divini attributi; credimus, v. g. quæ Deus revelavit propter summam ejus veracitatem; speramus Dei possessionem, quia Deus est summum nostrum bonum; Deum primò charitate diligimus propter infinitam bonitatem quæ in eo est, deinde proximum propter eamdem Dei bonitatem, quâ vult ipsum salvum fieri; quemadmodum propter patremfamilias nobis charissimum, diligimus & charos habemus ejus filios & domesticos: ergo omnis virtus theologica habet pro objecto formali aliquod Dei attributum; atque eâ ratione distinguitur à virtutibus moralibus infusis, quæ pro objecto tum materiali, tum formali habent bonum creatum.

Q. 3°. *Cur virtutes theologicæ non dicuntur morales, cùm longè perfectiori modo mores dirigant?*

R. Sunt quidem morales, sed proprium nomen sibi vindicant, tanquam nobilissimæ virtutum species, quemadmodum homo, licèt sit ipse animal, quia tamen habet aliquid præstantius, speciali nomine vocatur.

Q. 4°. *Quot sunt virtutes theologicæ?*

R. Tres, scilicet fides, spes, & charitas, quia tres illæ virtutes, nec aliæ, habent Deum pro objecto materiali & formali.

Dices: Religio versatur circa Deum, cùm tota sit ad illum colendum: ergo.

Nego antecedens; Religio enim versatur circa cultum Deo exhibendum, quemadmodum misericordia circa eleemosynam pauperi erogandam: ergo

ſicut pauper non eſt objectum miſericordiæ, ſed finis, cui eleemoſyna tribuitur, ita Deus non eſt objectum Religionis, ſed finis, cui honos & cultus exhibentur.

Ergo virtutes theologicæ præſunt omnibus virtutibus moralibus, quia pro objecto habent finem omnium virtutum moralium, ſcilicet Deum, ad quem omnes virtutes morales tendunt tanquam media; quemadmodum enim ars equeſtris, quæ immediatè occupatur ad regendum equum, imperat arti frenofactoriæ & cæteris ipſi inferioribus, ita fides, ſpes & charitas, quæ circa Deum verſantur, imperant omnibus virtutibus moralibus. *Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam*, Heb. 11. *Omnia veſtra in charitate fiant*, 1. Cor. 6.

In arduis autem & adverſis ſpem *ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam*, Heb. 6. ſicque tota vita chriſtiana & actio eſt in fide, ſpe & charitate, ut ſuprà diximus.

Ergo virtutes theologicæ non conſiſtunt in medio, quia cùm habeant objectum infinitum, in iis non poteſt eſſe exceſſus, ſed ſolùm defectus. Notum eſt S. Bernardi effatum, modus diligendi Deum, eſt diligere ſine modo. Contra verò in virtutibus moralibus ſervanda eſt mediocritas, quia habent objectum creatum & finitum, ac proinde moderatè diligendum. Unde poteſt quis in cultu divino eſſe nimius & ſuperſtitioſus, & ultra modum abſtinere à cibo, compati miſeriis alterius, nempè in præjudicium boni communis, *Pauperis non miſereberis in judicio.* Exod. 23.

Caput II.

De Fide.

Q. 1°. *Quid eſt Fides?*

R. Duplex in Scholis profertur fidei definitio.

Prima est inspirata & dictata à Spiritu sancto, Heb. 11. v. 1. in hunc modum, *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*

Dicitur 1°. *Substantia*, quia sicut substantia sustentat accidentia, ita fides est fundamentum & basis rerum quas speramus. Græcè pro substantia habetur hypostasis, id est, subsistentia; quia per fidem futura bona quæ speramus, in mente nostra subsistunt tanquam præsentia.

Dicitur 2°. *Argumentum non apparentium*, id est, convictio, quia facit fides ut res quæ non apparent, propemodùm cernamus, ac si essent evidenter præsentes.

Ideo autem Apostolus fidem describit per ordinem ad res sperandas, quia officium fidei est dirigere actiones voluntatis ad vitam æternam, non quidem secundùm dictamen rectæ rationis, (illud enim ad prudentiam pertinet) sed juxtà verbum Dei & regulas ab ipso revelatas: virtus enim rectè definitur per ordinem ad suum actum; charitas, v. g. definitur virtus inclinans ad diligendum Deum super omnia, & proximum sicut seipsum.

Ergo fides christiana propriè & strictè sumpta, non est firmus assensus quibuslibet rebus à Deo revelatis, v. g. quòd canis secutus sit Tobiam peregrinantem, & domum reversus blandimento suæ caudæ lætitiam prætulerit, Tob. 11. quamvis enim illud & similia fide divina credi debeant (utpote à Deo revelata) fides tamen illa ad mentem Apostoli, non est Christiana, quia res sic creditæ nec sunt sperandæ, nec diligendæ.

Ergo fides est habitus practicus, sicut prudentia; totus enim est ad dirigendas actiones humanas juxtà verbum Dei.

Altera affertur fidei definitio magis exacta secundùm Dialecticæ regulas, nempe fides est virtus theologica divinitùs infusa, quâ firmiter assentimur propter divinam veritatem, omnibus quæ Deus revelavit, & nobis per Ecclesiam credenda proposuit.

Q. 2°. *Quare in definitione additur*, nobis per Ecclesiam credenda proposuit.

R Quia ad finem concipiendam necesse non est ut Deus per se cuilibet immediatè revelet, quemadmodùm contendunt Novatores, docentes neminem teneri credere voci Pastoris, nisi Spiritus sanctus ipsi intùs revelet vera esse quæ dicuntur, quem errorem longè absurdissimum & pernicioſissimum confutavimus tom. 1. Prolegomenis, pag. 74. & 135.

Dixi, *Cuilibet immediatè*, ut innuerem immediatam revelationem aliquando esse necessariam, ut in Moyse, qui legem à Deo immediatè acceptam Israëlitas docuit, & in Apostolis, qui cùm à Christo immediatè edocti essent, universum orbem suis prædicationibus ad fidem attraxerunt.

Cùm igitur Religione jam stabilitâ, Deus per seipsum credenda singulis immediatè non revelet, sequitur nos ad fidem concipiendam aliquo medio debere fieri certiores rem fuisse à Deo revelatam, ac proinde in hoc statu præter revelationem requiri fidei propositionem.

Est autem duplex fidei propositio: alia privata, quæ solet fieri à parentibus in familia, à Ludi magistro in Scholâ, à Parocho in Parochia, ab Episcopo in Diœcesi; alia publica, quæ fit à communi fidei Magistro, & supremo controversiarum Judice, nempè universali Ecclesia.

Discrepant ambæ illæ propositiones, namque privata propositio, quantùmcumque videatur credibilis, absolutè tamen potest esse falsa, cùm fiat à privata persona, quæ falli potest & fallere; publica verò propositio est infallibilis auctoritatis.

Q. 3°. *Quodnam est objectum fidei?*

R. Materiale adæquatum sunt res divinitùs revelatæ, primarium est Deus; formale verò est veracitas divina, seu veritas Dei in dicendo: ergo à tempore Apostolorum articuli seu propositiones fidei non creverunt quoad substantiam, quia Ecclesiæ non fit nova revelatio, cùm Christus omnia reve-

laverit Apoſtolis & Diſcipulis ſuis, Joan. 15. v. 15. *Omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Et cap. 16. v. 13. *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Unde Patres in Conciliis generalibus non expectant novam revelationem, ſed ex Scripturis & Traditionibus definiunt quæ ſint credenda & agenda.

Dixi, *quoad ſubſtantiam*, quia certum eſt Eccleſiam ea quæ fuerunt ab Apoſtolis obſcuriùs tradita, in dies magis explanare ob naſcentes hæreſes & controverſias, quo fit ut plebs ſucceſſu temporis evadat doctior.

Ergo fides non eſt habitus compoſitus, ſicut habitus diſciplinarum naturalium, ſed eſt ſimpliciſſimus, quia unicum ac ſimpliciſſimum habet formale objectum, ſicut ſpes & charitas.

Ergo in eo qui vel unam fidei propoſitionem contumaciter negat, aut in dubium revocat, ut hæretici, nulla remanet fides theologica, quia fides theologica non poteſt ſtare ſine objecto ſuo formali: atqui objectum formale fidei, nempè Dei revelatio per Eccleſiam propoſita, non afficit nec movet hæreticum; ergo hæreticus hoc ipſo quòd pertinaciter negat unam fidei propoſitionem, cæteras non credit fide theologicâ, ſed humanâ dumtaxat, quemadmodum ruſticus per Philoſophiæ ſcientiam non cognoſcit Lunæ eclypſim, quia cauſam illius ignorat. Sic qui vel unum hominem odit, aut in aliquo deſperat, charitatem aut ſpem theologicam prorsùs amittit, ita ut alios jam homines non niſi humano affectu diligat, aut in cæteris non ſperet niſi humanâ fiduciâ.

Q. 4°. *Ubi continentur ea quæ Deus revelavit Eccleſiæ?*

R. In Scriptura & Traditione.

Q. 5°. *Quid eſt Scriptura?*

R. Eſt Verbum Dei ſcriptum, ipſo afflante, id eſt inſpirante & ad ſcribendum movente. Vide multò plura tom. 1. in Prolegomenis, cap. 6. ubi

de variis ſenſibus Scripturæ, de ejus diviſione & de variis ejus editionibus.

Ergo Canones & Symbolum Apoſtolorum, in materia fidei non ſunt Scriptura ſacra, licèt contineant verbum Dei, quia non ſunt ſcripta Spiritu ſancto afflante, ſed ſolùm aſſiſtente, ne irreperet error.

Q. 6°. *Quid eſt Symbolum?*

R. Eſt brevis fidei ſumma ſeu regula collecta ex variis articulis fidei, & fidelibus propoſita tanquam ſignum Chriſtianæ & Catholicæ profeſſionis.

Q. 7°. *Quotuplex eſt Symbolum?*

R. Quadruplex, ſcilicet Apoſtolorum, quod ab Apoſtolis conſcriptum eſt; Nicænum, quod in Concilio Nicæno eſt editum; Conſtantinopolitanum, quod à Nicæno non differt, niſi aliquâ additione facta in Concilio Conſtantinopolitano; hinc dicitur aliquando Conſtantinopolitanum, aliquando Nicænum; Symbolum S. Athanaſii, quod eſt ab Eccleſia receptum, proponiturque in Concilio Florentino tanquam regula fidei.

Q. 8°. *Quid eſt articulus fidei?*

R. Eſt propoſitio fidei primaria immediatè revelata, ab initio explicitè propoſita ad credendum, & conſectarias quaſdam propoſitiones in ſe continens, quemadmodum membrum, quod eſt pars corporis præcipua, complectitur carnem, oſſa, nervos, & quæ ſunt corporis particulæ.

Ergo non omnis propoſitio fidei eſt articulus, quia non omnes propoſitiones ſunt primariæ, ut iſta, *Saül fuit Rex Iſraël*; nec fuerunt ab initio expreſsè ad credendum propoſitæ, ut propoſitiones quas nunc primùm definit Eccleſia; nec aliàs in ſe continent, ſicut aliquando articulus, ut videre eſt in quarto articulo Symboli Apoſtolorum, *Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus*; quia qui credit Chriſtum fuiſſe paſſum, abſque difficultate credet cætera quæ in illo articulo non continentur.

Q. 9°. *Quid eſt Traditio?*

R. Est verbum Dei sine scripto traditum Ecclesiæ. Quotuplex autem sit traditio, & utrum necessariò sit admittenda, diximus in Prolegomenis, cap. 7. p. 60.

Q. 1°. *Quid est Ecclesia?*

R. Est cœtus fidelium baptizatorum, tam corpori reliquo, quàm suo capiti visibili in terris legitimè adhærentium. Supremum autem Ecclesiæ caput visibile est Romanus Pontifex.

Ergo Ecclesia est corpus Monarchicum admixtum Aristocratico; quia Christus non unum constituit, qui eam regeret, sed plures, nempè sanctum Petrum, Matth. 16. v. 18. & 19. cui succedit summus Pontifex Romanus; & alios Apostolos, Matth. 18. v. 18. quibus succedunt Episcopi; & septuaginta duos Discipulos, Luc. 10. v. 1. quibus succedunt Parochi. Hi omnes à Christo positi sunt ad regendam Ecclesiam, sed cum subordinatione.

Ergo Hæretici non sunt in Ecclesia, quia non sunt fideles; nec Cathecumeni, quia non sunt baptizati; voto tamen ad Ecclesiam pertinent, *Suntque conceptionibus similes*, inquit S. Augustinus, *non tantùm autem concipi, sed & nasci necesse est.* Nec Schismatici, nec Excommunicati, quia capiti aut reliquo corpori Ecclesiæ non adhærent.

Ergo peccatores sunt in Ecclesia, quia sunt fideles baptizati, & adhærent reliquo corpori; etsi ægra, sed sanabilia.

Cætera quæ pertinent ad Ecclesiam, scilicet ejus notas, infallibilitatem in definiendis controversiis fidei & morum, expendimus in Prolegomenis, cap. 5.

Caput III.

De Actibus fidei.

Q. 1°. *Quotuplex est actus fidei?*

R. Duplex, scilicet internus & externus: *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, Rom. 10. v. 10.

Q. 2°. *Quid eſt internus fidei actus?*

R. Eſt firmus mentis aſſenſus rei revelatæ & ab Eccleſia propoſitæ propter ſummam Dei veritatem in dicendo.

Q. 3°. *Quot requiruntur ad illum aſſenſum?*

R. Requiritur 1°. perceptio eorum quæ prædicantur; ex Apoſtolo quippe cit. cap. ad Rom. 1°. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.* 2°. Mentis inquiſitio & examen, utrum qui verba facit, fidem mereatur: *Nam qui credit citò, levis corde eſt*, Eccli. 19. Aſſenſus autem fidei, utpote actus virtutis, debet eſſe prudens. 3°. Judicium quo mens, ponderatis motivis credibilitatis, v. g. prophetiis, miraculis, certò judicat omninò credibilia eſſe quæ dicuntur. 4°. Pia affectio in voluntate, quâ imperat intellectui ut firmum rei revelatæ & ſufficienter propoſitæ aſſenſum præbeat; nam ex ſancto Auguſtino, lib. de Prædeſt. Sanctorum, cap. 5. *Credere vel non credere eſt in arbitrio voluntatis humanæ.* Et ratio eſt quòd veritas propoſita, quantumcumque credibilis appareat, maneat ſemper obſcura & inevidens, nec proinde mentem neceſſariò determinet ad credendum, quemadmodum concluſio, quæ evidenter deducitur ex principio per ſe noto, per ſui evidentiam intellectum cogit ad aſſenſum.

Q. 4°. *Omnes illi actus ad aſſenſum fidei prærequiſiti ſuntne ſupernaturales?*

R. 1°. Tres primi actus poſſunt naturaliter elici; quivis enim infidelis v. g. naturaliter audit & percipit quæ ab Evangelii præcone dicuntur, poteſt naturaliter perpendere prophetias ac miracula, quæ in confirmationem proferuntur: negandum tamen non eſt quin Deus gratiâ ſuâ aliquando inclinet corda hominum ad audiendum concionatorem, & ad ponderanda quæ in doctrinæ ſuæ confirmationem profert; habetur enim Act. 6. verſ. 14. de Lydia, *cujus Dominus aperuit cor, intendere his quæ dicebantur à Paulo.*

R. 2°. Pia voluntatis affectio ſeu credulitatis

affectus, est supernaturale Dei donum. Responsio est de fide : *Nemo potest venire ad me*, inquit Christus, Joan. 6. *nisi pater . . . traxerit eum.* Et sanctus Fulgentius, lib. de Incarnatione & Gratia, cap. 18. ait, *ut velimus credere, misericordia prævenientis illuminamur dono.* Denique can. 7. Concilii Arausicani II. damnantur Semipelagiani asserentes initium fidei esse à nobis.

Ex his sequitur actum fidei ultimò resolvi in motiva credibilitatis; quærenti enim cur credam respondeo, quia Deus dixit. Deum autem dixisse habeo ex scriptura & traditione: scripturam verò & traditionem esse verbum Dei habeo ex Ecclesia : *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret auctoritas*, inquit S. Augustinus, lib. contra Epistolam fundamenti, cap. 4. Unde autem mihi constat Ecclesiam esse auctoritatis infallibilis, ex motivis credibilitatis, nimirum innumeris prodigiis, quibus perspicuum sit eam esse à Deo institutam, nec nisi vera docere. En ultima resolutio, nihilque supereſt quærendum, quia mens planè convincitur eam societatem vera docere, cujus doctrinam Deus confirmat signis indubitatis.

Q. 5°. *Quotuplex est internus actus fidei?*

R. Duplex, nimirum implicitus, quo confusè creditur quidquid docet Ecclesia, quamvis prorsùs ignoretur quid illa doceat; & explicitus, quo distinctè & speciatim hæc & illa creduntur.

Q. 6°. *Actus fidei implicitus sufficitne ad salutem?*

R. Minimè, quia fides implicita est lucerna sub modio abscondita, quæ mentem nullatenus illustrat, nec proinde potest dirigere mores ad fidem supernaturalem.

Q. 7° *Quænam credenda sunt explicitè?*

R. Alia sunt explicitè credenda necessitate medii; alia necessitate præcepti.

Q. 8°. *Quid necessitate medii credendum est explicitè?*

R. 1°. In omni statu etiam naturæ, necessarium est necessitate medii explicitè credere Deum esse, remunerare

remunerare ſervientes ſibi, & animam eſſe immortalem, *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*, Heb. 11. Unde meritò contraria quorumdam modernorum opinio damnata eſt ab Innocentio XI. tanquam ſcandaloſa, anno 1679. & à Clero Gallicano tanquam hæretica, anno 1700.

R. 2°. Eâdem neceſſitate medii neceſſe eſt præterea in lege evangelica explicitè credere myſteria Trinitatis & Redemptionis, ut ſuo loco probavimus, nec proinde abſolutionis capaces ſunt qui ea ignorant.

Q. 9°. *Quæ in lege novâ ſunt explicitè credenda neceſſitate præcepti?*

R. Symbolum Apoſtolorum, c. *vos* de conſecr. diſt. 4. hæc referuntur ex S. Auguſt. *Ante omnia Symbolum & Orationem Dominicam & vos ipſi tenete, & illis quos ſuſcepiſtis de ſacro fonte oſtendite.* Iſta duo Eccleſia ab initiandis ſemper exegit.

Q. 10°. *Quotuplex eſt actus fidei explicitus?*

R. Duplex, informis & formatus. Fides dicitur informis, quæ eſt ſine charitate, ut peccatoribus: formata verò quæ eſt cum charitate conjuncta, ut in juſtis. Ex hac autem duplici fidei acceptione Theologi poſt S. Auguſt. & S. Thomam, diſtinguunt inter hos actus, *Credere Deum, credere Deo, credere in Deum.* Credere Deum eſt credere Deum eſſe ſeu exiſtere: credere Deo eſt credere vera eſſe quæ Deus dixit: credere in Deum eſt affectus charitatis, credendo tendere in Deum tanquam in ultimum finem. Credere primo & ſecundo modo eſt commune omnibus fidelibus, juſtis & peccatoribus: credere autem tertio modo, eſt proprium juſtorum. Credere primo & ſecundo modo dumtaxat, eſt actus fidei informis & imperfectæ: credere tertio modo eſt actus fidei formatæ, perfectæ & vivæ. Hanc fidem exigunt ſcripturæ, Joan. 6. *Hoc eſt opus Dei ut credatis in eum quem miſit ille*; quæ verba expendens ſanctus Auguſt. tract. 27. in Joan. ait; *ut*

credatis in eum, non ut credatis ei. Sed si creditis in eum, creditis ei: non autem continuò qui credit ei, credit in eum; nam & Dæmones credebant ei, & non credebant in eum... Quid est ergo credere in eum? Credendo amare, credendo in eum ire, & ejus membris incorporari. Ipsa est ergo fides, quam de nobis exigit Deus, & non invenit quod exigat, nisi donaverit quod inveniat. Quin ipsa est fides quam profitemur in Symbolo, *Credo in Deum Patrem omnipotentem... & in Jesum Christum Filium ejus unicum.... Credo in Spiritum sanctum.* Hæc professio non est sincera in peccatoribus, utpote qui amore in Deum non tendat, tanquam in suum ultimum finem.

Dices, pro Lutheranis & Calvinianis, qui contendunt amitti fidem per quodlibet peccatum lethale: fides informis est fides mortua; atqui fides mortua non est vera fides, sicut homo mortuus non est verus homo: ergo fides christiana non debet dividi in fidem informem & fidem formatam. Unde juxta S. Augustinum, fides sine operibus & mortua, est fides Dæmonum; fides verò quæ per charitatem operatur, est fides Christianorum.

Distinguo majorem: fides informis est mortua, sicut corpus sine anima est mortuum, concedo: est mortua sicut homo, recedente animâ, est mortuus, nego majorem: hanc solutionem ipse Apostolus Jacobus, cap. 2. v. 26. Catholicis suppeditat adversùs Novatorum sophismata; *Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est*, inquit, *ita & fides sine operibus mortua est.* Porrò corpus sine spiritu verum est corpus, sed exsuccum, fœdum, mortuum & sine motu: ergo & fides sine charitate, est vera fides, sed elanguis & deformis, instar cadaveris; quia sicut anima non est de essentia corporis, sed ei advenit debitè præparato & organisato, ut spiraculum vitæ, similiter charitas non est essentialis forma fidei, sed accidentalis dumtaxat: fides informis & fides formata non differunt nisi accidentaliter: accidens autem potest abesse ab

aliqua re absque illius interitu. Contra verò anima rationalis est forma essentialis hominis, nec potest recedere quin pereat homo, licèt remaneat ejus corpus.

Q. 11°. *Estne necessitas medii & præcepti aliquando eliciendi interiores actus fidei?*

R. Affirmativè, ad Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam.* Heb. 11. *Credère oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Favet ratio, quia opera supernaturaliter bona sunt adultis necessaria necessitate medii & præcepti ad remissionem peccatorum & vitam æternam obtinendam. Atqui, fides actualis est principium & radix operum supernaturalium; *nihil sine eâ sanctum, nihil vivum,* inquit S. Leo, serm. 4. de Nat.

Q. 12°. *Quoties tenetur adultus elicere actus fidei?* Fuit quorumdam Modernorum hæc propositio damnata ab Innocentio XI. anno 1679. & à Clero Gallicano, anno 1700. *Satis est actum fidei semel in vita elicere.* Quare.

R. Fidei actus quàm sæpissimè sunt eliciendi. *Accipite armaturam Dei... in omnibus sumentes scutum fidei*, Eph. 6. v. 13. & 16. *justus ex fide vivit*, Gal. 3. & Heb. 10. & S. Augustinus, serm. 58. aliàs Hom. 42. de Symbolo, ait; *Ne dicatis, dixi heri, dixi hodie.... sint divitiæ tuæ, sint quotidiana ista quodam modo indumenta mentis tuæ. Numquid non quando surgis, vestis te? Sic & commemorando Symbolum tuum, vesti animam tuam, ne fortè eam nudet oblivio, & remaneas nudus.... ipsa fides & tunica est & lorica: tunica contra confusionem, lorica contra adversitatem.* Hæc obligatio eliciendi actus fidei maximè urget; 1°. in articulo mortis, ut constat ex praxi Ecclesiæ; 2°. initio usûs rationis, cùm quisque tenetur se convertere ad Deum, quod sine fide non potest fieri. Notent parentes & Pastores.

Q. 13°. *Extatne præceptum exteriùs profitendi fidem?*

R. Extat, Rom. 10. *Ore autem confessio fit ad salutem.* Unde S. Augustinus, lib. de Fide & Symbolo, c. 1. *Fides*, inquit, *à nobis duplex officium exigit, cordis & linguæ.*

Q. 14°. *Quotuplex est præceptum confessionis?*

R. Duplex, affirmativum, quo fidei confessio imperatur; & negativum, quo prohibetur fidei negatio, sive verbis, sive factis quæ signa sint falsæ religionis, ut Cœnam manducare cum hæreticis, thus incendere coram idolo, quamvis absque animo illud colendi, vestes deferre, quæ sint signa determinata falsæ religionis, secùs si distinguant solùm nationem à natione, v. g. Turcam ab Hispano, aut conditionem à conditione, Laïcum à Sacerdote. Unde fidem non negaret, qui falsò negaret se esse Sacerdotem, aut audivisse Sacrum.

Q. 15°. *Quandonam obligat præceptum profitendi fidem?*

R. Negativum obligat semper & pro semper, quia nunquam licet malè agere; atqui negare fidem est malum: ergo affirmativum obligat, ex S. Thomâ, q. 3. art. 2. *Quando per omissionem hujus confessionis, subtraheretur honor debitus Deo, & etiam utilitas proximis impendenda, putà si aliquis interrogatus de fide, taceret, & ex hoc crederetur, vel quòd non haberet fidem, vel quòd fides non esset vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur à fide; in hujusmodi enim casibus confessio fidei est de necessitate salutis.*

Caput IV.

De Peccatis fidei oppositis.

Q. 1°. *Quot sunt peccata fidei opposita?*

R. Tria, scilicet infidelitas, hæresis & apostasia.

Q. 2°. *Quid est infidelitas?*

R. Est privatio fidei in eo qui nec baptizatus, nec catechumenus fuit.

Q. 3°. *Quotuplex eſt infidelitas?*

R. Duplex, nempè negativa & poſitiva.

Negativa eſt in eo qui non credit; quia non audivit, nec audire potuit.

Poſitiva, quâ quis repugnat Myſteriis fidei ad credendum propoſitis.

Q. 4°. *Utraque infidelitas eſtne peccatum?*

R. Negativa non eſt peccatum, quia non eſt voluntaria, ſed pœna peccati ſaltem originalis: poſitiva verò eſt peccatum, quia eſt trangreſſio præcepti, *qui non crediderit, condemnabitur*, Marci 16. Ergo infideles negativi non damnabuntur præcisè quia non crediderunt, ſed quia peccaverunt ſaltem in Adamo. Ita S. Thomas, ſecundâ Secundæ, quæſt. 18. art. 1.

Q. 5°. *Quotuplex eſt infidelitas poſitiva?*

R. Quadruplex, nempè Atheïſmus, Paganiſmus, Mahumetiſmus & Judaïſmus. Atheus nullum agnoſcit Deum: Paganus agnoſcit, ſed falſum: Mahumetanus verum Deum agnoſcit, ſed illum colit cæremoniis quæ numquam fuerunt licitæ: Judæus verum Deum colit cæremoniis olim licitis, nunc autem ſuperſtitioſis.

Q. 6°. *Quid eſt hæreſis?*

R. Eſt error cum pertinacia contra aliquam fidei veritatem in eo qui fidem ſuſcepit: ergo qui ex ignorantia vincibili ſeu craſſa contrarium fidei credit, hæreticus non eſt, quia non eſt pertinax.

Q. 7°. *Quotuplex eſt hæreſis?*

R. Duplex, nempè interior ſeu mentalis, & exterior. Utraque eſt peccatum lethale, ſed ſola poſterior habet annexam excommunicationem reſervatam.

Q. 8°. *Quotuplex eſt Apoſtaſia?*

R. Quadruplex vulgò numeratur, nempè apoſtaſia à fide, ab obedientia, à Religione, & ab ordine; ſed prima dumtaxat pertinet ad materiam de qua hîc agitur.

R. Apoſtaſia à fide eſt infidelitas quâ Chriſtus & fides chriſtiana jam ſuſcepta penitùs deſeruntur.

Unde apostasia in eo differt ab hæresi, quòd sit totalis desertio fidei & auctoris ejus; hæresis verò sit desertio dumtaxat quorumdam dogmatum. Quare Calviniani non sunt apostatæ, si strictè loquamur, sed hæretici, utpote qui Christo adhæreant, & plura fidei dogmata retineant.

Apostasia ab obedientiâ est ea quâ quis Prælati mandata non solùm negligit, quod est inobedientiæ, sed insuper iis formaliter se opponit, eaque contumaciter rejicit.

Apostasia à Religione est criminosa recessio à quolibet Ordinis Religiosi instituto, cum proposito non revertendi, sive retineatur habitus, sive rejiciatur.

Dicitur 1°. *Criminosa recessio*; quia qui licitè recedit, ut electus ad dignitatem episcopalem, non est apostata.

Dicitur 2°. *A quolibet Ordinis Religiosi instituto*, quia si quis sine dispensatione recedit ad laxiorem, quamvis graviter peccet, imò excommunicationem incurrat, si sit ex ordine Mendicantium, ut habetur Extravag. 1. de Regularibus, non est tamen apostata.

Dicitur 3°. *Cum proposito non revertendi*; qui enim habet animum redeundi, aut permanendi in statu religioso, vagus est, non apostata, etiamsi habitum dimiserit ad tempus. Sed Religiosus Professus habitum temerè dimittens incurrit excommunicationem, cap. *Ut periculosa*, tit. ne Clerici vel Monachi, in sexto. Censetur autem habitum dimittere qui eum omninò abscondit, ita ut nullum signum præ se ferat, quo Religiosus deprehendi possit.

Apostasia ab Ordine est ea quâ quis dimisso habitu, à sacris Ordinibus transit ad statum laïcæ conversationis, putà conjugii.

Caput V.

De Spe.

Quamvis de sola spe theologica sermo sit institutus, operæ pretium tamen est exponere naturam spei generatim spectatæ, ut ex ea colligamus quid sit spes theologica; affatum enim est in Scholis etiam philosophicis receptum, scilicet ea quæ conveniunt generi, necessariò convenire & speciei. Itaque.

Q. 1°. *Quid est spes genericè spectata?*

R. Definitur communi Philosophorum & Theologorum suffragio, motus appetitûs efficaciter tendentis in bonum absens, arduum, apprehensum ut possibile.

Dicitur 1°. *Motus appetitûs*, sive sensitivi, si spes sit passio & actus necessarius, sive rationalis, si spes sit actus liber, tendens in bonum mente apprehensum.

Dicitur 2°. *Efficaciter tendentis in bonum absens*, ut distinguatur à simplici complacentia & desiderio inefficaci, quale potest esse desiderium inefficax victoriæ in imbelli, beatitudinis supernaturalis in peccatore; spes enim est desiderium efficax obtinendi bonum concupitum: tum autem desiderium censetur efficax, quando eliguntur media necessaria.

Dicitur 3°. *Arduum*, hoc est obtentu difficile, ut distinguatur spes à desiderio, quod est etiam boni absentis, sed obtentu facilis. Hinc dives esuriens v. g. non sperat, sed desiderat alimenta; pauper verò desiderat simul & sperat: ille, quia alimenta ipsi apponentur statim ut jusserit; iste quia ipsi cum difficultate comparanda sunt.

Dicitur 4°. *Apprehensum ut possibile*, quia ex S. Thoma primâ Secundæ, q. 40. art. 1. ad tertium, *Nullus movetur ad id quod æstimat impossibile adipisci.*

Ergo objectum ſpei genericè ſpectatæ, materiale quidem, eſt res bona, formale verò eſt ejus bonitas abſens, ardua & poſſibilis; illud enim eſt objectum materiale actûs vel habitûs, circa quod actus vel habitus verſatur: formale verò eſt ratio ſub qua actus vel habitus verſatur circa objectum materiale; atqui ſpes verſatur circa rem bonam quatenus bona eſt, ardua & poſſibilis: ergo.

His præmiſſis de ſpe generatim ſpectata, quæ neceſſariò convenire debent ſpei theologicæ, utpote nobiliſſimæ generis ſpeciei.

Q. 2°. *Quid eſt ſpes theologica?*

R. Eſt virtus infuſa theologica, per quam certa cum fiducia futuram beatitudinem, & media illius aſſequendæ expectamus per Dei auxilium.

Dicitur 1°. *Virtus*, quia facit bonum habentem ſe, *Beatus vir qui ſperat in eo*, Pſalm. 33. & opus ejus bonum.

Dices: Spes eſt in peccatoribus: ergo non facit bonum habentem ſe.

Diſtinguo conſequens, non facit bonum ſimpliciter & abſolutè, concedo, quia à ſperante non excludit omne peccatum lethale: non facit bonum ſecundùm quid, nego conſequentiam; peccator enim quatenus ſperat in Deo, ut decet, bonus eſt, laudabiliter operatur, licèt aliundè ſit vituperandus.

Dicitur 2°. *Infuſa*, quia eſt ſupernaturale Dei donum, juxta illud ad Rom. 15. *Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, ut abundetis in ſpe & virtute Spiritûs ſancti.*

Dicitur 3°. *Per quam certâ cum fiduciâ futuram beatitudinem expectamus*, quia ſpes veluti anchora animam tentationibus & procellis hujus vitæ agitatam firmat in promiſſis Dei, Heb. 6. v. 19. & 20. *Confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.*

Dicitur 4°. *Expectamus per Dei auxilium*; quia beatitudo naturæ viribus non eſt poſſibilis: *infinitæ virtutis eſt*, inquit S. Thomas ſecundâ

Secundæ, q. 17. art. 2. *ad infinitum bonum perducere.*

Ergo primarium ſpei objectum materiale eſt Deus poſſidendus; ***non enim minus aliquid ab eo ſperandum eſt quàm ſit ipſe,*** inquit S. Thomas cit. q. 17. art. 2. Secundarium verò, media per quæ Deus decrevit nos ad ſeipſum perducere; qui enim Deum veraciter ſperat, aliud non intendit quàm ad Dei poſſeſſionem pervenire: ***homini qui anhelat ad aliquid magnum, parvum videtur omne aliud quod eſt eo minus***, ait idem angelicus Doctor, cit. q. 17. art. 2. ad tertium.

Ergo objectum formale ſpei eſt beatitudo noſtra per divinam miſericordiam & omnipotentiam poſſibilis, ſeu Deus, quatenus poſſidendus ut ſummum noſtrum bonum obtentu poſſibile per ejus miſericordiam & omnipotentiam; objectum enim formale ex ſæpè dictis eſt motivum, ſeu ratio ſub qua voluntas per ſpem tendit ad Deum, quatenus eſt nobis bonus, & cætera tanquam media ad hunc finem ordinat: ergo.

Dices: appetere Deum ut bonum noſtrum, eſt referre Deum ad nos tanquam ad finem, & amare illum amore concupiſcentiæ; atqui inordinatus eſt ille amor, rectus enim ordo poſtulat ut omnia ad Deum tanquam ad ultimum finem referantur: ergo.

Diſtinguo majorem: eſt referre Deum ad nos, tanquam ad finem *cui*, concedo: tanquam ad finem *cujus gratiâ*, nego majorem.

Finis *cui* eſt perſona *cui* bonum optamus: finis *cujus gratiâ* eſt ille cujus amore cætera aſſumuntur tanquam media propter illum dumtaxat expetibilia, ut remedia propter ſanitatem. Turpe quidem ac flagitioſum eſt Deum ad ſe referre iſto poſteriori modo, hoc eſt, Deum minoris facere quàm ſeipſum, & perverſo ordine, uti fine ultimo, veluti medio propter aliud ſolummodo expetibili: *Boni utuntur mundo*, inquit S. Auguſtinus lib. 15. de civ. cap. 7. *ut fruantur Deo; mali è contra, ut fruantur mundo, uti volunt Deo.* Sed honeſtè & piè Deum

ad nos referimus tanquam ad finem *cui*: in eo quippe teſtamur ſummam ejus bonitatem & omnimodam perfectionem: ſic refertur cauſa ad effectum, fons ad rivulum, plenitudo ad vacuum, miſericordia ad miſerum, perfectivum ad perfectibile.

Q. 3°. *Spes eſtne certa?*

R. Eſt certa reſpectu ſui, *Spes non confundit*, Rom. 8. non eſt certa reſpectu noſtri, *cùm metu & tremore ſalutem veſtram operamini*, Philip. 2.

Ergo ex ſpe naſcitur timor, illud enim timet homo amittere quod amat, inquit S. Thomas ſecundâ Secundæ, q. 19. art. 3. & quò ardentiùs deſideratur poſſeſſio boni obtentu difficilis, eò major eſt timor illius amittendi.

Q. 4°. *Quotuplex eſt timor?*

R. Duplex, ſcilicet timor Dei, & timor mundanus. Hic malus eſt, & opponitur ſpei; in ſpe enim theologica tria intelliguntur; 1°. deſiderium beatitudinis & conatus ad illam; 2°. timor illius amittendæ, qui dicitur timor Dei; 3°. fiducia in Dei bonitate & omnipotentia; atqui timor mundanus tria illa impugnat, qui enim ejuſmodi timore percellitur, primò inordinatè concupiſcit bona temporalia, quæ ſpes theologica contemnit, *non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur*, inquit Apoſtolus 2. Cor. 4. Deinde ex ejuſmodi cupiditate, tanquam ex mala radice, naſcitur timor amittendi temporalia, quæ aliquando conſervari nequeunt ſine peccato, putà perjurio, injuſtitiâ, &c. *Et ita expellit à ſe timorem Dei hujuſmodi hominis timor*, Eccli. 23. v. 27. Timor mundanus ſolâ nititur prudentiâ carnis & ſapientiâ ſæculi, ac proinde adverſatur fiduciæ, quâ ſpes theologica Chriſtianos firmos & defixos tenet in omnipotentia Dei & miſericordia.

Q. 5°. *Quotuplex eſt Dei timor?*

R. Triplex, nempe ſervilis, quo timet quis puniri à Deo; filialis, quo timetur offenſa Dei; & initialis, quo timetur ſimul pœna & culpa.

sed plus, saltem appretiativè, culpa quàm pœna.

Q. 6°. *Timor servilis estne bonus?*

R. 1°. Certum est ipsam servilitatem, quæ est extranea & accidentalis timori Dei, esse malam; quia est formale odium justitiæ & legis eam præcipientis, proceditque ex malâ voluntate: *quomodo justus est, justitiæ talis inimicus*, inquit S. Augustinus, epist. 145. aliàs 144.

R. 2°. De fide est timorem servilem secundùm essentiam spectatum, esse bonum; ita enim definiit Concilium Tridentinum contra Pseudo-reformatos; sess. 6. can. 8. *Tenete Dominum*, ait Christus Luc 12. *qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam, ita dico vobis; hunc timete.*

Q. 7°. *Quænam peccata sunt spei opposita?*

R. Desperatio & præsumptio: prior contra spem pugnat per defectum, est enim diffidentia assequendi beatitudinem, & obtinendi à Deo gratias ad id necessarias: posterior verò per excessum, scilicet ex parte subjecti sperantis quòd Deus non promisit; nam ex parte objecti excessus esse nequit, sed solummodò defectus, ut suprà diximus.

Q. 8°. *Desperatio & præsumptio suntne cum infidelitate conjuncta?*

R. 1°. Sunt aliquando, cùm scilicet oriuntur ex judicio speculativè falso; ut si quis desperaret credens cum Pseudo-reformatis Deum aliquos antecedenter prædeterminasse ad malum culpæ & ad supplicia æterna. Cùm autem illa circumstantia addat desperationi novam peccati speciem, scilicet hæresim, in confessione sacramentali est explicanda. Idem dicendum de præsumptione, potest enim oriri ex falsa & hæretica opinione, vel Pelagianorum, quòd solis liberi arbitrii viribus vitam æternam promereri possimus, vel Novatorum, quòd fide solâ sine bonis operibus justificemur & salvemur. Quare inquirendum est à pœnitentibus quam ob causam desperaverint vel præsumpserint, an ex judicio falso & hæretico, an ex ignavia, aut ex superbia.

R. 2°. Desperatio & præsumptio plerumque in Catholicis sunt sine infidelitate, attamen semper denotant fidem modicam & imperfectam. Vide plura & in praxi necessaria, tomo tertio, capite quinto de spe.

Q. 9°. *Actus spei suntne ad salutem necessarii?*

R. Affirmativè. Psalm. 67. *Sperate in eo omnis congregatio populi.* Osee 12. *Spera in Deo tuo semper.* In Oratione Dominica ab omnibus Fidelibus recitanda secundo loco petendum est, *adveniat regnum tuum.* Quin Alexander VII. & Clerus Gallicanus, anno 1700. damnarunt hanc propositionem: *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei & charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

Caput VI.

De Charitate.

Q. 1°. *Quid est Charitas?*

R. Est virtus divinitùs infusa theologica, quâ Deum propter se super omnia diligimus, & cætera propter Deum.

Dicitur 1°. *Virtus*, quia habentem se facit simpliciter bonum, cùm fides, spes & aliæ virtutes bonum faciant secundùm quid tantùm, ut suprà diximus; charitas enim excludit omne peccatum saltem grave, hominem Deo conjungit & ad illum omnes virtutes movet, agitque tanquam earum forma & vita, sine qua dicuntur deformes, imperfectæ ac mortuæ: *habere charitatem, & malus esse non potest*, inquit S. Augustinus, Tractatu 7. in 1. Joan.

Dicitur 2°. *divinitùs infusa*, juxta illud ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*; & ita virtus charitatis distinguitur à Spiritu sancto, rejiciendaque

est oppositа sententia Magistri Sententiarum, lib. 1. distinct. 17.

Dicitur 3°. *theologica*, nulla enim virtus æquè ac charitas occupatur circa Deum, *totus desiderabilis est dilectus meus*, Cant. 5. quia sicut in amico impensè dilecto omnia placent, ejus ingenium, forma corporis, sermo, modus agendi, amantem mirificè recreant; sic diligenti Deum ex charitate placent ejus sapientia, justitia, verba, mandata, judicia, decreta, providentia sive in prosperis, sive in adversis, totus est desiderabilis.

Dicitur 4°. *quâ Deum propter se super omnia diligimus*, ut significetur charitatem esse amorem benevolentiæ, & distinguatur à spe, quæ est amor concupiscentiæ; benevolentia enim definitur amor quo quis alteri bene vult & facit, quantùm in ipso est, non sui, sed illius gratiâ; atqui homo per charitatem bene vult Deo & facit, quantùm in ipso est, ut ab omnibus colatur, non sui, sed illius gratiâ: *Charitatem voco*, inquit sanctus Augustinus, lib. 3. de Doctr. Christ. cap. 10. *motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se atque proximo propter Deum*; unde solus amor charitatis est absolutè & simpliciter super omnia. Spes quidem Deum concupiscit ut suum bonum, & tantùm bonum, ut sperans illud præferat omnibus suis commodis, v. g. sanitati, quam nollet recipere per magicas artes, & divitiis, quas viis illicitis non comparet; sicque dici potest Deum amare super omnia secundùm quid, & in aliquo genere, scilicet comparatè ad bona temporalia, sed per spem Deum sibi ipsi non præfert, nec proinde Deum super omnia simpliciter & absolutè diligit, cùm illum non plus quàm seipsum diligat, hæreatque in amore sui, non quidem positivè, quasi seipsum constituat ultimum finem, & Deum habeat veluti medium suæ felicitatis, quod est immane crimen, sed negativè tantùm, quatenùs qui propter se Deum diligit, præparatur ad sublimiorem gradum, ut diligat Deum non

jam propter se, sed propter ipsum, ut docet S. Bernardus, lib. de diligendo Deo, cap. 15. Porrò in illo gradu constitutus seipsum totum, beatitudinemque suam & cætera refert ad Dei gloriam; sicque amor ejus est simpliciter & absolutè super omnia.

Dicitur 5°. *Et cætera propter Deum*, res enim amici sunt in ejus usum & commodum convertendæ; atqui omnia, sive parentes, sive domestici, sive prospera, sive adversa, quin & nos ipsi, sumus res Dei summè dilecti: ergo per charitatem ea omnia propter Deum diliguntur & in ejus bonum, hoc est, in ejus gloriam & honorem convertuntur.

Ergo objectum charitatis materiale primarium est Deus, secundarium proximus; eâdem enim virtute charitatis diliguntur Deus & proximus: formale verò est divina bonitas in se spectata.

Q. 2°. *Quomodo fieri potest ut bonitas divina in se spectata sit motivum propter quod & nos ipsos & proximum diligimus, cùm sit quid nobis & proximo extrinsecum?*

R. Res elucidatur experientiâ eorum quæ in civilibus contingunt, atque in exemplum profero patremfamilias ab altero impensè dilectum ob mores ejus candidos, affabilitatem, sapientiam, & cæteras animi dotes præclarissimas. Quæro autem quodnam sit motivum arctissimæ illius amicitiæ, quæve diligendi ratio, nisi singularis illa perfectio, & bonitas patrisfamilias secundùm se spectata? An non propter eam charum est quidquid ad patremfamilias pertinet, ejus liberi & domestici? In hoc exemplo cogita charitatem, quâ primariò diligimus Deum, secundariò nos ipsos, proximum & res omnes ad Deum pertinentes, utpote creatas in ejus gloriam; & intelliges quomodo infinita Dei perfectio & bonitas sit tota ratio illum & nos & proximum amandi amore benevolentiæ: illum quidem, quia est ipsamet originalis bonitas; nos verò & proximum, quia divina illa bonitas per communionem aut præparationem bonorum spiritualium

in nobis & proximo relucet tanquam in ejus filiis & domesticis. Unde si quis sit à Deo totaliter & absque ulla spe rejectus, ut damnati, nullam habemus ad eum amicitiam, quemadmodum si paterfamilias, de quo suprà, aliquem è domesticis suis ejecerit, nostra in eum cessat propensio.

At, inquies, quomodo diligi potest homo iniquissimus, crudelis inimicus, qui nos quovis modo perdere nititur, cùm voluntas amore ferri non possit nisi in bonum.

R. Diligi potest quomodò diligimus membrum vitiatum, quod acutissimis doloribus nos diu noctuque cruciat; nempe distinguimus substantiam inter & vitium doloris causam: substantia est nobis chara & pretiosa, utpote pars nostri, quam sanam peroptamus, ideòque contra vitium eam infestans pugnamus, illudque quâ arte, quâ industriâ propellere nitimur. Sic Christus, caput omnium hominum, cùm adhuc peccatores essemus, propter nimiam suam charitatem dilexit nos tanquam propria sua membra, sed ægra & pessimè affecta: pretiosissimo sanguinis sui balsamo morbum, hoc est, peccatum extinxit, sanitati ac justitiæ nos restituit, & ex inimicis amicos recepit, quod longè gloriosius est; nam ex S. Augustino multò est optabilius inimicum non habere, quàm ulciscendo vincere. Ita & nos, (si charitas & spiritus Christi habitat in nobis) diligemus fratres, bonos quidem, qui boni sunt: malos autem, ut à vitiis sanentur & boni evadant.

Q. 3°. *Quotuplici modo Deus super omnia diligitur?*

R. Duplici, scilicet intensivè & appretiativè.

Deus diligitur intensivè super omnia, cùm voluntas in eum fertur ardentissimo amoris actu, qualis est amor beatificus: appretiativè verò super omnia diligitur, cùm voluntas tam forti amoris vinculo adstricta est Deo, ut nulla res eam inde avellere queat. Hoc amore appretiativè summo dicebat Apostolus, Rom. 8. *Certus sum enim quia neque mors, neque vita ... neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei.*

Q. 4°. *Uterque amor eſtne præceptus?*

R. Amor ſummus appretiativè eſt præceptus; hoc enim ad minus ſignificat illud præceptum, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. intenſivè autem ſummus; quamvis ſemper ad illum ſit enitendum, tanquam ad noſtrum ultimum finem & beatitudinem formalem, non tamen præcipitur, utpote qui non ſit in noſtra poteſtate.

Q. 5°. *Poteſtne dari amor Dei ſummus appretiativè, qui non ſit etiam ſummus intenſivè?*

R. Non ſolùm poteſt dari, ſed actu & de facto datur, ut patet exemplo juſti qui intenſiori & vehementiori dolore afficitur ob mortem patris impensè dilecti, quàm ob præterita peccata, quamvis appretiativè plus doleat ſe in Deum peccaſſe quàm patrem amiſiſſe, paratuſque ſit ejuſmodi orbitatem ſuſtinere potiùs quàm Deum offendere, & ejus amicitiâ privari.

Q. 6°. *Quandonam obligat præceptum amoris Dei & proximi?*

Nonnulli Theologi moderni in hac materia abierunt in abſurdas & ſcandaloſas ſententias. Prima eorum propoſitio fuit: „ Præceptum affirmativum „ amoris Dei & proximi non eſt ſpeciale, ſed gene„ rale, cui per aliorum præceptorum adimpletionem „ ſatisfit. Secunda: Præceptum amoris Dei per ſe „ tantùm obligat in articulo mortis. Tertia: An „ peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei ſemel „ tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus. Sed ejuſmodi propoſitiones jam proſcriptas partim ab Academia Pariſienſi, anno 1665. partim ab Innocentio XI. anno 1679. Clerus Gallicanus declaravit, anno 1700. ſcandaloſas, pernicioſas, piarum aurium offenſivas, impias, primum & ſummum mandatum irritum facientes, atque evangelicæ legis ſpiritum extinguentes. Quare ad propoſitam quæſtionem.

R. 1°. Præceptum amoris Dei quàm ſæpiſſimè obligat, atque ſemper enitendum eſt ad ejus obſer-

vationem, sic enim habetur Deut. 6. *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. *eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: & narrabis ea filiis tuis* (notent parentes) *& meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens.* Et ratio est quia præceptum illud habet rationem finis: *Finis præcepti*, inquit Apostolus 1. Tim. 1. *est charitas de corde puro, de conscientia bona, & fide non ficta.* Atqui finis non debet esse primò in intentione & movere ad ea quæ sunt observanda tanquam media ad finem.

R. 2°. Præcepto divino tenemur diligere proximum, datâ occasione, interno amore amicitiæ, Matth. 22. *Diliges proximum sicut teipsum.* Quæro autem ab adversariis quomodò seipsos diligant? An externo dumtaxat amore? Joan. 15. *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Quis autem nesciat Christum nos dilexisse interno amore amicitiæ, pro nobis sæpiùs orasse, & ex illo intimo affectu pro nobis in sacrificium se Deo Patri obtulisse? Et cap. 17. v. 21. vult ut omnes sive dominus, sive famulus & mancipium, sive bello victor, sive captivus, unum sint tum ad invicem, tum cum ipso & Patre. Notent qui ita subveniunt necessitatibus famulorum suorum & aliorum infimæ plebis, ut indignum judicent iis intimo charitatis affectu conjungi, & esse cum illis cor unum & animam unam, ut legitur Act. 4.

Q. 7°. *Estne servandus ordo in charitate?*

R. Affirmativè, *ordinavit in me charitatem*, inquit Sponsa, 2. Cant. v. 4. Et ratio est quia ibi est ordo, ubi unum est causa & principium cæterorum; atqui in charitate amor Dei est causa & principium amoris proximi: ergo.

Q. 8°. *Quomodo est ordinanda charitas?*

R. Amore affectivo præferendi sunt meliores: effectivo qui nobis magis sunt conjuncti, cæteris paribus: omnis enim causa priùs agit in viciniora quàm in remotiora, fons priùs satiatur

ſuis aquis quàm derivetur in rivulum.

Dixi, *cæteris paribus*, quia ſi externus aut peregrinus in majori verſetur neceſſitate, priùs ei ſubveniendum eſt.

Ergo Deus eſt ſuper omnia diligendus amore tum affectivo, tum effectivo, quia eſt infinitè bonus & nobis conjunctiſſimus, intimiorque noſtro intimo.

Ergo pater in extrema neceſſitate amore effectivo cæteris hominibus eſt præferendus, quia conjunctior eſt filio reſpectu cujus habet rationem principii. Sed ſi neceſſitas non ſit extrema, uxor cum filiis eſt præferenda, juxtà illud Gen. 2. & Matth. 19. *Dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ*; eſt enim unum in ſocietate cum uxore ſua; cum patre verò in natura. Nec debent filii parentibus theſauriſare, ſed parentes filiis, 2. Cor. 12, quià ſi filius conjugatus exhauriret familiam ad ſuſtentandam domum paternam, magna ſequeretur perturbatio in familiis & in tota Republica; re enim familiari dilapidatâ, filii convenienter non inſtituerentur, nec decenter collocarentur; qui in Republica aliorum curam gerunt, ut Magiſtratus, Paſtores, officio ſuo, ut par eſt, defungi non poſſent, utpote minus liberales & munifici, ſed contra undique corradentes propter conſanguineos, quæ ſubditorum animos à Præpoſito prorsùs avertunt, & multorum malorum ſeminaria exiſtunt, inquiunt Patres Tridentini, ſeſſ. cap. 1. de Reform.

Q. 9°. *Quinam ſunt effectus charitatis?*

R. Alii ſunt interni, alii externi. Interni ſunt amor, gaudium, pax, quæ ex ſervato ordine efflorescit, & triſtitia propter Dei offenſam. Externi ſunt beneficentia, quâ alteri ex affectu charitatis confertur beneficium, eleemoſyna & correctio fraterna: illa temporalem proximi miſeriam ex commiſeratione expellere nititur, iſta ſpiritualem.

Q. 10°. *Quando facienda eſt eleemoſyna?*

R. Quando proximus eſt in neceſſitate.

Q. 11°. *Quotuplex eſt neceſſitas?*

R. Triplex: Communis, qualis est mendicantium; gravis, quando proximus à suo statu caderet, nisi ei subveniretur; extrema, quando proximus est in periculo mortis. Ex superfluo juvandi sunt mendicantes & alii qui necessitatem communem patiuntur: ex aliquâ parte necessarii ad statum iis subveniendum est, qui in gravi sunt necessitate constituti: ex proprio statu decidendum, si necesse sit, ut subveniatur extremâ necessitate laborantibus. Hinc peccant qui superfluum sui statûs consumunt in ludo, comessationibus, & aliis superfluitatibus, quibus in Baptismo abrenunciavimus.

Q. 12°. *Correctio fraterna estne necessaria necessitate præcepti?*

R. Est necessaria necessitate præcepti tum naturalis, tum divini positivi, tum ecclesiastici. Naturalis quidem, quia præceptum est diligere Deum ex toto corde, & proximum sicut seipsum; atqui diligere ex dictis est bene velle & bene facere dilecto, amovendo malum ab ipso, si fieri potest. Porrò peccatum lethale est grave malum tum Dei, utpote gravis ejus offensa, tum proximi, cùm spiritualiter occidat animam, & reatum æternæ damnationis inducat: ergo si lege naturali tenemur per eleemosynam subvenire proximo corporaliter indigenti, à fortiori per correctionem spiritaliter periclitanti; nam ex Philosopho, lib. 9. Ethic. c. 3. magis in moribus quàm in facultatibus ferendum est auxilium.

Correctio fraterna est etiam necessaria necessitate præcepti divini positivi, Lev. 19. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè argue eum, ne habeas super illo peccatum.* Matth. 18. *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Quæ posteriora verba lethale peccatum arguunt in eo qui non corripit occasione opportunâ. Ita S. Augustinus serm. 82. aliàs 16. de Verbis Domini: *Tu vulnus fratris tui contemnis? Tu vides eum perire vel periisse, & negligis? Pejor es*

tacendo quàm ille conviciando.

Denique correctio fraterna est præcepti ecclesiastici, C. *Qui alios*, Tit. *de Hæreticis. Qui alios, cùm patet, ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat.*

Q. 13°. *Correctio estne omnibus præcepta?*

R. Quæ sit cum auctoritate pertinet ad solos superiores; quæ verò sit ex fraterna charitate, est omnibus omninò hominibus præcepta, tum superioribus, tum subditis, si sit spes emendationis, quia præceptum charitatis ad omnes se extendit; *unicuique mandavit* (Deus) *de proximo suo*, Eccli. 17.

Q. 14°. *Quandonam obligat præceptum correctionis fraternæ?*

R. Quando occurrunt quatuor circumstantiæ. Prima, quando constat de peccato proximi præsertim mortali, scriptum quippe est Eccli. 10. *Priusquam interroges, non vituperes quemquam.* Unde scrupulosi, qui solent deprehendere malum ubi non est, non debent facilè alios corrigere. Secunda, quando spes aliqua affulget correptionis profuturæ; sicut enim remedia quæ prævidentur fore inutilia, non sunt corporibus adhibenda, maximè si subsit periculum ne noceant, ita nec correctio fraterna (fraternam dico, non judicialem) ubi nulla est emendationis spes, nequidem dubia; tum enim ferè semper periculum subest ne proximus deterior fiat. Tertia, quando nullus adest magis idoneus, v. g. superior, qui possit & velit corrigere; dico *& velit*, si enim noluerit aut contempserit, perindè est ac si nullus adesset. Quarta, quando non speratur tempus correctionis opportunius; si enim commodius & utilius proximo foret eam differre, differenda esset; cùm ejusmodi dilatio non sit occasio cupiditatis, sed consilium charitatis, ut loquitur S. Augustinus lib. 1. de Civ. Dei, cap. 9.

Q. 15°. *Quanam peccata sunt charitati opposita?*

R. 1°. Omnia peccata dici possunt charitati opposita saltem indirectè. Mortalia quidem, quia destruunt charitatis habitum, & actum ejus excludunt:

venialia etiam, quia licèt charitatis habitum non destruant nisi dispositivè, ejus tamen actum excludunt, & fervorem minuunt; nam ex S. Augustino, ubi major cupiditas, minor est charitas.

R. 2°. S. Thomas à q. 34. ad q. 43. numerat decem peccata quæ directè & formaliter pugnant adversùs proprios charitatis actus, qui sunt amor Dei & proximi, gaudium de bono Dei & proximi, pax & correctio fraterna. Amori Dei & proximi opponitur odium sive Dei sivè proximi: gaudio de bono Dei, tristitia, seu acedia, gallicè, *dégoût des choses spirituelles*: gaudio de bono proximi, invidia: paci, discordia, quæ est voluntatum contrarietas, contentio seu verborum contrarietas cum inordinata acrimonia, rixa, quæ est pugna manuum & verborum, ita ut ex contrarietate voluntatum oriatur pugna verborum quæ dicitur contentio, & ex pugna verborum pugna verberum; seditio quoque, bellum injustum & schisma pacem solvunt. Denique adversùs correctionem pugnat scandalum.

Q. 16°. *Quid est scandalum?*

R. Definitur à S Thomâ q. 43. art. 1. & ex aliis communiter Theologis, dictum vel factum minùs rectum præbens alteri occasionem ruinæ. Hæc definitio desumpta est ex S. Hieronymo in caput 15. Matth.

Dicitur 1°. *Dictum vel factum*; quia sola voluntas nisi exteriùs se prodat dictis vel factis, non potest esse aliis offensio. Nomine autem dicti & facti intelligitur etiam externa omissio; qui enim omittit loqui & agere cùm deberet, v. g. subditum blasphemantem corrigere, aut aliquod præceptum implere, est aliis scandalo, iisque præbet peccandi occasionem.

Dicitur 2°. *Minùs rectum*, sive illud sit per se malum, sive habeat dumtaxat speciem mali; species enim mali æquè inducit ad peccandum ac malum ipsum; imò si res per se mala haberet speciem boni, non moveret alios ad peccandum,

v. g. incæstus, qui domum consanguineæ frequenter ingreditur sub specie negotii necessarii, neminem scandalizat: contrà verò Clericus qui apud se juniorem puellam retinet, quamvis castimoniam illibatè servet, nihilominus aliis est malo exemplo & offendiculo, quia factum habet speciem mali: *Pudicitiæ bonum*, inquit S. Cyprianus, vel quivis auctor lib. de singularitate Clericorum, *frustra intrinsecùs laborioso agone custodit, quod forinsecùs efficit infamari ... PEJUS EST QUAM MOECHARI, continentiam ducere criminosam, & infamem ferre sanctimoniam.*

Dicitur 3°. *præbens alteri occasionem ruinæ*; quia necesse non est ad rationem scandali, ut ruina actu sequatur, sed satis est quòd ruinæ detur occasio.

Q. 17°. *Quotuplex est scandalum?*

R. Duplex, alterum datum sive activum, cujus mox definitionem attulimus: alterum acceptum seu passivum, quod est effectus scandali activi, seu peccatum, cujus causa fuit scandalum datum.

Q. 18°. *Quotuplex est scandalum datum?*

R. Duplex, scilicet directum & indirectum: directum, cùm quis dictis vel factis proximum in ruinam impellere intendit, putà in fornicationem, detractionem, &c. Indirectum, cùm quis non intendens ruinam proximi, nonnulla dicit aut facit in proprium commodum aut animi oblectamentum, quæ tamen sunt alteri occasio peccati.

Q. 19°. *Quotuplex est scandalum passivum seu acceptum?*

R. Duplex: alterum dicitur pusillorum, quod ex proximi ignorantia aut infirmitate oritur propter dictum aut factum alterius: alterum Pharisæorum, quod nascitur ex sola malitia accipientis. Ideò autem dicitur Pharisæorum, quia insignis fuit eorum malitia, quâ ex dictis & factis Christi Domini ab omnibus evidenter probandis & laudandis peccandi occasionem sumpserunt.

Q. 20°. *Scandalum datum estne peccatum?*

R. Ex genere ſuo eſt peccatum lethale, & quidem ſpecie diſtinctum, etiamſi indirectè datum, quia pugnat contra ſpecialem virtutem, ſcilicet charitatem proximi, cui eſt occaſio ruinæ. *Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis qui in me credunt*, inquit Chriſtus Matth. 18. *expedit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Væ mundo à ſcandalis.* Similia habet Apoſtolus, 1. Cor. 8. in quem locum S. Chryſoſtomus hom. 21. ſcribit quovis vulnere gravius eſſe ſcandalizare ſeu offenſionem afferre.

Ergo ſatis non eſt ut quis in Confeſſione ſacramentali exponat ſe obſcæna colloquia habuiſſe, fornicatum fuiſſe aut furatum cum aliis; ſed tenetur inſuper explicare an auctor fuerit ejuſmodi colloquiorum aut fornicationis & furti aliorum; ſi enim aliis fuit cauſa ruinæ, dupliciter peccavit, 1°. contra charitatem, per ſcandalum ab ipſo datum; 2°. contra caſtitatem in primo & ſecundo exemplo, & contra juſtitiam in tertio. Imò ſcandali peccatum in eo multiplicatur pro numero eorum quibus dedit occaſionem peccandi, quemadmodum reus eſſet duplicis homicidii, qui uno ictu interficeret duos homines. Ita Navarrus Man. 6. num. 19. & alii.

Ergo fruſtra in ſui excuſationem opponunt nonnulli quòd ſoli infirmi & imbecilles eorum dictis vel factis offendantur, ait enim Chriſtus cit. c. 18. v. 10. *Videte ne contemnatis unum de puſillis iſtis.* Nec Scripturæ, nec SS. Patres meminêre ſcandali fortium, ſed infirmorum dumtaxat: fortes quippè & in virtute roborati non ſolent ſcandalizari.

TRACTATUS DE JURE ET JUSTITIA.

CAPUT I.

De Juris notione & divisione.

Q. 1°. *Quid est Jus?*

R. Omissis variis ejus acceptionibus, jus prout hîc sumitur, definitur, facultas quam habet quis ad utendum re aliquâ, vel ad eam obtinendam in judicio, vel ad eam retinendam.

Q. 2°. *Quamodo Jus dividitur?*

R. Dividitur in jus in re & in jus ad rem.

Jus in re est potestas legitima in re obtentâ, tanquam suâ, dicitur que jus reale.

Jus ad rem est potestas legitima ad rem obtinendam sibique obligandam, qualis contingit per stipulationem, donationem vel emptionem ante traditionem rei.

Jus in re dat actionem in rem ipsam: jus verò ad rem in personam dumtaxat. Unde si res tibi vendita sit, & tradita quocumque transeat, potes eam vindicare, non verò si non fuerit tradita, sed solùm habes actionem personalem in venditorem, ut tradat quod tibi vendidit.

Q. 3°. *Quanam sunt species juris in re?*

R. Dominium, ususfructus, servitus, jus hypothecæ & pignus, emphyteusis, feudum, libellus, superficies & possessio.

Q. 4°. *Quotuplex est dominium?*

R. Duplex

R. Duplex, nempe dominium jurisdictionis, & dominium proprietatis.

Dominium jurisdictionis est potestas gubernandi subditos, quo sensu Principes domini dicuntur, sed de hoc dominio hîc non agitur.

Dominium proprietatis est jus in re se extendens ad omnem ejus usum & dispositionem, nisi lege prohibeatur: nam pupillus v. g. licèt sit dominus, ut habetur Gal. 4. lege prohibetur alienare sua bona usque ad certum tempus.

Q. 5°. *Quid est ususfructus?*

R. Est jus utendi, fruendi rebus alienis, salvâ earum substantiâ. Sic locator utitur & fruitur domo alienâ, sed non potest eam destruere aut alteri vendere, quemadmodum dominus proprietatis.

Q. 6°. *Quid est usus?*

R. Est jus utendi tantùm re alienâ ad suum, non verò ad alienum usum. Unde multò minùs juris comperit usurario quàm fructuario; qui enim fundi nudum habet usum, nihil ampliùs habere intelligitur quàm ut oleribus, pomis, feno ad usum quotidianum utatur, nec ex iis quidquam potest alteri donare aut vendere sicut usufructuarius.

Q. 7°. *Quid est emphyteusis?*

R. Est contractus quo res aliqua immobilis utenda, fruenda ac melioranda traditur sub certa pensione; unde nomen illud emphyteusis deducitur à verbo græco, quod latinè significat *insero*, vel *consero*, quia hic contractus inventus est ut agri steriles & inculti meliorentur, quod fit serendo, plantando.

Q. 8°. *Quid est feudum?*

R. Est contractus quo traditur res immobilis pro fidelitate & servitio personali exhibendo, retentâ proprietate, ut si Rex det castrum viro nobili. Feudum autem dicitur à fide seu fidelitate: qui dat dicitur infeudator; & qui accipit, vassallus, seu feudatorius.

Q. 9°. *Quid est libellus?*

R. Est contractus quo emphyteuta aut vassallus rem emphyteuticam vel feudalem ab aliquo acceptam dat tertio in emphyteusim aut feudum.

Q. 10°. *Quid est superficies?*

R. Est jus quo quis habet superficiem fundi alieni, atque in eo ædificare potest. Proprietas autem domûs superficiariæ pertinet ad dominum fundi; sed superficiarius habet dominium utile, seu usumfructum.

Q. 11°. *Quid est servitus?*

R. Est jus quod quis habet in re aliena ut sibi serviat, v. g. per agrum alterius transeat, vectet, aquas in alienum fundum deducat.

Q. 12°. *Quotuplici modo accipitur possessio?*

R. Duplici, 1°. materialiter pro re possessa, quo sensu ager dicitur possessio. 2°. Formaliter pro actu vel jure possidendi. Actus possidendi dicitur possessio facti; jus verò possidendi, possessio juris.

Q. 13°. *Quomodo definitur possessio facti?*

R. Definitur, detentio rei adminiculo corporis & animi, & juris.

Dicitur 1°. *Detentio rei*, sive corporeæ, ut agri, sive spiritualis, ut beneficii.

Dicitur 2°. *Adminiculo corporis*, quia ut res incipiat possideri, debet aliquo modo apprehendi vel in se, ut pedum positione, à qua dicitur possessio, vel scripturâ seu instrumento, in quo res ipsa contineri censetur.

Dicitur 3°. *Et animi* adminiculo, quia debet apprehendi animo possidendi; unde tutor non habet possessionem bonorum pupilli, quia non sibi ea retinet.

Dicitur 4°. *Et juris* adminiculo, non quòd omnis possessio justa sit, sed quia jus facit ut ab illa detentione, si per tempus fuerit pacifica, possessor deturbari non possit sine auctoritate publica.

Dixi, *Si per tempus fuerit pacifica*, quia possessor expulsus à sua possessione, potest eam repetere, modò id fiat statim & non ex intervallo.

Usitatissima est divisio possessionis in civilem & naturalem.

Civilis est detentio rei adminiculo solius animi; quamvis enim ad inchoandam possessionem civilem opus sit adminiculo corporis & animi, tamen ad illam continuandam sufficit animus eam retinendi. Hoc modo absens possidet domum quam semel apprehendit, quia eam retinet animo.

Possessio naturalis potest conjungi cum civili, ut quando quis est præsens per se vel per alium rebus quas civiliter possidet, diciturque civiliter & naturaliter possidere, & hæc possessio est firmissima: potest etiam esse separata à civili, ut si invasor occupet rem tuam immobilem, ille naturaliter possidet, tu vero civiliter.

Q. 14°. *Quinam sunt fructus possessionis?*

R. Plures in jure recensentur, sed præcipuus est usucapio seu præscriptio.

Q. 15°. *Quid est præscriptio?*

R. Definitur, acquisitio dominii & juris per possessionem legitimo tempore continuatam ex legis præscripto.

Q. 16°. *Præscriptio valetne in foro etiam interiori, ita ut qui legitimè præscripsit, non teneatur in conscientia restituere priori domino repetenti rem præscriptam?*

R. Affirmativè, probaturque tum ex definitione allata, tum ex Jure civili, tit. de Usucapionibus, & Jure canonico, tit. de Præscriptionibus.

Dices: Nemo privatur re suâ sine sua culpa aut voluntate: ergo.

Nego ant. Nam ex regulâ 23. Juris in *6. sufficit aliqua causa, nimirum si ratio boni publici id exigat.*

Q. 17°. *Quæ conditiones requiruntur ad legitimam præscriptionem?*

R. Quinque. Prima, ut res quæ præscriptione acquiritur, à jure non prohibeatur præscribi; nequeunt autem præscribi quæ sunt contra jus naturale vel divinum, ut habetur capite ultimo Extravag. de Consuetudinibus.

Secunda, ut res quæ præscribitur, possideatur; nam sine possessione præscriptio non procedit, ex regula 3. *de Regulis juris*, in Sexto.

Tertia, ut sit legitimus titulus, sive verus, sive probabiliter præsumptus & coloratus, id est qui bonâ fide putatur validus, etsi talis non sit in rei veritate: titulus autem dicitur ratio propter quam quis censetur justè possidere rem aliquam. Possideo v. g. hunc librum, quia illum emi à vero domino; coloratus verò, si emi ab eo quem putabam verum dominum, cùm non esset. Porrò titulus requiritur ad præscriptionem longi temporis, scilicet triennii in rebus mobilibus, decennii & vicennii in immobilibus: non requiritur autem saltem ordinariè ad præscriptionem longissimi temporis, hoc est triginta & quadraginta annorum.

Quarta, ut sit bona fides; nam possessor malæ fidei non præscribit ullo tempore, ex regula 2. *de Regulis juris*, in Sexto.

Quinta denique, ut sit tempus sufficiens ad præscribendum, ex tit. Extra de præscriptionibus.

Q. 18°. *Dubitatio impeditne bonam fidem & præscriptionem?*

R. 1°. Dubitatio; quæ omnem possessionem præcedit, impedit bonam fidem, quia in dubio favendum est possessori.

R. 2°. Dubitatio possessioni superveniens non impedit bonam fidem, quia in pari causa potior est conditio possidentis, ex regula 65. *de Regulis juris*, in Sexto; tamdiu enim bonæ fidei possessor rectè dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum, ex cap. *Si virgo*, causâ 34. q. 1.

Dices: per litis contestationem interrumpitur possessio, etiamsi bonâ fide inchoata sit; ergo & per dubitationem interrumpitur.

Nego conseq. ideo enim per litis contestationem interrumpitur præscriptio, quia impeditur pacifica possessio quæ requiritur ad præscriptionem: at dubitatio pacificam possessionem non interrumpit.

Q. 19°. *Quale tempus requiritur ad præscribendum* ?

R. 1°. Res mobiles cum titulo per possessionem triennalem bonâ fide continuatam, præscribuntur, Institut. parag. 1. tit. de Usucapionibus.

R. 2°. Res immobiles privatorum inter præsentes cum titulo præscribuntur decennio, inter absentes vicennio.

Dixi, *privatorum*; nam ex cap. *Illud*, cap. *Quia*, & cap. *Ad aures*, tit. de Præscrip. requiruntur quadraginta anni ad præscribendum contra Ecclesiam distinctam à Romana.

De aliis acquirendi modis egimus tom. 4. quem operæ pretium est consulere; non enim satis abbreviari possunt quæ ibi dicuntur de occupatione bestiarum & venatione, de inventis thesauris, & rebus recens perditis, an fiant occupantis.

CAPUT II.

De definitione & divisione justitiæ.

Q. 1°. *Quid est justitia* ?

R. Definitur à Jurisconsultis constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi; clariùs & magis ad Logicæ regulas definiri potest, virtus moralis firmans voluntatem ad perpetuò reddendum alteri jus suum ad æqualitatem.

Q. 2°. *Quotuplex est justitia* ?

R. Triplex, nempe legalis, distributiva & commutativa.

Q. 3°. *Quid est justitia legalis* ?

R. Est virtus firmans voluntatem ad tribuendum Reipublicæ debitum, scilicet procurando bonum Reipublicæ præ bono privato.

Q. 4°. *Quotuplex est justitia legalis* ?

R. Duplex. Prima dicitur imperans & nomotetica; secunda exequens seu ministerialis. Illa residet in Principe vel in Magistratu & superiore,

quatenus dirigit actus sibi subditorum ad bonum commune : hæc in civilibus & inferioribus, quando amore boni communis obediunt & observant ea quæ legibus continentur.

Ergo sicut charitas comites habet omnes virtutes, quia proprius ejus affectus est servare omnia mandata, juxta illud Joan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit ;* sic nec justitia legalis consistere potest sine cæteris virtutibus, cùm omnes concurrere debeant ad bonum publicum.

Ergo rara est admodum justitia legalis ; quis enim subditus amore boni publici obedit Magistratibus ? quis capessit dignitatem aut aliquod officium in republica, intuitu boni publici ? Nonne ista quæruntur aut emuntur, si emere liceat, quomodo emeretur aliquis fundus propter proprium commodum ? Quid attendunt plerique in dignitatibus constituti, nisi quid & quantum propter illas ipsis debeatur, quanta obedientia, quantus honos, quanta retributio, aut quantus proventus ? Atque utinam hujusmodi vitia usque ad Sanctuarium non penetrarent.

Q. 5°. *Quid est justitia distributiva ?*

R. Est virtus moralis inclinans eum qui communitati præest ad distribuenda officia & præmia juxta meritum, si sit remuneratoria, vel ad irrogandas pœnas juxta modum culpæ, si sit vindicativa.

Q. 6°. *Quid est justitia commutativa ?*

R. Est virtus moralis inclinans privatum ad reddendum alteri privato quod suum est, juxta proportionem arithmeticam, seu ad æquale.

Q. 7°. *Quid est proportio arithmetica ?*

R. Est proportio numeri ad numerum ; arithmetica enim deducitur à verbo græco, quod latinè significat numerare : proportio autem in numeris servatur, quando æquantur, ut duo & duo. Unde si debeantur centum nummi decem creditoribus, justitia commutativa exigit ut singulis distribuantur decem nummi, nec plures nec pauciores. Atque

in eo differt justitia commutativa à justitia distributiva, quòd ista non servet proportionem arithmeticam, sed geometricam tantùm, in qua non confertur numerus cum numero, sed una proportio cum altera proportione, ut si centum nummi sint distribuendi militibus secundùm eorum dignitatem & meritum, & ille cujus dignitas est ut duo, accipere debeat sex nummos, alter, cujus dignitas est ut quatuor, debet juxta justitiam distributivam accipere duodecim. In hâc distributione non servatur proportio arithmetica, sed quinque & duodecim sunt numeri inæquales; sex in ea reperitur proportio geometrica, sicut enim sex duabus partibus superant duo, pari proportione duodecim superant quatuor.

Ergo justitia distributiva non confert rem cum re, quemadmodum justitia commutativa, sed meritum & dignitatem unius personæ cum merito & dignitate alterius.

Ergo justitia commutativa non attendit dignitatem & meritum personarum, quemadmodum justitia distributiva, sed exæquat debitum cum jure creditoris, sive iste sit pauper aut dives, sive justus aut peccator: *Nulla erit distantia personarum*, ait Dominus, Deut. 1. cap. 17. *ita parvum audietis ut magnum, nec accipietis cujusquam personam.* Hinc justitia commutativa vocari solet æquitas, seu æqualitas; quia proprium ejus est æquare debitum cum jure, pretium cum merce, restitutionem cum damno illato. Contra verò justitia distributiva spectat ad meritum & dignitatem, ita tamen ut non exæquet præmium cum merito recipientis, sed proportionem dumtaxat servet, ut qui plus habet meriti, plus quàm cæteri accipiat, proportione servatâ. Unde Episcopus digniorem eligens ad Beneficium vacans; justitiam distributivam servat, licèt electus omnium judicio ampliùs mereatur; quia in ejusmodi distributione non exæquatur Beneficium cum merito accipientis, in quo consistit proportio arithmetica, sed confertur ejus meritum

cum aliorum longè inferiore, ac proinde iis præfertur, ſervatâ proportione geometricâ.

CAPUT III.

De peccatis juſtitiæ oppoſitis.

Q. 1°. *Quodnam eſt peccatum juſtitiæ diſtributivæ oppoſitum?*

R. Acceptio perſonarum, ut habetur Jacobi 2.

Q. 2°. *Quomodo definitur acceptio perſonarum?*

R. Definitur, peccatum quo in diſtributione bonorum communium non attenditur cauſa ſeu titulus cur aliquis plus minùſve debeat accipere, ſed altera ratio ad prædictam diſtributionem non pertinens, ut ſi Magiſtratus aut Prælatus, omiſſis dignioribus, conferat minùs dignis officia Reipublicæ vel Eccleſiæ beneficia, quia ſunt conſanguinei aut amici.

Q. 3°. *In quorum bonorum diſtributionibus locum habet acceptio perſonarum?*

R. Locum habet.

1°. In exhibitione honoris. Titulus autem ob quem debetur alicui honor, eſt excellentia naturæ rationali congruens, quæ conſiſtit in ſapientia, virtute & gradu dignitatis, quam quis obtinet in Republica; nullæ enim aliæ perfectiones reddunt hominem excellentem & honore dignum; unde S. Jacobus, citato loco, carpit eos qui honorem deferunt diviti propter ſplendidam ejus veſtem.

2°. In diſtributione onerum Reipublicæ; hæc enim juſtâ proportione diſtribui debent, cùm quilibet jus habeat ne nimis gravetur; neceſſariò autem quidam nimis gravantur ubi non ſervatur juſta proportio.

3°. In diſtributione officiorum ſæcularium; hæc enim ſunt bona quædam communia Reipublicæ

instituta in ejus commodum, quorum distributio pertinet ad Principem, unde tenetur jure naturæ maximè idoneis & Reipublicæ utilibus ea conferre.

4°. In electione & præsentatione ad beneficia ecclesiastica, ac in eorum collatione, resignatione & permutatione; ista quippè sunt communia Ecclesiæ bona dignioribus distribuenda.

Q. 4°. *Quale est peccatum acceptio personarum?*

R. Ex genere suo est mortale, quia fit cum injuria proximi; potest tamen esse veniale ob levitatem materiæ.

Q. 5°. *Estne peccatum lethale elicere vel præsentare ad Beneficia minùs dignos, spretis dignioribus?*

R. Affirmativè, si quæstio sit de Beneficiis quibus cura animarum est annexa. Ita enim declaravit Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 1. de reform. Cùmque recentiores nonnulli, quos Casuistas vocant, Decretum Concilii tam claris verbis conceptum depravarent hâc suâ interpretatione, nempè Concilium, vel per DIGNIORES significare voluisse dignos, sumpto comparativo pro positivo, ut excluderet solummodò indignos; vel intelligendum quando fit concursus, in quo digniores ex justitia præferendi sunt ob fidem eis datam, Innocentius XI. anno 1679. & Clerus Gallicanus, anno 1700. ejusmodi interpretationem damnarunt ut scandalosam, perniciosam & Decreto Concilii Tridentini contrariam.

De aliis Beneficiis sine curâ non ita constat apud Theologos, nonnulli enim existimant ea absque peccato lethali posse conferri verè dignis, spretis dignioribus. Verùm illa sententia absolutè & universaliter falsa est, januamque multis abusibus & corruptelis aperit. Quare meritò rejicitur à sancto Antonio, 2. parte, tit. 1. cap. 22. parag. 1. à Covarruvia, 2. parte, parag. 7. num. 4. à Cajetano, q. 67. art. 2. à Navarro, de oratione Missel. 38. & ab aliis, quibus Lessius ex parte astipulantur l. 2. de Beneficiis, c. 34. dub. 13. num. 66. scribitque grave

esse peccatum, si ejusmodi Beneficia ordinariè conferantur minùs dignis; quia patroni peccant in re magni momenti contra intentionem fundatoris & fidelitatem quam debent Ecclesiæ. Magni enim interest ad Religionis christianæ decus, ut divina Officia quàm decentissimè ac devotissimè celebrentur, Canonici præsertim Cathedralium Ecclesiarum doctrinâ & pietate præluceant, Episcopi cooperatores esse possint, meritòque Ecclesiæ Senatus dicantur, quemadmodùm loquitur Concil. Trident. sess. 24. cap. 11. de reform. ubi propterea expetit ut saltem dimidia pars Canonicatuum in Cathedralibus Ecclesiis & Collegiatis insignibus conferatur tantùm Magistris & Doctoribus aut Licentiatis in Theologia vel Jure canonico. Sed ista fusiùs prosecuti sumus tom. 4. cap. 3. de jure, & ubi confutavimus quæ contra solent objici.

Q. 6°. *Acceptio personarum inducitne restituendi obligationem?*

R. Non inducit, nisi cum justitia distributiva concurrat (ut nonnumquam contingit) justitia commutativa, quia privati quantumcumque digni, non habent jus strictum ad bona Reipublicæ communia, v. g. ad officia & beneficia, liberumque est Superiori ex dignis aut dignioribus eligere quos voluerit, quemadmodum qui accepit pecunias pauperibus distribuendas, si in distributione aliquos prætermittit, non facit illis injuriam, nec isti habent potestatem exigendi partem pecuniæ distribuendæ, quia liberum est distribuenti eligere quos voluerit pauperes.

Dixi, *nisi cum justitia distributiva (ut nonnumquàm contingit) concurrat justitia commutativa*; quia si ista violetur, dispensator restituere tenetur, ut patet sequentibus exemplis.

1°. Cùm Magistratus oneribus, tributis, militum hospitio privatos gravat, nec in his servat proportionem; privatus enim quilibet jus strictum habet ne supra facultates suas gravetur. Quare

Magiſtratus tenetur ad reſtitutionem, ſi ut ſeipſum, parentes, familiares amicos levet, alios premit.

2°. Quando in concurſu minùs dignum præfert digniori; per concurſum enim Superior cum iis qui ſe offerunt, iniit pactum dandi Beneficium ei qui ſuperaverit: ex pacto autem naſcitur jus ſtrictè ſumptum.

3°. Quando bona communia ſunt ſpecialiter aliquibus deſtinata, contra juſtitiam commutativam peccaret qui ea aliis diſtribueret. Dux v. g. qui ſecundùm intentionem Principis debet diſtribuere ſpolia urbis expugnatæ militibus qui eam expugnarunt, tenetur ex juſtitiâ commutativa iiſdem dividere ſpolia juxta proportionem geometricam, dando dupliciter ei qui habet meritum duplo majus; aliàs injuſtus eſt, teneturque ad reſtitutionem. Idem ſentiendum de Prælato qui nollet conferre Beneficium digno qui ad illud electus eſt aut nominatus à patrono; hic enim jus habet ad rem.

Ergo nulla peccata quantùmcumque gravia inducunt obligationem reſtituendi, niſi pugnent adversùs juſtitiam commutativam, violentque jus, ſive in re, ſive ad rem. Exemplis elucidatur propoſitio: Petrus ex odio quo flagrat in Paulum, non impedit, cùm poſſit, ne bona ejus à prædonibus diripiantur, ne ager ejus devaſtetur, vel amicum deducit à conſilio eidem Paulo opitulandi; quæritur an Petrus teneatur ad reſtitutionem. Diſtinguendum eſt: ſi Petrus in primo exemplo tenebatur ex officio impedire, ut Magiſtratus, cuſtos agrorum, obnoxius eſt reſtitutioni, quia peccavit contra juſtitiam commutativam, quatenus iniit contractum cum Republica, quo ſe obſtrinxit arcere prædones; ſecùs, ſi ex ſola charitate id præſtare tenebatur. Similiter diſtinguendum eſt in ſecundo exemplo: Petrus avocavit amicum vel mendaciis & aliis malis artibus, vel non, ſed ſolis precibus; ſi primùm, tenetur reſtituere, quia jus habet proximus ne mendacia ſibi noxia componantur; ſi ſecundùm, non tenetur,

nisi fortè amicus ex officio debuerit opitulari, quia non violavit justitiam, sed charitatem dumtaxat.

Ergo injustitia propriè & strictè sumpta, restituendi obligationem pariens, est violatio juris alieni, sive jus illud sit in re, sive sit ad rem tantùm. Cùm autem triplicis generis sint bona proximi in quæ jus strictum habet, scilicet vitæ, famæ & fortunæ, triplicis quoque generis sunt peccata justitiæ commutativæ opposita, nempè homicidium, mutilatio, quibus eripitur vita & personæ incolumitas ac libertas; calumnia, detractio, contumelia, &c. quibus læditur fama & honor; furtum, rapina, fraus, dolus, &c. quibus affertur documentum in rebus fortunæ.

Ergo injustus est qui pro ejusmodi damnis proximo illatis restituere, & pro iis satisfacere, quantùm potest, non satagit, quia non reddit alteri quod suum est.

Ergo præceptum restituendi negativum est, licèt sonet aliquid positivum; quia præceptum negativum dicitur quod prohibet malum; atqui præceptum restituendi primariò prohibet retinere rem proximi, ipso invito, quod est per se malum: ergo.

Dixi *quantùm potest*; qui enim totum restituere non valet, quam potest partem restituere tenetur.

Ergo qui restitutionem differt, v. g. solvere debita, domino rationabiliter invito, continuò peccat, quia continuò malè facit, teneturque exponere in confessione sacramentali, quamdiu fuit in mora culpabili, quoties vel occurrit occasio restituendi, quam neglexit, vel advertit se esse injustum detentorem rei alienæ, nec seriò proposuit eam quamprimùm restituere aut pro ea satisfacere. Quin si proximus ex hujusmodi injusta dilatione nova damna passus est, ea resarcire tenetur. Hæc attendere debent Confessarii, præsertim in Nobilibus, qui ære alieno gravati sumptibus parcere non curant, magno mercatorum & artificum dispendio, cujus injustitiæ plures conscii Sacramenta indignè per-

cipiunt, eorumque confessiones sunt iterandæ.

Q. 7°. *Quo sensu accipi debet ista regula Juris, in Sexto: Scienti & consentienti non fit injuria?*

R. Sensus est eum qui accipit aut detinet rem alienam, domino nullatenus invito nec decepto, non peccare contra justitiam, quia non violat jus alterius; qui enim cedit jure suo, perindè est ac si gratis donaret quod suum est.

Dixi 1°: *Domino nullatenus invito*: satis enim non est ut absolutè velit, & secundùm quid nolit; ut si concedat metu, putà incurrendi offensam potentioris, non obtinendi jus quod in judicio postulat; vel aliquâ necessitate pressus; si v. g. indigeat mutuò accipere aut habere longiorem terminum ad solvendum, ac propterea munera largiatur, usuras condonet, contractum certum & nulli periculo obnoxium viliori pretio offerat. Una omnium Theologorum vox est eum injustum esse qui ex alienis incommodis sua comparat commoda, quia invitus secundùm quid non cedit jure quod habet disponendi de re suâ cum plena voluntate & libertate.

Dixi 2°. *Nec decepto*; quia error & ignorantia impediunt voluntarium, ut patet ex ejus definitione; voluntarium quippè est quod procedit à principio interno cognoscente singula in quibus est actio: ergo qui in commutationibus seu contractibus consensum alterius obtinet per fraudem & circumventionem, facit illi injuriam; & restituere tenetur, quantùm sua interest non fuisse deceptum. Cùm autem ejusmodi malæ artes diversis modis pro diversitate contractuum contingant, operæ pretium est de contractibus dicere.

Caput IV.

De Contractibus in genere.

Q. 1°. *Quid est contractus ?*

R. Definitur perfectus actus externus inter duos vel plures ex eorum consensu ultrò citròque obligationem pariens ; excipe tamen contractus imperfectos seu non reciprocos, ut sunt donatio & promissio, in quibus solus donans aut promittens se obligat.

Q. 2°. *Quanam impedire possunt consensum in contractu requisitum ?*

R. Tria, 1°. Lex quæ vel absolutè reddit personas inhabiles ad contrahendum, putà tutorem cum pupillo, conjugem cum uxore, & viciſſim ; vel non permittit contrahere nisi sub certis conditionibus seu solemnitatibus, v. g. matrimonium celebrare nisi in præsentia Parochi. 2°. Metus injustus cadens in constantem virum. 3°. Error seu dolus & fraus.

Q. 3°. *Defectus conditionis seu solemnitatis per legem appositæ redditne consensum irritum & consequenter contractum ?*

R. Si conditio seu solemnitas sit essentialis, irritat : secùs ; si sit tantùm accidentalis, multa enim prohibentur quæ facta tenent.

Q. 4°. *Quomodo cognoscitur conditionem per legem contractui appositam esse essentialem aut accidentalem ?*

R. Colligitur esse essentialem, 1°. ex verbis ipsius legis, ut si expresè pronuntiet contractum esse nullum, ex eo non posse peti debitum sive in judicio sive extra judicium ; si obliget eum ad restituendum, qui ex tali contractu quidpiam accepit. 2°. Si posito quòd constaret legislatori nullam in contractu fuisse fraudem, v. g. in matrimonio clandestino, nihilominùs contractum declararet

esse irritum. Censetur verò accidentalis solemnitas quando per legem ita præcipitur, ut eâ tamen omissâ, contractus non habeatur nullus.

Ergo præceptum præmittendi matrimonio tres denunciationes, prohibitio celebrandi matrimonium tempore quadragesimali, pertinent ad solemnitates accidentales tantùm, cùm sine iis matrimonium non sit irritum, sed illicitum dumtaxat. Contra verò præsentia Parochi, aut alterius Sacerdotis de Parochi vel Episcopi consensu, & duorum testium, est essentialis matrimonio, cùm sine ea nullum sit matrimonium.

Ergo solemnitates præscriptæ pro testamentis & legatis sunt essentiales, cùm iis omissis testamenta & legata in foro externo declarentur nulla, ita ut hæredes in conscientia non teneantur ea exequi, etiamsi apud eos constet de voluntate testatoris, modò tamen ipsi viventi non promiserint se vota ejus impleturos; ex ejusmodi enim promissione obligantur, si testator poterat dare. Utrùm autem Legata ad pias causas sint excipienda, penes est judicem. Consule quæ in hanc rem diximus tom. 4. de Donationibus.

Ergo secundùm plures leges municipales, donationes conjugem inter & uxorem nullum effectum pariunt, & bona sic accepta hæredibus sunt restituenda etiam ante sententiam judicis, quia ejusmodi donationes iisdem legibus declarantur irritæ. Quare locorum consuetudines tam pro testamentis & legatis quàm pro donationibus vel unius conjugis in gratiam alterius, vel parentum in gratiam unius liberi præ aliis dilecti, sunt omninò consulendæ & observandæ. Utrùm autem & quomodò fideicommissum possit esse licitum & validum, diximus tom. 4. loco citato.

Q. 5°. *Contractus per metum initus estne validus?*

R. Jure positivo contractus metu gravi & injusto initi irritari possunt; sed actu & de facto non sunt irriti, exceptis tamen quibusdam contrac-

tibus. Colligitur ex lege ultima, Cod. *de his qui vi.*

Dixi 1°. *Metu gravi ;* tùm quia ex Regula 144. de Reg. Juris in Sexto : *Vani timoris justa excusatio non est*, tùm quia metus levis non præsumitur dedisse causam contractui.

Dixi 2°. *Et injusto ;* nam si fuerit justè incussus ; contractus irritandus non est. Quare si quis ex justa sententia judicis cogatur matrimonium contrahere, firmum erit ejus matrimonium.

Dixi 3°. *Quibusdam contractibus exceptis ;* contractus enim matrimonii & professio Religionis ex metu gravi & injusto nullum pariunt effectum.

Q. 6°. *Valetne contractus ex errore vel dolo initus ?*

R. 1°. Si error vel dolus sit circa substantiam, ut si quis crederet emere vas aureum, cùm esset æneum, nullus est contractus, quia nullus est consensus ; numquam enim voluit emere vas æneum.

R. 2°. Si error sit circa accidentia tantùm, non irritat contractum, etiamsi eam causam dederit, tum quia adest sufficiens cognitio rei de qua contrahitur, & consensus in eam, tum quia vix nullus contractus validus foret, cùm ferè semper occurrant aliquæ circumstantiæ, quas si quis prævidisset, non contraxisset.

Si tamen dolus contigit ex altero contrahente, rescindendus est contractus, requirente parte deceptâ, & decipiens tenetur resarcire damna ex dolo secuta.

Sed si error contigit vel à parte decepta, vel à tertia persona, vel ab altero contrahente, sed sine ejus culpa, contractus rescindendus non est, saltem in foro conscientiæ, nec resarciendum damnum, quia non fuit injustè illatum, sed refundendus est excessus pretii, ut reponatur æqualitas.

Q. 7°. *Quam obligationem parit contractus ?*

Nota tripliceм esse obligationem. Prima dicitur naturalis tantùm, quâ quis obligatur in conscientia ; quamvis adversùs eum non detur actio in foro exteriori ; sic qui per quinque annos censum

annuum non solvit, naturaliter obligatur solvere, quamvis creditor qui per illud tempus repetere neglexit, actionem non habeat in foro externo adversùs debitorem. Secunda obligatio est civilis tantùm, datque actionem in foro externo, quamvis in conscientia non obliget : si emptor qui non potest proferre apocham, quâ constet ipsum solvisse pretium rei emptæ, civiliter obligatur ex contractu, cogiturque in foro externo iterum solvere. Tertia obligatio est naturalis simul & civilis, ligatque tam in foro conscientiæ quàm in foro externo. His præmissis.

R. Contractus parit obligationem naturalem & civilem, nisi fortè lex specialis prohibeat, quia contractus est lex quædam privata quam contrahentes sibi imponunt, cogunturque in foro externo fidem sibi mutuò datam servare.

Dixi, *Nisi fortè lex specialis prohibeat*; quia lege civili, instit. tit. de inutilibus stipulationibus, parag. *Pupillus*, minores ætate & pupilli pubertati proximi non obligantur civiliter, sed tantùm naturaliter, ità ut venditor pupillum qui sine tutoris consensu emit, invitum compellere non possit ad solvendum pretium, sed solùm ad reddendas merces, quæ si consumptæ fuerint absque dolo, pupillus in foro externo cogitur solùm solvere id quo factus est ditior. Dico *in foro externo*, quia naturaliter & in conscientia totum pretium refundere tenetur.

Extat etiam Edictum regium Ludovici XIII. promulgatum anno 1629. circa ludum aleæ, qui est species quædam contractûs, in quo Edicto sic sanxit Rex Christianissimus : *Nous défendons & interdisons à tous nos Sujets de recevoir dans leurs maisons les assemblées pour le jeu, qu'on appelle Académies ou Berlans : Déclarons à présent tous ceux qui y contreviendront, ou qui se prostitueront à un si pernicieux exercice, infames, intestables, & incapables de tenir jamais Offices royaux : Déclarons toutes dettes contractées pour jeu, & toutes obligations & promesses*

faites pour jeu, quelque déguisées qu'elles soient, nulles & de nul effet, & déchargées de toutes obligations civiles & naturelles.

Q. 8°. *Quomodo dividitur Contractus?*

R. Generatim dividitur in justum & injustum.

Justus est contractus, cùm servatur æqualitas & contrahentium conditio ita æquatur ut viri prudentis judicio par sit utriusque & spes lucri & damni periculum. Contra verò injustus est contractus in quo reperitur inæqualitas, & sors unius contrahentis evidenter deterior est sorte alterius. Hæc regula brevis quidem est, sed certissima & sufficiens ad omnes conscientiæ quæstiones solvendas circa contractus & rerum commutationes. Habeant Negociatores & Mercatores in suis tabernis, & artifices in officinis, scriptum ad parietem, JUSTITIA EST ÆQUALITAS, INJUSTITIA EST INÆQUALITAS, & uno intuitu intelligent quid observare & quid vitare teneantur. Verùm quia pro diversâ contractuum naturâ diversimodè adhibenda est isthæc regula, de contractibus in specie dicendum.

CAPUT V.

De Contractibus in specie.

EAS duntaxat contractuum species attingam quæ sunt magis in usu, & in quibus justitia sæpiùs læditur. Sunt autem illi contractus, venditio & emptio, mutuum, socictas, & cambium, gallicè, *change*.

§. I. *De venditione & emptione.*

Q. 1°. *Quid sunt venditio & emptio?*

R. Definitur venditio, pactio mercis pro pretio; emptio verò, pactio pretii pro merce.

Dicitur *pro pretio*; nam si merx daretur pro alia merce, non esset venditio aut emptio seu permutatio.

Q. 2°. *Quodnam est justum aut injustum rei venalis pretium?*

R. Primum æquale valori rei venalis secundùm communem hominum æstimationem, est justum ejus pretium; inæquale verò est injustum. Ita omnes Theologi, quia ex dictis justitia consistit in æqualitate, injustitia verò in inæqualitate: ergo ut licitus & justus sit contractus emptionis aut venditionis, mensurandum est pretium cum merce vel cum opere artificis, *secundùm divinam Legem*, inquit sanctus Thomas, secundâ Secundæ, q. 77. art. 1. ad 1. *Illicitum reputatur si in venditione & emptione non sit æqualitas justitiæ observata; & tenetur ille qui plus habet, recompensare ei qui damnificatus est.* Notent Pastores & Confessarii.

Dices: ex Lege *Explicito*, Digest. parag *si hares*, res tantùm valet quantùm vendi potest: ergo.

Distinguo anteced. Quantùm vendi potest intra latitudinem justi pretii, concedo; extra latitudinem, nego anteced. aliàs lex citata injusta foret & per aliam legem correcta, nempè lege *Rem majori, de rescidenda venditione*, & in Jure canonico, cap. *Cùm causa*, tit. *de empt. & vendit.*

Q. 3°. *Quomodo æstimanda est latitudo justi pretii?*

R. Duplex pretium est distinguendum: aliud dicitur legitimum seu legale, quod est fixum decreto Magistratûs; aliud dicitur naturale & vulgare, quod ex hominum æstimatione constituitur independenter à Magistratûs decreto.

Pretium legale consistit in indivisibili, ita ut si Magistratus determinaverit pretium panis talis ponderis, injustus sit venditor & ad restitutionem teneatur si minimum quid ultra ab emptore exigat, quia non servat æqualitatem à lege taxatam. Contra verò pretium naturale seu vulgare certam habet latitudinem, quia homines variè de rebus judicant, ita ut quod alii censent valere decem, alii æstiment undecim, alii etiam duodecim.

Q. 4°. *Quomodo Theologi describunt latitudinem pretii justi vulgaris ?*

R. Pretium naturale vulgò dividunt in infimum, medium & supremum, docentque licitum esse venditori vendere supremo & rigoroso pretio si possit id obtinere ab emptore, cui concessum est licitari ut venditor descendat ad medium aut infimum pretium. Quod si secundùm communem hominum æstimationem res tanti non valeat quanti empta est, venditor excessit limites justi pretii, & in foro conscientiæ restituere tenetur. Contra si emptor, secundùm communem æstimationem minoris emit quàm valeat res vendita, debet venditori satisfacere, nisi ille condonaverit.

Q. 5°. *Licetne vendere credito supra latitudinem pretii naturalis ?*

Licitum non est, nisi inde lucrum cesset aut damnum emergat, quia res tanti non valet quanti emitur.

Dixi, *Nisi inde lucrum cesset*, quia eo titulo aliquid accipere non est vendere usum pecuniæ, sed damnum vitare, ut docet S. Thomas secunda-Secundæ, q. 78. art. 2. ad 1.

Hinc sequitur injustum esse & usurarium emere infra pretium vulgare ob anticipatam solutionem, quia hæc anticipata solutio habet rationem mutui, ex quo lucrum percipere usurarium est, ex S. Thomâ cit. art. 2. ad 7.

Q. 6°. *Unde augetur rei venalis pretium ?*

R. Ex his circumstantiis. 1°. Ex penuriâ vel copiâ mercium. 2°. Ex pecuniæ abundantia vel raritate. 3°. Ex multitudine emptorum & paucitate vendentium, & contra. 4°. Ex modo vendendi, nam viliùs res venduntur sub hasta & voce præconis quàm apud mercatorem; contra verò quando minutatim & per partes, cariùs venduntur quàm cùm in magna quantitate. 5°. Ex majori vel minori emptorum indigentia, modò tamen communis sit.

Dixi, *modò communis sit*; nam indigentia unius emptoris aut venditoris non mutat communem hominum æstimationem, nec efficit ut cariùs res vendenda sit aut viliùs emenda.

Ergò meritò Academia Parisiensis anno 1665. damnavit hanc propositionem uti falsam, scandalosam, charitati & justitiæ contrariam : *Potest aliquis emere rem viliùs ab illo qui vendit necessitate compulsus.*

Ergo Mercator non potest sine injustitia augere pretium suarum mercium, ex eo quòd vel domus ejus in qua servabantur, conflagraverit, vel in iis advehendis majores sumptus fecerit quàm alii Mercatores, vel quòd dolo deceptus sive artificum sive prioris Mercatoris vitiosas merces comparaverit, quas integras & optimas existimabat; quia merces in illius taberna vulgò non pluris æstimantur quàm in tabernis aliorum Mercatorum, iniquum est omnino ut damnum quod solus pati debet, in alios transferat.

Ergo injustus est qui supra vulgare pretium rem suam, putà domum, agrum, &c. vendit, quia emptori admodum commoda est, & maximè eâ indiget, is enim æqualitatem non servat.

Q. 7°. *Quid observandum est circa penuriam & raritatem mercium?*

R. Num illa raritas ex monopolio contigerit.

Q. 8°. *Quid est monopolium?*

R. Est conventio unius pluriumve Mercatorum, ut ipsi soli vendant emantve quo voluerint pretio.

Ad monopolium refertur.

1°. Quando Mercatores supprimunt merces suas, ut inde earum pretium crescat.

2°. Quando aliquis congerendo omnes ferè merces, inducit raritatem & caritatem; secùs, si non induceret.

3°. Si quis vi vel fraude impediat ne merces aliunde advehantur, unde oritur caritas.

4°. Quando opponitur fictus licitator, ut alter augeat pretium.

5°. Si multi conveniant ut opus ab uno inchoatum alter non perficiat, quod expresse prohiberur lege *Jubemus*, Cod. *de Monop.*

6°. Si Artifices conveniant non docere artem suam nisi filios suos aut nepotes, aut nisi certo pretio injusto.

Q. 9°. *Monopolium pugnatne contra justitiam?*

R. Affirmativè, ad restituendum obligat, nisi auctoritate publicâ constituatur, quia cùm pretium naturale rerum venalium quamdam latitudinem habeat, singuli habent jus contrahendi intra illam latitudinem: ergo fit eis injuria, quando per monopolium coguntur emere tantùm rigoroso pretio, aut vendere infimo. A fortiori injusti essent monopolæ, si supra rigorosum pretium venderent, aut infra infimum emerent.

Dixi, *Nisi auctoritate publicâ constituatur*, quia aliquando Reipublicæ interest ut vel rerum venalium pretium taxetur, vel privilegium Mercatori aut artifici detur; alioquin negotiationem aut artificium in Reipublicæ detrimentum deserere cogeretur. Nec in eo fit cuiquam injuria, modò curent Magistratus ne Mercatores aut artifices prætextu privilegii, pretium immoderatum exigant.

§. II. *De Mutuo.*

Q. 1°. *Quid est Mutuum?*

Est contractus quo transfertur in alterum dominium rei in numero, pondere, & mensurâ consistentis, cum obligatione reddendi aliam ejusdem speciei & bonitatis post lapsum temporis. Singulæ partes hujus definitionis sunt notandæ & accuratiùs exponendæ ad refellendas plures pactiones injustas & usurarias. Itaque.

Dicitur 1°. *Quo transfertur in alterum dominium*, in quo mutuum convenit cum venditione, differtque à multis aliis contractibus, ut à locatione; præsertimque à commodato, quod secundùm linguam Gallicam confunditur cum mutuo;

mutuum enim & commodatum dicuntur gallicè, *prêt*, quamvis essentialiter differant; commodatum quippe est de rebus quæ usu saltem unico non consumuntur, ut equus, liber, vestis &c. mutuum verò est eorum quorum usus est consumptio, ut frumentum, panis, vinum, pecunia.

Res prioris generis non mutuo, sed commodato dantur in usum tantùm, non in proprietatem; unde si liber aut equus sine culpa commodatarii pereat, perit commodanti, utpote ejus domino.

Res verò posterioris generis mutuo dantur, non commodato; neque enim dicimur commodare pecuniam aut panem, sed mutuare: mutuando autem dominium earum rerum transferimus, non secùs ac si eas venderemus, quia usus earum non distinguitur à substantia & proprietate, cùm mutuatarius iis uti non possit, nisi eas consumendo.

Ergo damnum aut fructus rei mutuatæ non pertinet ad mutuantem, quia juxta regulam juris, *res ferit aut fructificat domino suo.* Sicut ergo domus per venditionem tradita, si tempestate corruat, corruit in damnum solius emptoris, ita si pecuniam mutuo recens acceptam latrones auferant, non mutuans sed mutuatarius damnum illud pati debet: si verò ex ea mutuatarius utiliter negotietur & diteſcat, nihil inde mutuans repetere potest, cùm res illa ad ipsum non pertineat. Atque hâc ratione refelluntur qui eo prætextu usuras exigunt, quòd mutuatarius ex pecunia ab ipsis mutuo accepta lucretur.

Dicitur 1°. *Rei in numero*, &c. quia mutuum versatur circa res usu consumptibiles, quæ vel dantur in numero, ut pecunia, vel in pondere, ut panis, vel in mensura, ut vinum, frumentum, oleum, &c.

Dicitur 3°. *Cum obligatione reddendi aliam ejusdem speciei & bonitatis*; hæc est enim æqualitas & justitia, quam recta ratio exigit, ac proinde ab omnibus observanda, etiam à tutoribus & curatoribus, ut nec plus nec minùs, sed tantùm reddatur quantùm mutuo acceptum est.

Dicitur 4°. *Post lapsum temporis*, ut distinguatur mutuum à cambio, ubi pro nummo aureo dato v. g. statim redduntur nummi argentei. Tempus autem vel est determinatum in contractu mutui, vel non: si primum, mutuans pecuniam non potest repetere ante lapsum temporis præfiniti: si secundum, potest absque injustitia repetere quo tempore voluerit, modò non repetat statim atque mutuo dedit, ac propterea mutuatarium mox in jus vocet, ut defectu solutionis cogatur pendere usuras.

Dixi, *absque injustitia*; peccaret enim, & quidem graviter contra charitatem, si tum repeteret cùm mutuatarius nonnisi cum magno detrimento reddere posset, & ipse mutuans nullum damnum ex dilatione pateretur.

Ergo intrinsecum est contractui mutui quòd mutuans per aliquod tempus pecuniâ suâ careat, periculoque se exponat eam amittendi. Quare ratione carentiæ pecuniæ aut periculi, mutuans non potest quicquam exigere ultra quàm concedunt Leges mutui, secundùm quas mutuatarius tenetur solùm æquale reddere.

Ergo meritò damnatæ sunt sequentes propositiones ab Innocentio XI. anno 1679. à Clero Gallicano, anno 1700. & priùs ab Academiâ Parisiensi, anno 1665.

Prima, *Cùm numerata pecunia pretiosior sit numeranda, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.*

Secunda, *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.*

Tertia, *Non est usura, si recipiat ratione periculi tantùm, ut pretium periculi.*

Quarta, *Nullus potest esse ita securus, quin possit aliquod intervenire periculum, vel saltem aliqua difficultas, vel labor in re habenda.* Quo fit ut secundùm illam novam doctrinam semper licitum sit ex mutuo usuram percipere, & quidem majorem à pauperibus,

pauperibus, cùm pecunia ipsis mutuata majori exponatur periculo.

Q. 2°. *Quomodo æquanda est bonitas rei reddendæ cum bonitate rei mutuo acceptæ; v. g. mutuo dati sunt decem nummi aurei, vel totidem modii tritici, quorum valor seu pretium postea crescit aut decrescit?*

R. Reddendum est juxta valorem aut pretium rei, quando accepta est, nisi aliter contrahentes justo pacto convenerint, ita ut si valor cujuslibet nummi erat decem libellarum, reddendæ sint centum libellæ, nec plus nec minus.

Dixi, *Nisi aliter contrahentes convenerint*; si enim mutuans prævideret valorem nummi aut pretium tritici esse augendum, velletque propterea ista servare, non peccaret contra legem contractus & justitiæ, si exigeret à mutuatario ut tot nummos in specie aut modios redderet, deductis tamen expensis ad triticum servandum necessariis, quia mutuans per hujusmodi pactum nihil lucratur ex mutuo, sed solùm se indemnem reddit. Idem dicendum juxta cap. *Naviganti*, tit. *de Usuris*, si dubium sit utrum valor nummi aut pretium tritici crescet aut decrescet, quia æqualis est spes lucrandi in mutuante & mutuatario, æquale quoque periculum incurrendi damnum.

§. III. *De Usura.*

Q. 1°. *Quid est Usura?*

R. Definitur ab omnibus sive Philosophis, sive Theologis & Canonicis, lucrum ex mutuo immediatè proveniens.

Dicitur 1°. *Lucrum* indefinitè, sive immodicum, sive modicum, sive sit nummus, sive onus à mutuante impositum mutuatario, v. g. veniendi ad ejus furnum, denique quidquid est pretio æstimabile. Luc 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Et causâ 14. quæst. 3. cap. 1. *Si mutuò dederis pecuniam tuam, à quo plus quàm dedisti expectes, non pecuniam solùm, sed aliquid plus quàm dedisti, sive*

illud triticum sit, sive vinum, sive quodlibet aliud; si plus quàm dedisti expectes accipere, fœneratores, & in hoc improbandus, non laudandus.

Dicitur 2°. *Ex mutuo proveniens*, 1°. Quia contractus mutui totus est in gratiam mutuatarii, adeò ut si mutuans principaliter intendat ex mutuo sibi lucrum provenire, usuram mentalem committat. 2°. Quia si quis præter sortem accipiat ratione lucri cessantis aut damni emergentis, usuram non committit, cùm ex mutuo non lucretur, nec fiat ditior propter mutuum, sed damnum resarciat quod ex mutuo patitur, v. g. petenti dat mutuo pecuniam, quâ vel censum annuum extinguere, vel agrum emere, vel mercaturam exercere paratus erat, justè & absque usura exigit à mutuatario ut refundat quod ipse mutuando deperdit.

Ut autem justus sit ille titulus ultrà sortem accipiendi, mutuum debet esse vera causa lucri cessantis aut damni emergentis; si enim mutuans non habeat occasionem moraliter certam lucrandi ex pecunia mutuo data, vel si sponte pecuniam ex mercatura aut ex quovis lucrandi modo subtrahit, quia tutius aut utilius sibi existimat mutuo dare quàm negotiari, fundos emere, contractum consignativum inire, usurarius est, nec potest prætexere lucrum cessans aut damnum emergens; unde falsum est absolutè licere mercatoribus lucrum ex mutuo percipere, etiamsi inde nullum damnum patiantur.

Dicitur 3°. *Immediatè*; quia usura debet provenire directè ex vi mutui; nam si secundariò, & mediante solùm liberalitate aut gratitudine mutuatarii proveniret, non esset usura, ex glossâ in cap. *Consuluit*, tit. *de Usuris*; & ex S. Thomâ, cit. q. 78. art. 2. *Si accipiat*, inquit, *aliquid hujusmodi, non quasi exigens, nec quasi ex aliqua obligatione tacita vel expressa, sed sicut gratuitum donum, non peccat.* Exponit autem S. Antoninus, 2. parte, tit. 1. cap. 7. parag. 1. quandonam mutuans censeatur non intendere principaliter gratuitum donum ex

parte mutuatarii : *Cùm*, inquit, *etsi sperat mutuans aliquid sibi dari ab eo cui mutuavit ex sua libertate, tamen non illud cùm movet, sed magis benevolentia; ita ut etiamsi non crederet sibi aliquid dari ultra sortem, adhuc tamen mutuaret.* Unde patet meritò damnatam fuisse ab Innocentio XI. anno 1679 & à Cero Gallicano anno 1700 hanc propositionem quam Clerus vocat cavillatoriam, & usurarum palliativam : *Usura non est dum ultrà sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia & gratitudine debitum, sed solùm si exigatur tanquam ex justitia debitum.*

Q. 2°. *Quo jure usura est prohibita ?*

R. Prohibita est 1°. jure naturali, quia tollit æqualitatem quæ competit contractui mutui, ut constat ex ejus definitione. 2°. Jure divino, Ezech. 18. ubi de dante ad usuram & ampliùs quàm dedit accipiente, ait Dominus : *Cùm universa hæc detestanda fecerit, morte morietur.* Et Luc. 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes*, quibus verbis prohiberi usuram definiunt Concilium Lateranense III. generale, referturque cap. *Quia*, tit. *de Usuris*; Concilium Lateranense V. Alexander III cap. *Super eo*, tit. *de Usuris*; Urbanus III. cap. *Consuluit*, eodem tit. Quin Concilium Vrennense, Clementinâ *Ex gravi*, statuit eum velut hæreticum esse puniendum, qui pertinaciter affirmat usuram non esse peccatum.

Ergo adversùs legem prohibentem usuras non præscribunt spatia temporum, non privilegia nationum, non patrocinia personarum, non judicia hominum. *Cœlum & terra transibunt*, ait Dominus, Matth. 24. *verba autem mea non præteribunt.*

Ergo sicut mentiri non licet pro alterius vitâ, inquit Alexander III. cit. cap. *Super eo*, ita nec usuras exercere pro redimenda vita captivi, multo minùs pro augendis aut fovendis bonis pupillorum. Et S. Thomas, Opusculo 73. cap. 6. *Sicut non licet furari ad augendum patrimonium pupillorum, sic nec usuras accipere. Regula generalis apud omnes Doctores*

hæc firma esse debet. Hanc secutus est Conventus Medulonensis, ann. 1579. & Concilia Mediol. primum, Burdigal. primum, & Mechlin. ubi expressè prohibetur ne pecuniæ pupillorum dentur ad usuram.

Dices, 1°. Deus ipse, Deut. 23. permisit Judæis usuras accipere ab extraneis: ergo.

Nego conseq. quemadmodum enim Deus, utpote supremus rerum omnium Dominus, Judæis concessit vasa pretio Ægyptiorum, sic in eorum dominium transtulit ea quæ Chananæorum erant. Ita sanctus Ambrosius, lib. de Tobiâ, cap. 15.

Dices 2°. Per legem in regno universaliter acceptam, licet recipere ex mutuo denarium vigesimum: ergo.

Nego anteced. Imò omnes Christianissimi nostri Reges hactenus ab octo sæculis id constanter prohibuêre, ut videre est in nostro Tomo 4. sæpiùs citato, cap. de Usuris. *Défendons à toutes personnes*, inquit Henricus III. in Comitiis Blesensibus, *de quelque qualité qu'elles soient, d'exercer usure par eux, ou par gens interposés.* In quem locum Bochellus in sua Bibliotheca sic habet: *Cette proposition d'usure portée par la loi de France est générale, & ne reçoit limitation pour la faveur des pupilles ou autres personnes. Ainsi fut-il jugé par Arrêt sur Plaidoyer, le 13. jour de Juin, la Cour séante aux Augustins.*

Lex itaque civilis in regno permittit solùm ex contractu consignativo, gallicè, *Contrat de constitution*, lucrum percipere, olim ad denarium decimum-quartum, postea ad decimum-octavum, nunc verò ad vigesimum. Porrò contractus consignativus non est mutuum, sed vera emptio; definitur enim ille contractus, venditio & emptio juris quoad solos reditus singulis annis certisque temporibus ex alia re vel persona solvendos.

Instas. In Comitiis Aurelianensibus sic statuit Carolus IX, articulo 60. *Contre les condamnés à payer certaines sommes de deniers dûs par cédules ou obligations, seront adjugés les dommages & intérêts*

requis par le retardement du payement, à compter du jour de l'ajournement : & ejusmodi statutum servatur in omnibus regni Tribunalibus : ergo lex civilis permittit accipere lucrum ex mutuo.

Nego conseq. laudatum enim statutum nullum lucrum concedit mutuanti propter dilationem solutionis, sed solùm decernit certam summam propter damna quæ præsumitur incurrisse ob moram mutuatarii, ut perspicuum est ex ipsismet verbis statuti : *Seront adjugés les dommages & intérêts requis.* Ergo si nullum sit damnum aut interesse lucri cessantis, mutuans nihil potest accipere suprà sortem principalem.

Ergo usurarius est ille qui dat mutuo cum intentione lucrandi, auctoritate Judicis, cujus sententiam mavult obtinere quàm pecuniam mutuatam.

Dices 3°. Justè quis percipit lucrum ex re suâ locata, putà ex equo, domo, &c. ergo & ex pecunia sua alteri tradita.

Nego consequentiam & paritatem. Disparitas est quod in locatione retinet quis dominium rei suæ locatæ, ac proinde ex ea fructum justè percipit ; res enim perit aut fructificat domino suo : at per mutuum transfert dominium pecuniæ suæ in mutuatarium ; ergo pecunia mutuo data perit aut fructificat soli mutuatario.

Q. 3°. *Licetne pecuniam accipere sub usura ?*

Respondet S. Thomas secundâ Secundæ, q. 78. art. 4. licitum esse, si mutuans sit in gravi mutuandi necessitate ; secùs, si non indigeat, sed ex merâ cupiditate mutuum petat.

Q. 4°. *Quomodo dividitur usura ?*

R. Dividitur 1°. in apertam & palliatam seu velatam aliquo honesto titulo, putà donationis, cambii, societatis, venditionis, ut si quis vendat suprà pretium rigorosum ob dilatam solutionem, aut emat infra pretium infimum ob anticipatam solutionem.

Dividitur 2°. in realem & mentalem.

Realis, quæ in mutuo deducitur in pactum, sive expresè, sive tacitè.

Mentalis, quæ per mutuum principaliter intenditur, sed in pactum non deducitur.

Q. 5°. *Estne obligatio restituendi pro usura etiam mentali?*

R. Affirmativè, ita enim habetur cap. *Consuluit*, tit. *de usuris.*

Q. 6°. *Hæredes usurarii obliganturne ad restituendum?*

R. Obligantur ex cap. *Tua nos*, tit. *de usuris.* Difficultas solùm est an obligentur in solidum. Canonistæ affirmant arbitranturque id colligi ex citato cap. *Tua nos*, sed eorum sententiæ non faveт. Quare communior est Theologorum sententia negans; æquum enim est, inquiunt, ut qui tantummodo commodum ex parte percipit, onus quoque dumtaxat sentiat, proportione servatâ: si tamen res per usuras accepta extaret in sua specie apud unum hæredem, teneretur eam integram restituere, sed actionem haberet de evictione contra cæteros.

§. IV. *De Contractu Societatis.*

Q. 1°. *Quid est Contractus societatis?*

R. Est conventio duorum vel plurium ad commune lucrum & damnum, secundùm proportionem rerum contributarum.

Dicitur 1°. *Ad commune lucrum & damnum*, quo distinguitur Contractus societatis, 1°. à contractu locationis; qui enim locat suas operas, non venit in partem lucri vel damni, putà gregis quem pascit, sed solummodo accipit stipendium debitum suo labori. 2°. A contractu mutui, namquè mutuans cùm transferat in mutuatarium rei mutuatæ dominium, ex ea non percipit lucrum, sicut nec venditor ex re vendita; atqui societatem ineunt, retinent dominium rerum quas conferunt, & ideo res illæ singulis sociis vel fructificant vel pereunt.

Dicitur 3°. *Secundùm proportionem rerum contributarum*, in hoc enim ſervatur æqualitas & juſtitia; ſi is qui plus ad ſocietatem confert, ſicut majus damnum pateretur ſi quod confert, periret, ita etiam majus lucrum ex ejus fructibus repetet.

Ergo contra juſtitiam & contra naturam hujus contractûs peccat, qui eâ conditione ſocietatem init, ut pecunia vel animalia quæ exponit, non ſibi, ſed ſociis pereant, quamvis ex eorum culpa. Conſuetudo Bituricenſis, Nivernenſis & Borbonienſis vocant Leoniam ejuſmodi ſocietatem. Sixtus V. in ſua Bulla *Deteſtabilis*, eam damnavit anno 1586. Et Academia Pariſienſis, anno 1663. ſequentem propoſitionem falſam & ſcandaloſam declaravit: *Si contractui ſocietatis ſuperaddantur contractus aſſecurationis capitalis & venditionis lucri incerti pro lucro certo, ex vi horum licitum eſt exigere lucrum certum, ſalvâ ſorte.*

Licet tamen addere contractui ſocietatis contractum emptionis lucri incerti, modo non aſſecuretur capitale, dare v. g. vaccas aut apes in ſocietatem, ita ut ſi pereant ſine culpa conferentis operas, pereant danti; ſed hâc conditione quod quamdiu vivent illa animalia, is qui eorum curam gerit, ſingulis annis ſolvat pro vacca aut alveolo certum quid, æqualitate ſervatâ; quæ enim ſunt in ſpe, minoris æſtimantur quàm quæ ſunt in re; v. g. ſpes capiendi decem piſces ex uno jactu retis non tanti valet quanti decem piſces jam capti. Undè quo majus eſt periculum non lucrandi, minus quoque pro ſpe lucri ſolvi debet. Sed iſta fuſiùs & accuratiùs explicantur tom. 4. cap. de Societate.

§. V. *De Cambio.*

Q. 1°. *Quid eſt Cambium?*

R. Eſt permutatio pecuniæ pro pecunia cum legitimo lucro.

Dicitur 1°. *Permutatio*; cambire enim idem eſt ac permutare; Cambſor eſt nummularius, gallicè,

Banquier, Cambsarius verò qui ab ipso pecuniam accipit.

Dicitur 2°. *Pecunia pro pecunia*; quæ vel statim reddenda est, ut in Cambio manuali, quo permutatur moneta v. g. aurea pro argentea, majora pro minoribus, unde dicitur Cambium minutum; vel alio transferenda, quando v. g. datur Lugduni, ut recipiatur Lutetiæ.

Dicitur 3°. *Cum legitimo lucro*, quo Cambium differt à mutuo in quo reddendum est, nec plus, nec minùs quàm acceptum sit.

Q. 1°. *Cambium estne licitum?*

R. Per se est licitum, quia præterquam quod ejusmodi contractus est admodum utilis & necessarius Reipublicæ, Cambsor multa sustinet onera, paratam debet habere pecuniam, & coacervare pecunias diversarum specierum, quas alioquin negotiationi exponeret. Præterea suscipit onus pecuniam transferendi proprio periculo in eum locum ubi Cambsarius iis indiget. Quod si aliquando non transferat, sed per procuratores solvat, id tribuendum est ejus industriæ, quæ in mercatore est pretio æstimabilis.

Ergo qui officium Cambsoris non exercet, nec ad Cambium pecunias negotiationi subtrahit, sine justo titulo lucrum percipit.

Dixi Cambium per se esse licitum, ut innuerem per accidens fieri illicitum. 1°. Si quis Cambium non exercet, nec suâ interest habere majorem vel minorem monetam, sive Lugduni ubi manet, sive Lutetiæ quò negotiorum causâ transmittenda est ipsi pecunia, adeo ut occasio Cambii sit ipsi commoda, nedum onerosa, & ita absque justo titulo lucrum perciperet. 2°. Si absque auctoritate regia Cambsoris officium exerceat, id enim prohibitum est Edictis regiis, ut Ludovici XII. Henrici II. Caroli I X. 3°. Si cum propria auctoritate Cambsorem se constituerit, tantùm lucri percipit quantùm Cambsores legitimi, cùm enim pretio magno constet ejusmodi officium, Princeps majora emo-

lumenta iis concedit quos Cambsores constituit, quibus emolumentis sine injustitia gaudere nequeunt qui ultrò se huic muneri immiscent. Unde non solùm tenentur officium illud dimittere, sed & restituere si quid plus acceperint, habitâ communi ratione expensarum, lucri cessantis & damni emergentis. 4°. Peccant qui cùm satis non habent, unde onera Cambsoribus communia sustineant, undique pecunias sub usuris colligunt; nam ex dictis non licet mutuò petere ab usurariis, nisi adsit vera necessitas.

Q. 3°. *Quomodo dividitur Cambium?*

R. Dividitur in reale & siccum.

Reale est quod in allata definitione exprimitur. Siccum est Cambium fictum & verum mutuum specioso Cambii nomine velatum; per illud enim non permutantur pecuniæ præsentes pro præsentibus alibi reddendis. Titius, v. g. lucri cupidus negat Lugduni mutuum ei qui pecuniâ indiget, sed offert Cambium eâ conditione quòd alter eam reddet Lutetiæ, quamvis sciat reddendam Lugduni post temporis lapsum, quod est verum mutuum & fictum Cambium; ideò siccum, quia caret humore justitiæ seu vero titulo ad lucrum pariendum. Quare lucrum indè proveniens est injustum & usurâ palliatâ velatum.

De Testamentis & Legatis nihil hîc addendum iis quæ diximus Capite præcedenti.

CAPUT VI.

De Restitutione.

Q. 1°. *Quid est Restitutio?*

R. Est actus justitiæ commutativæ reddentis cuique debitum suum ad æqualitatem.

Q. 2°. *Restitutio estne necessaria?*

R. Est, & quidem jure naturali, quia auferre

rem alienam & eam detinere, invito domino, idem reputantur : *Le bien d'autrui tu ne prendras, ni retiendras sciemment.* Hinc præceptum restitutionis potiùs est negativum quàm positivum, ut supra observavimus.

Q. *Unde nascitur obligatio restituendi ?*

R. Ex injustitia, quia ex dictis justitia commutativa est æqualitas in commutationibus, v. g. inter operas & mercedem, inter mercem & pretium ; injustitia verò inæqualitas : ergo ad tollendam injustitiam reponenda est æqualitas, quod fieri nequit nisi per restitutionem.

Ergo nulla facienda est restitutio, quantùmcumque grave fuerit crimen ; ubi nulla injustitia, nullave reponenda æqualitas.

Ergo totuplex est radix restitutionis quotuplex est modus violandi justitiam & tollendi æqualitatem.

Q. 4°. *Quotuplici modo justitia violari potest ?*

R. Triplici. 1°. Ratione injustæ acceptionis, quando quis bona proximi invadit. 2°. Ratione damni illati, ex quo nihil in manus damnificatoris venit, ut si vastet agrum alienum, domum proximi incendat, personam ejus mutilet. 3°. Ratione injustæ detentionis, quomodo injustus est qui non solvit debita justè contracta, aut non restituit bona inventa.

Q. 5°. *Quotuplex est injusta acceptio ?*

R. Triplex. Prima fit occultè, & est furtum. Secunda palam, & est rapina. Atque hoc posteriori modo injusti sunt qui usuras accipiunt, qui majori pretio vendunt aut viliori emunt quàm merces valeant, qui pro officio stipendium aut honorarium exigunt ultrà quàm lege constitutum est. Tertia fit dolo & fraude, ut si quis mercem vitiatam pro integra vendat, misceat aquam cum vino venali, paleas cum tritico, malis artibus proximum circumveniat in ludo, contractibus, &c.

Q. 6°. *Quotupliciter damnum potest inferri ?*

R. Dupliciter ; nimirum physicè, cùm quis propriâ

manu interficit, vastat, &c. & moraliter, quando non per se, sed per alium injuriam facit, quod iterum dupliciter contingere potest; vel positivè, influendo in damnum, vel negativè, non impediendo damnum cùm ad id ex officio teneatur.

Q. 7°. *Quænam sunt causa positiva damni, quæ verò negativa?*

R. Sex numerantur positivæ & tres negativæ, his versibus comprehensæ.

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Circa ejusmodi causas consule nostrum tomum 4. de Restitutione, cap. 4.

Q. 8°. *Qui ex charitate tantùm tenetur impedire damnum proximi, debetne restituere si non impedierit?*

R. Minimè, quia peccat solùm contra charitatem: constat autem ex dictis non esse obligationem restituendi, nisi peccatum violet justitiam & tollat æqualitatem.

Mutus ergo hoc loco est qui officio vel ex pacto tenetur clamare, reprehendere, dissuadere, accusare, aut testari, & tacet: non obstans, qui similiter ex officio & pacto tenetur obstare, & non obstat, ut patres, tutores, domini, non impedientes filios, pupillos, servos, ne aliis noceant, aut famuli sinentes diripi bona dominorum; item principes, duces belli, advocati, ministri Justitiæ, custodes sylvarum, agrorum, & alii stipendio conducti. Non manifestans, qui ratione officii vel pacti tenetur damnificatorem manifestare, vel ante, vel postquam damnum illatum est.

Q. 9°. *Quantum est restituendum?*

R. Tantùm quantùm ablatum est, quia præcipitur restitutio, ut cesset injustitia; injustitia autem tolli non potest, nisi tollatur inæqualitas, quod non fit nisi tantum restituendo quantum ablatum est.

Q. 10°. *Sufficitne ad ponendam æqualitatem ut reddatur res ablata, si extet, vel ejus pretium, si consumpta sit?*

R. Aliquando sufficit, aliquando verò non.

Q. 11°. *Quibus in casibus non sufficit reddere rem ablatam aut ejus pretium?*

R. In duobus. 1°. Quando ex re ablata novum damnum emersit personæ læsæ, v. g. si ex defectu pecuniæ furto sublatæ magnas expensas passus est à creditoribus. 2°. Quando lucrum cessavit.

Q. 12°. *Quotuplici modo per injustitiam acceptam lucrum cessare potest?*

R. Duplici. 1°. Si re illâ utebatur tanquam instrumento ad lucrandum, v. g. non potuit negotiari, nec ferere, nec solitas operas, quibus sustentabatur, perficere. 2°. Si res ablata erat fructifera.

Q. 13°. *Quotuplicis generis sunt fructus?*

R. Triplicis: alii dicuntur naturales, ut herbæ in pratis; alii meræ industriales, ut lucrum perceptum ex pecunia aliena, pretiosum opus confectum instrumento furtivo; alii mixti, qui partim naturaliter, partim industriâ proveniunt, ut frumentum, vinum, &c. quæ non nascuntur sine cultura.

Q. 14°. *Omnes ejusmodi fructus suntne restituendi?*

R. 1°. Artificiales non sunt restituendi, quia propriè non sunt fructus rei ablatæ, sed industriæ quæ pertinet ad furem; unde si lucratus sit ex pecunia aliena, sive ludo, sive mercatura, nihil ex eo fructu debet restituere.

R. 2°. Fructus naturales & mixti sunt restituendi, deductis impensis quas verus dominus feciſſet, quia res fructificat domino suo.

Q. 15°. *Quid si ejusmodi fructus fuerint consumpti?*

R. Si malâ fide, restituendi sunt; si verò bonâ fide, restituendum est solùm id quo factus est ditior qui consumpsit, quia ex Reg. Juris in Sexto, *locupletari non debet aliquis cum alterius injuria vel jactura.*

Censetur autem ditior factus qui minùs de propriis

expendit, dum bonâ fide consumpsit rem alienam, v. g. domi non cœnavit, quia alibi cum sociis manducavit agnum quem non credebat esse furtivum, non tenetur restituere agnum, neque partem agni, sed solùm quod expendisset domi cœnando. Quòd si non minùs expendit, nihil restituere tenetur.

Q. 16°. *Quis censendus est bonæ fidei?*

R. Qui sine omni culpa rem alienam accipit, consumit aut detinet: Tutor v. g. ex consilio Pastoris secundùm consuetudinem Provinciæ pecuniam pupilli dedit ad usuram, bonâ fide eam in commodum pupilli convertit, non tenetur restituere cùm postea monitus est ejusmodi contractum esse usurarium, quia ex illo non est ditior factus.

Q. 17°. *Quando plures ad damnum concurrerunt, quo ordine debet fieri restitutio?*

R. Vel participes fuerunt tantùm rei injustè acceptæ, v. g. comederunt ovem quæ ipsis nescientibus furto sublata erat; vel injustæ acceptionis; v. g. concurrerunt vel positivè, vel negativè ad ovem capiendam. Si primùm, quilibet tenetur tantùm restituere partem quam malâ fide consumpsit sciens ovem esse furtivam; & aliis non restituentibus, pro ipsis restituere debet, nisi suo consilio aut alio modo in causa fuerit cur res injustè ablata vero domino non sit reddita, quia non fuit causa majoris damni.

Si secundùm, quilibet, aliis recusantibus, satisfacere & totum damnum reparare tenetur, quia totius damni fuit causa, cùm in illud totum influxerit.

Q. 18°. *Si singuli parati sunt restituere, quis ordo servandus est?*

R. Primo loco restituere debet qui rem alienam detinet vel qui eam consumpsit, nisi mandato aut aliorum nomine consumpserit, quia est prima & præcipua causa damni, nec alii reputantur nisi ut causæ instrumentales: quare ipso restituente, alii nihil ipsi refundere debent.

Dixi, *nisi mandato aut nomine*, &c. in hac enim hypothesi ipse habet rationem instrumenti aut causæ ministerialis respectu mandantis. Hinc dominus qui famulis suis incendendam domum adversarii præcipit, indemnes illos servare debet: contrà verò si plures inito inter se consilio communem adversarium impetant, & unus ex illis eum occidat, occisor non magis tenetur ad damna reparanda quàm alii, sed æqualiter singuli ea reparare debent, quia homicidium factum est omnium nomine.

Si tamen qui consumpsit rem alienam ex mandato alterius, ex ea factus sit ditior, debet ante mandantem restituere id quo factus est ditior, cùm habeat plus quàm debet habere.

TRACTATUS DE RELIGIONE.

Caput I.

De definitione Religionis & ejus actibus.

Q. 1°. *Quid est Religio?*

R. Est virtus moralis per quam Deo tanquam primo rerum omnium principio debitus cultus exhibetur.

Nomine autem cultûs intelligitur actus sive internus, sive externus, quo alicui exhibemus honorem ac reverentiam cum aliqua nostri submissione, qualis est genuflexio, capitis inclinatio.

Cultus ergo in eo distinguitur ab honore, quòd

cultus necessariò includat sui dejectionem, minimè verò honos præcisè sumptus; Deus enim sanctos honorat, nec propriè dici potest eos colere, quia coram eis non dejicitur.

Q. 2°. *Quinam sunt actus Religionis?*

R. Alii sunt eliciti, qui immediatè à Religione procedunt, ut adoratio, sacrificium; alii imperati, qui immediatè ab aliis virtutibus eliciuntur, sed imperante Religione, quæ illos ad divinum cultum ordinat; ut eleemosyna collata Sacerdoti, quia Dei minister est.

Q. 3°. *Quotuplex est actus Religionis elicitus?*

R. Præcipui & primarii sunt devotio, oratio seu adoratio, votum, juramentum.

Caput II.

De Devotione.

Q. 1°. *Unde nomen devotionis?*

R. S. Thomas secundâ Secundæ, q. 82. art. 1. illud deducit à verbo *devovere*. *Devoti dicuntur*, inquit, *qui seipsos quodammodo Deo devovent, ut ei se totaliter subdant: sic apud Gentiles devoti vocabantur qui seipsos Idolis devovebant in mortem pro salute Reipublicæ.*

Q. 2°. *Quomodo definitur devotio?*

R. Definitur voluntas tradendi se promptè ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum.

Dicitur 1°. *Tradendi se*, non aliqua dumtaxat ad se pertinentia, ut fit per votum. Unde qui unum aut alterum actum alacri & fervida mente ad cultum Dei refert, potest quidem dici talem actum devotè exercere; sed propterea non denominatur devotus, nisi & seipsum tradiderit.

Ergo latiùs patet devotio quàm votum, quia votum potest esse de aliquo singulari opere; devotio

verò simpliciter dicta non unum actum, sed totum hominem cultui divino consecrat.

Dicitur 2°. *Promptè*; qua voce exprimitur voluntatis modus, & omnium actionum quæ à Religione sive eliciuntur, sive imperantur; nimirum ad devotionem requiritur, ut quæ sunt Dei cultus, expedito & alacri animo persolvantur.

Ergo qui abdicatis sæcularibus negotiis totos se cultui divino mancipant, ut Religiosi & Clerici, non sunt quod profitentur; (si tamen profitentur) quando rapidè & segniter circa Dei cultum se gerunt.

Dixi: *Si tamen profitentur*; quamvis enim Clericatus sit devotionis professio, Clericos tamen cernere est qui gloriosum devoti nomen tanquam probrum & dedecus à se eliminant, & aliis quasi contumeliam impingunt.

Dicitur 3°. *Ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum*; quibus verbis significatur devotionem esse primarium & perfectissimum Religionis actum, à quo cæteri dependent.

Q. 3°. *Quænam est devotionis causa?*

R. Duplex statuitur à S. Thoma; extrinseca, & intrinseca.

Extrinseca eaque præcipua, Deus est, non ars aut humana industria. *Deus quem vult Religiosum facit*, inquit S. Ambrosius in cap. 9. Luc. Unde per orationes nostras attrahenda est vera devotio, ea enim suppliciter promereri possumus.

Altera devotionis causa, quam S. Thomas vocat intrinsecam, quia se tenet ex parte nostra, est meditatio; voluntas enim nascitur ex intelligentia, ex S. Augustino, lib. 14. de Trinit. cap. 8. *In meditatione mea exardescet ignis*, nempè charitatis, ut interpretatur S. Thomas.

Ad concipiendum verò illum charitatis ignem, duplex consideratio requiritur ex eodem angelico Doctore, scilicet bonitatis & excellentiæ divinæ, & humanæ infirmitatis ac defectuum. Prior consideratio excitat devotionis fervorem, qui est

proxima devotionis causa. Posterior excludit præsumptionem, per quam impeditur quis ne Deo se subjiciat, propriæ virtuti innixus.

Q. 4°. *Quinam sunt genuini & proprii devotionis effectus?*

R. Duos agnoscit S. Thomas ita devotioni proprios, ut ab eâ separari nequeant, scilicet spiritalem lætitiam ex consideratione infinitæ Dei bonitatis: *Memor fui Dei, & delectatus sum*, Psalm. 76. & sui displicentiam ac tristitiam ex conscientiâ propriorum defectuum: atque *ex ista permixtione delectabilis & tristabilis*, inquit S. Thomas art. 4. ad 3. nonnumquam prorumpunt lacrymæ quæ veluti panis suavis & solitus devotam mentem reficiunt, ut habetur Psalm. 41. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.* Quò enim anima magis se sentit infirmam, eò ardentiùs in Deum fertur, indeque suaviùs experitur immensam ejus bonitatem, quæ rursùs novum est ipsi incentivum deflendi proprios defectus; sicque crescente charitate ac religione, crescit humilitas & sui displicentia. Hîc velut ad Lydium lapidem probatur vera devotio.

Ergo fucata est illorum devotio qui propter exteriorem, quam præ se ferunt, pietatis speciem, cæteris meliùs sapere sibi videntur, infirmioribus indignari noverunt, nullatenus compati; corrigenda ubique invenire se putant, præterquàm in seipsis nimiùm sibi placentes, & ut facilè de aliis malum cogitant, bellum omnibus temerè indicunt; pacem perturbant sub religionis prætextu, salutaria sapientum monita non admittunt, nonnumquam etiam dominationem contemnunt audaces, ut scribit Apostolorum Princeps 2. Epist. cap. 2.

Caput III.

De Oratione.

Q. 1°. *Quid est Oratio?*

R. Est petitio rerum decentium Deo facta sive immediatè, sive mediante Sanctorum intercessione, ut aliquid ab ipso impetretur.

Dicitur 1°. *Petitio*, id est, intimatio sui desiderii alteri facta ad obtinendum aliquid ab ea.

In petitione autem quatuor intelliguntur.

Primum, conscientia propriæ indigentiæ & infirmitatis; absurdè enim quis peteret quod jam habet aut credit habere in sua potestate, ut S. Augustinus lib. de Prædest. Sanct. argumentatur adversùs Pelagianos, probans ex oratione necessitatem gratiæ, quam illi negabant.

Secundum est desiderium rei quæ petitur; quòd si nullum fuerit, petitio non est, sed ludus & derisio; ut si dives pauperem sè fingens, petat eleemosynam, paratus oblatam rejicere. Tales sunt qui in Oratione Dominica sanctificari nomen Dei, & in tentationem non induci sic petunt, ut nolint amovere scandala quibus nomen Dei blasphematur, nec à peccato recedere.

Tertium est spes obtinendi quod petitur; nemo enim supplex accederet ad eum quem certò nosset numquam ad vota flectendum. Hinc damnati Deum orare non possunt.

Quartum est postulatorum perceptio in eo ad quem petitio dirigitur, quia petitio est quædam locutio quæ supponit audientem. Hinc Oratio dicitur à S. Joanne Damasceno, lib. 3. Orthod. Fidei, cap. 14. *Ascensus mentis in Deum*, quia ex S. Thoma, oportet accedere ad eum à quo petimus.

Dicitur 2°. *Rerum decentium*; impium enim est à Deo petere quod non decet illum dare & nos

accipere. *Si à ſæcularibus abſtinere jubemur*, inquit S. Chryſoſtomus Hom. 42. in Joan. *quæ miſeria, quæ amentia eſt ea à Domino poſtulare?* Et S. Auguſtinus in Pſalm 85. *Deum adjutorem ponis cupiditatum.* Unde ejuſmodi Oratio contraria Religioni & cultui Dei convertitur in peccatum. Graviter ergo monendi ſunt Fideles ut attendant quid à Deo petant, & quo motivo, an ex cupiditate & amore rerum temporalium, an ex deſiderio vitæ æternæ. *Ad hoc pertinet*, pergit S. Doctor tract. 73. in Joan. *ne nos inducas in tentationem, neque enim parva eſt tentatio ſi contra tuam ſit cauſam tua poſtulatio.*

Dicitur 3°. *Deo facta*; à quo nempe bona cuncta procedunt, quorum per orationem illum agnoſcimus auctorem.

Dicitur 4°. *Sive mediante Sanctorum interceſſione*; quia ad Religionem etiam pertinet deprecari Sanctos uti Dei amicos, quibus ipſe inſpirat pro nobis deprecandi affectum, ut monemur pluribus Eccleſiæ Collectis: *Interveniat pro nobis, quæſumus, Domine, beata Virgo Mater tua*, vel, *ſanctus tuus Lucas Evangeliſta. Ejus qui tibi placuit, precibus adjuvemur, &c.* Sicque in invocatione Sanctorum Deum profitemur omnium bonorum auctorem.

Ex qua definitione colliges duo ad veram orationem tam neceſſariò requiri ut alterutro deficiente oratio non ſit, imò fiat in peccatum. Primum eſt mentis attentio, quia non ſine magna irreverentia quis hominem alloqueretur, tanquam inſanus non attendens ad ea quæ proferret. Secundum eſt pia voluntatis affectio, & ſerium deſiderium obtinendi quæ petuntur; alioquin ſeria non eſſet oratio, ſed illuſoria.

Q. 2°. *Quotuplex eſt attentio?*

R. Sanctus Thomas ſecundâ Secundæ, q. 83. art. 13. & ex eo alii Theologi triplicem diſtinguunt. Prima eſt ad verba quæ ore proferuntur. Secunda, ad ſenſum verborum. Tertia, ad finem Orationis, ſcilicet ad Deum, & ad rem pro qua oratur.

Prima attentio requiritur in iis qui ex præcepto tenentur ad orationem vocalem, ut Clerici, quia præceptum ecclesiasticum cadit in ipsam etiam pronuntiationem; ac proinde præcepto non satisfaciunt qui oculis & mente dumtaxat legunt, lingua quiescente. Secunda est utilis, sed non est necessaria, cùm idiotæ linguâ peregrinâ & ipsis ignotâ verè orent. Tertia est maximè necessaria, ita ut duæ priores solæ non sufficiant. Non prima, quia ex S. Augustino, *Deus non vocis, sed cordis auditor est.* Non etiam secunda, quia Oratio est petitio; petitio autem est desiderii nostri directio ad eum cui supplicamus. Unde Clerici qui dum Choro assistunt lectioni incumbunt, non ut devotionem acuant aut nutriant, sed ut nova discant, distributiones non lucrantur, nec satisfaciunt præcepto audiendi Sacri.

Q. 3°. *Oratio estne actus bonus & utilis?*

R. Affirmativè, eam enim Christus commendat ac præcipit, Mat. 7. & Luc. 18. *Petite & accipietis. Omnis qui petit, accipit.*

Dices: Eatenus oratio utilis esse potest, quatenus vel patefacit alteri orantis indigentiam & desiderium, vel mutare potest ejus voluntatem, & ad sua vota inclinare: atqui oratio ad Deum neutrum præstare potest, omnia enim nuda & aperta sunt Deo, repugnatque ipsum velle in tempore quod non voluit ab æterno, aut desinere velle quod semel voluit, aliàs esset mutationi obnoxius; ergo impium, nedum utile videtur Deum orare, quasi ignorantiæ & mutationi subjaceat.

R. 1°. Negando absolutè majorem; quia Deus multa voluit ab æterno sub conditione, v. g. terram fructus proferre si homines in eâ plantent aut seminent: *Constat Deum alia nonnisi orantibus præparasse*, inquit S. Augustinus, lib. de dono persev. cap. 16. Ergo sicut agricola voluntatem Dei non mutat, sed implet dum colit agrum, ita & Fideles dum orationibus vacant.

R. 2°. Distinguendo majorem cum Guillelmo

Parisiensi in opere de Rhetorica divina, c. 2. Oratio quæ dirigitur ad creaturas eò tendit ut deprecans suam patefaciat indigentiam ac desiderium, voluntatemque alterius indifferentem, fortè etiam aversam ad se convertat, concedo; oratio quæ dirigitur ad Deum, nego majorem. Itaque diligenter observandum, & Fideles seriò monendi nos aliter hominem, aliter Deum deprecari.

Cùm oramus hominem, 1°. exponimus nostram indigentiam & miseriam, quæ ipsi perspecta non erat; deinde rationibus & obsecrationibus eum urgemus, ut ex nolente fiat volens, & bene nobis faciat. Sed cùm Deum nihil lateat, & quæ semel ab æterno absolutè decrevit, revocare non possit, utpote immutabilis, si à Christo orare didicisti, non oras ut ipsum doceas, sed ut ab ipso docearis & illumineris, non ut tua, sed Dei voluntas fiat in te: *Non mea voluntas*, inquit Luc. 22. *sed tua fiat.*

Enimverò nulla pœna fingi potest major quàm si Deus dimittat hominem desideriis cordis sui; pravum quippe est cor hominis, Jer. 17. in omne malum præceps, & à summo bono aversum; alioquin cur non omnes salvi fiunt, cùm Deus velit omnes salvos fieri, nisi quia ipsi nolunt; ut observat S. Augustinus lib. de Spir. & Lit. cap. 33. In Oratione igitur peccata nostra Deo confitemur, animæ nostræ vulnera exponimus, non ut Deo pateant, sed ut per humilem confessionem pervenire mereamur ad verissimam nostri cognitionem, quâ practicè nobis vilescat & displiceat quod sumus. Oratio est mentis ascensus ad Deum; atqui in illo motu terminus à quo recedendum est, ex sancto Thoma, est superbia & amor sui; terminus verò ad quem accedendum, est unitas spiritûs cum Deo, & perfecta consensio cum divina ejus voluntate, quæ, ut optima & omnipotens, diligentibus se fons est omnium bonorum, adversa quæque in bonum ipsorum sapienter ac insuperabiliter convertit.

Ergo Orationem nostram ad aures Dei tum

perveniſſe credendum eſt, cùm liberiores nos reddit à curis mordacibus vitæ temporalis, anxietates quæ cruciabant, compeſcit, fugat triſtitiam ex adverſo caſu conceptam; ſicque in Dei beneplacito quieſcere facit, ut ex toto corde dicamus contra rebelles carnis & concupiſcentiæ motus: *Non mea voluntas, ſed tua fiat.*

Ergo oratio eſt actus bonus, & quidem religionis poſt devotionem præſtantiſſimus; is enim actus religionis cæteris eſt præſtantior, quo creatura rationalis magis ſe dejicit, & ſubjicit in teſtificationem infinitæ Dei excellentiæ: atqui oratio eſt hujuſcemodi, qui enim petit à Deo intellectum bonum, cor mundum & novum, ſpiritum cogitandi & agendi quæ recta ſunt, inferiores potentias, ſenſus & appetitum colligit, & quodam modo mortificat, omnem actum, quantùm fieri poteſt, illis interdicens, unde laborioſa exiſtit oratio, alioquin per ſe delectabilis; nonne totum ſe coram Deo dejicit, ac pro nihilo reputat? Ita S. Thomas art. 3. ad tertium.

Ergo oratio eſt omnino neceſſaria: *Non habetis, propter quod non poſtulaſtis*, Jac. 4. & S. Auguſtinus, ſeu Auctor de eccleſiaſticis dogmatibus, cap. 56. *Nullum credimus ad ſalutem, niſi Deo invitante, venire . . . nullum niſi orantem auxilium promereri.*

Ergo oratio neceſſaria eſt neceſſitate tum præcepti, tum medii, Chriſtus enim dicendo *Petite*, præceptum imponit, interprete S. Thomâ, art. 2. & addendo *Accipietis*, medium neceſſarium ad obtinendum demonſtrat.

Q. 4°. *Quando & quoties urget orandi præceptum?*

R. Ait Dominus, Luc 18. *Oportet ſemper orare, & non deficere.* Verbum *oportet* denotat non eſſe conſilium, ſed præceptum; ſed ut caveatur hæreticorum error quos Theodoretus Meſſalianos vocat, lib. 4. de Fabulis hæreticorum, qui totam legem ad Orationem coarctabant, cùm Chriſtus multa alia pietatis opera præcipiat, ut veſtire nudos,

visitare infirmos, hospitium præbere peregrinis.

Nota duo in Oratione esse distinguenda. Primum, est desiderium vitæ æternæ & mediorum, scilicet divini auxilii, sine quo acquiri non potest. Secundum est ipsa petitio, quæ ex dictis est nostri desiderii intimatio Deo facta. Desiderium ex quo procedit petitio pertinet ad charitatem, ipsa verò petitio seu desiderii expositio & intimatio, in qua formaliter consistit oratio, est actus Religionis, cùm per eam testemur omnimodam nostram à Deo dependentiam, ipsique subjiciamur tanquam bonorum omnium principio. His ita observatis.

Desiderium charitatis, ex quo procedit oratio, continuum esse debet vel actu vel virtute, quatenùs virtute hujus desiderii tenemur semper agere, dicente Apostolo 1. Cor. 10. *Omnia in gloriam Dei facite*; & S. Augustt. Ep. 130. aliàs 121. *In ipsa fide, spe & charitate continuato desiderio semper oramus.* Sed ipsa actualis petitio nec debet nec potest esse continua, quia aliis bonis operibus vacandum est; crebriùs tamen frequentanda ne charitatis desiderium extinguatur: *Ideò*, inquit S. Aug. cit. Ep. *ab aliis curis atque negotiis, quibus ipsum desiderium quodammodo tepescit, cæteris horis ad negotium orandi mentem revocamus, verbis orationis nos ipsos admonentes in id quod desideramus intendere, ne quod tepescere caperat omninò frigescat, & penitùs extinguatur nisi crebriùs inflammetur.*

Quo autem tempore & quoties orandi præceptum urgeat, præcisè definiri non potest, cùm id pendeat non solùm ex Dei ordinatione, sed etiam ex cujusque dispositionibus, tentationibus, & aliis circumstantiis: *Uniuscujusque enim rei quantitas debet esse proportionata fini*, inquit S. Thomas, *sicut quantitas potionis sanitati.* Denique illud pro certo habeamus sæpiùs esse precandum, nec sine salutis æternæ periculo illud Religionis opus diù omitti posse.

Q. 5°. *Suntne aliqua determinatè à Deo petenda?* Negant Mystici nostræ ætatis (quos Quietistas

vocant) quidquam determinatè esse petendum in statu perfectionis; sed omnia divinæ voluntati sic esse committenda, ut homo perfectus passivè se habeat in oratione; quem errorem Innocentius XII. perstrinxit suâ Constitutione in Galliis solemniter receptâ anno 1699. Quare.

R. Catholica doctrina est quædam à Deo determinatè esse petenda, id enim docuit Christus tum exemplo; oravit enim determinatè pro persecutoribus, Joan. 17. & pro resurrectione Lazari, Joan. 11. tum verbo, dum precandi formam dedit septem petitionibus distinctam, de qua sanctus Augustinus, Epist. 157. aliàs 99. sic scribit: *Omnibus necessaria est Oratio Dominica, quam etiam ipsis arietibus gregis, id est, Apostolis suis Dominus dedit.... Si quos futuros Dominus prævideret meliores utique, quàm extiterunt ejus Apostoli, aliam orationem illos doceret.*

Q. 6°. *Quanam determinatè petere debemus?*

R. Quæ continentur in Oratione Dominica adeò necessaria, ex S. Cypriano in ejus Expositione, *Ut aliter orare quàm docuit* (Christus) *non ignorantia sola sit, sed & culpa.* Et S. Thomas hîc art. 9. *In Oratione Dominica*, inquit, *non solùm petuntur omnia quæ rectè desiderare possumus, sed etiam eo ordine quo desideranda sunt, ut sit hæc Oratio non solùm instruat postulare, sed etiam sit informativa totius nostri affectus.* Singula divinæ hujusce Orationis verba exponemus ad calcem Compendii.

Q. 7°. *Oratio habetne infallibilem effectum?*

Nota orationem tripliciter spectari posse. 1°. Ut est actus supernaturaliter bonus, 2°. Ut est opus pœnale; elevatio enim mentis ad Deum non fit sine lucta cum sensibus, & sine aliqua corporis defatigatione, præsertim si sit diuturna. 3°. Ut est mera petitio, ut in Medico petente eleemosynam, cujus orationes & obsecrationes respectu divitis non habent rationem operis meritorii, cùm non fiant in ejus honorem aut obsequium, sed meræ petitionis ad impetrandum ordinatæ.

Certum

Certum est orationem spectatam primo modo, scilicet ut opus bonum, in justo esse meritoriam de condigno vitæ æternæ & augmenti gratiæ sanctificantis; habet quippe omnes conditiones meriti. Secundo modo esse satisfactoriam; ita enim definiit Concilium Tridentinum, sess. 14. can. 13. Sed oratio duobus hisce modis hîc non spectatur: quæstio solùm est de oratione tertio modo spectata; utrùm scilicet, quatenùs est mera petitio apud Deum, infallibiliter impetret quod postulatur.

R. Affirmativè, si fiat cum debitis conditionibus; Deus enim, qui id expressè promisit, fidelis est, seipsum negare non potest, 2. Tim. 2. Ait autem Marci 11. v. 24. *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis.* Nihil expressius habetur in Scriptura de efficacia Sacramentorum.

Dixi, *Cum debitis conditionibus*, quia sicut Sacramenta novæ Legis, quantùmcumque per se efficacia, non habent effectum in iis qui ponunt obicem, ita nec oratio, ubi desunt conditiones requisitæ. *Petetis, & non accipietis, eò quòd malè petatis*, Jac. 4.

Q. 8°. *Quæ requirantur conditiones ut oratio habeat infallibilem effectum?*

R. Quatuor debent fieri. 1°. Piè. 2°. Cum fiduciâ. 3°. Pro se ipso. 4°. Perseveranter. Ita ferè S. Thomas art. 15. ad secundum.

Q. 9°. *Quæ observari debent ut cum pietate fiat Oratio?*

R. Tria.

Primum. Attentè ac devotè fiat necesse est; peccat enim contra religionem & reverentiam Deo debitam qui orat negligenter & cum voluntaria mentis exagitatione, ac proinde ex sua oratione poenam, non gratiam expectare debet.

Secundum. Non petantur contraria salùti, sed ea dumtaxat quæ ex Dei ordinatione conducunt ad vitam æternam, quam solam in orationibus

intendere debemus, dicente Domino, Matth. 6. *Quærite primùm regnum Dei & justitiam ejus*; nec addit, ut observat S. Augustinus in hunc locum, lib. 2. de Serm. Domini in monte, cap. 205. deinde temporalia quærite; sed, *& hæc omnia adjicientur vobis*, id est, consequentur, *ne cùm ista quæratis, illinc avertamini; aut ne duos fines constituatis, ut & regnum Dei propter se appetatis, & ista necessaria; sed hæc potiùs propter illud, quia duobus dominis servire non potestis.* Vult ergo Magister noster ut ad Deum per orationem recurramus, sicut ægrotus ad medicum. Quid autem aliud æger petit à Medico quàm ut sanetur? Adhibebit quidem ille necessaria remedia; sed nihilominus æger, quamvis & istud exoptet, unam sanitatem quærit, quia ubi multa ordinantur ad unum, non censentur multa, sed unum; nec propterea duplicatur ejus intentio, quod enim propter illud amatur, ex sancto Doctore, non ipsum amatur, sed illud propter quod amatur. Secus si æger usum vini à Medico noxium judicante extorquere vellet, jam enim convinceretur duo concupiscere, sanitatem nempe & voluptatem. Atque in isto exemplo intelligit Lector quid Christianus in orationibus suis cavere debeat, ne scilicet temporalia propter se expetat; ut sic enim non sint materia orationis, sed cupiditatis, quæ cum maximè timenda est, ex S. Aug. cit. lib. cap. 13. cùm non superflua, sed necessaria petimus. Et ideò non videtur peccare, quamvis propter ipsa cor dupliciter & ad ea deprimatur mentis nostræ intentio, quantò melius hoc petitur, ut etiam ab isto cupiditatis malo liberet, cui dicimus: *Libera nos à malo.* Ita S. Augustinus, Ep. 130. aliàs 121. cap. 12.

Tertium. Ut Oratio sit pia & impetratoria debet procedere à Spiritu sancto, Rom. 8. v. 15. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater.* Et v. 26. *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*

id est, postulare facit & gemere gravatos infirmitatibus. Quibus locis S. Augustinus, lib. de Dono persev. cap. 13. urget Semipelagianos negantes orationem esse Dei donum : *Attendat ergo*, inquit, *quo modo fallantur qui putant esse à nobis, non dari nobis ut petamus, quæramus, pulsemus .... Nec volunt intelligere etiam hoc divini muneris esse ut oremus... Quod vidit beatus Ambrosius, ait enim, & orare Deum gratia spiritalis est.* Absit autem ut quis orandi studium eo prætextu prætermittat, quòd non habeat donum orationis, cùm puderet eum ejusmodi simulatione excusare quòd non servet Dei & Ecclesiæ præcepta, quæ sine dono obediendi observari nequeunt, ut oportet. Porrò nusquam minus diffidere licet de Dei adjutorio, quàm ubi de oratione agitur, utpotè quæ sit medium à Deo ordinatum, justis & peccatoribus necessarium, ad obtinendum quod illis deest ad salutem consequendam ; adeò ut multi interdum careant gratiâ proximâ ad operandum, cùm illis præsto sit gratia ad orandum. *Deus*, inquit Concilium Tridentinum, sess. 6. c. 11. *Jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis.*

Ergo cùm in plerisque nulla aut penè nulla sit orationis instantia pro obtinendis à Deo bonis spiritualibus, maxima verò pro consequendis temporalibus, non temerè colligitur orationes eorum non procedere à Spiritu sancto, sed à cupiditate ; nec proinde esse impetratorias, ut suprà monuit S. Jacobus : *Petitis & non accipitis, eò quòd malè petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis.*

Q. 11°. *Quæ debet esse orantis fiducia ad infallibiliter impetrandum ?*

R. Non debet esse absoluta, sed hypothetica & conditionata, nempè si petat ut oportet, & omnes concurrant conditiones. Firma sit & inconcussa ex parte Dei ; extat enim ejus verbum & promissum infallibile : *Omnis qui petit, accipit*, Matth. 7. Qui autem in hoc verbo hæsitat : *Non æstimet homo ille, quòd accipiat aliquid à Domino*, Jac. 1. Sed *quilibet*,

dum seipsum suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, verba sunt Concilii Trid. sess. 6. c. 9. *de suâ gratiâ formidare & timere potest.* Verùm isthæc sui ipsius diffidentia excitat fiduciam in Dei misericordia, & ad precandum ardentiùs ac perseverantiùs impellit, quia *nemo aliquando ad eum flens accessit, qui non quod postulavit accepit*, inquit S.Chrysostomus, Hom. de Moïse; & S.Bernardus, Serm. 11. in Cant. *Si de vobis in humilitate sentitis, sentite & de Domino in bonitate.* Publicanus pro sua reverentia & animi dejectione, exauditus est, Pharisæus verò ob nimiam sui ipsius fiduciam repulsus. Luc. 18.

Q. 12°. *Quid sentiendum est de Oratione qua fit pro aliis?*

R. 1°. Si ex charitate fiat, infallibiliter est oranti meritoria, quia est opus bonum. 2°. Negari non potest quin aliquando sit utilius pro quibus intercedimus; Deus enim Ecclesiæ donavit & Saulum precibus sancti Stephani, & Augustinum lacrymis sanctæ Monicæ. 3°. Non semper pro aliis est impetratoria; quia plerùmque ponunt obicem. Ita sanctus Thomas, art. 7. ad secundum: *Pro se orare*, inquit, *ponitur conditio orationis; non quidem necessaria ad effectum merendi, sed necessaria ad indisidentiam impetrandi. Contingit enim quandoque quòd oratio pro aliis facta non impetrat, etiamsi fiat piè & perseveranter, & de pertinentibus ad salutem: ... secundùm illud Jeremiæ 25. Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.*

Q. 13°. *Quo sensu perseverantia est conditio necessaria ad impetrandum?*

R. 1°. Non est semper necessaria, namque Daniel, ubi se dedit orationi, statim exauditus est, Dan. cap. 1. Deinde si Deus nonnulla concedit nobis non orantibus, à fortiori cùm piè petamur. Sed sæpiùs perseverantiæ datur quod primæ petitioni negatum fuit, ut patet in Chananæa, Matth. 15. Ac proinde certum non est

omnem orationem ſtatim exaudiri. Quare.

R. 2°. Oratio infallibiliter non impetrat, niſi ſit perſeverans: *Oportet ſemper orare & non deficere*, ait Dominus, Luc. 18. Illudque confirmat exemplo viduæ, quæ ſæpiùs ab iniquo Judice repulſa, per importunas preces tandem fregit illius duritiam. Et cap. 11. docet non ſolùm petendum, ſed & quærendum, & pulſandum, donec aperiatur.

Q. 14°. *Quare Deus differt precantium vota?*

R. 1°. Ut creſcant noſtra deſideria, dilatenturque corda noſtra, & capere poſſint ejus dona.

Petendo autem & quærendo creſcit, ut capias. Servat tibi Deus quod non vult citò dare, ut & tu diſcas magna magnè deſiderare. S. Auguſtinus, Serm. 61. aliàs 5. de verbis domini. 2°. Ut nos in humilitate contineat per experientiam propriæ indigentiæ & infirmitatis. 3°. Ut dona ejus habeantur in majori pretio & ſollicitiùs conſerventur. *Cùm aliquando tardiùs dat*, inquit ſanctus Auguſtinus cit. Serm. *commendat dona, non negat: diù deſiderata dulciùs obtinentur; citò autem data vileſcunt.* Veniæ facilitas peccandi occaſionem præbet; difficultas verò cautiores reddit. 4°. Ut nos tanquam parvulos infirmos ſibi devinciat: *Oratio*, inquit S. Chryſoſtomus in Pſalm. 4. *non parvum vinculum eſt dilectionis in Deum.... Si enim qui cum magno aliquo viro multùm verſatur, ex ejus conſuetudine maximum fructum percipit, quantò magis qui cum Deo perpetuam habet conſuetudinem?*

Ergo vera ratio cur plures in melius non mutentur, vel in gratia non perſeverent, ea eſt quòd inſtanter ac perſeveranter non orent. *Quis juſtorum non orando pugnavit?* ait S. Chryſoſtomus, Hom. de Moïſe. *Cùm levaret Moïſes manus, vincebat Iſraël; ubi autem ſubmiſerat, vincebat Amalech. Bellum Chriſtianis indictum hoc exemplo monſtratur belli effectus, orationis inſtantiâ aperitur: Orat enim Moïſes, & vincit; ceſſat, & vincitur. Didicit Chriſtianus unde vincat & vincatur. Nec quiſquam poterit excuſari, qui hoſtem vincere noluit dum orare ceſſavit.*

Similia habet S. Auguſt. Serm. 352. aliàs Hom. 27. l. 50. Hom.

Q. 15°. *Quomodo dividitur oratio?*

R. In mentalem, quæ fit ſolâ mente; & vocalem, quæ fit additâ voce corporali. Dico *additâ*, quia vocum prolatio præcisè ſumpta, non eſt oratio; namque ex dictis oratio eſt noſtri deſiderii coram Deo explicatio, nec prodeſt ſtrepitus oris, muto corde. Oratio igitur vocalis, ut ſit vera oratio, mentalem neceſſariò includit, ut advertit Navarrus in Manuali cap. 18.

Q. 16°. *Cur orationi mentali adjunguntur voces?*

R. Quia, ex ſancto Auguſtino, Ep. 130. aliàs 121. verbis & aliis ſignis ad devotionem nos ipſos acriùs excitamus. *Et ideo*, inquit S. Thomas, art. 12. *in ſingulari oratione tantùm eſt vocibus utendum, quantùm proficit ad excitandam interiùs mentem. Si verò mens per hoc diſtrahatur, vel qualitercumque impediatur, eſt à talibus ceſſandum; quod præcipuè contigit in iis quorum mens ſine hujuſmodi ſignis eſt ſufficienter ad devotionem parata.*

Q. 17°. *Quid eſt oratio mentalis?*

R. Eſt ſtudioſa inveſtigatio veritatis ad concipiendum devotionis fervorem.

Dicitur *ad concipiendum devotionis fervorem*, ut ſignificetur meditationem non eſſe meram ſpeculationem, ſed opus rationis practicæ incitantis voluntatem ad fugam mali & proſecutionem boni.

Q. 18°. *Meditatio eſtne neceſſaria?*

R. Aliqua meditatio omnibus eſt neceſſaria neceſſitate medii. Probatur ex Scripturâ, Jer. 12. *Deſolatione deſolata eſt omnis terra, quia nullus eſt qui recogitet corde.* Eccli. 3. *Quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper.* Matth. 13 & Luc. 8. Verbum Dei auditum & non recogitatum, eſt ſemen cadens vel ſecùs viam, & conculcatum, vel in ſpinas, & ſuffocatum. Spinæ ſunt, interprete Domino, ſollicitudo ſæculi, fallacia divitiarum ac voluptatum, à quibus retrahendam mentem monet Iſaïas cap. 46.

Redite prævaricatores ad cor : scilicet ut recogitetis quàm vana sint quæ sub sole geruntur, quàm magna quæ Deus diligentibus se promittit, quàm verò terribilia quæ mundanis minatur. David, licèt negotiorum multitudine pressus, meditationibus mundabat cor suum, ut testatur Psal. 76. *Meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum*, adeo meditatio illi videbatur necessaria. Et verò quotidie experimur multos gravium peccatorum conscios resipiscere meditationis ope, atque eo gressu in via virtutis proficere, quo ad piam illam exercitationem confugiunt; adeo ut si quid de illa remittant, tepescat eorum ardor, & ubi illam prorsùs neglexerint, in pristina crimina relabantur.

Dices : effatum est, qui studet, orat; ergo lectio sufficit ad salutem.

Distinguo ant. Qui studet meditando & orando, concedo; qui studet simpliciter ut discat, nego ant. *Quid enim prodest lectione continuâ tempus occupare*, inquit Auctor de modo orandi inter opera S. Bernardi, *Sanctorum gesta & scripta legendo transcurrere, nisi ea etiam masticando & ruminando, succum eliciamus, & transglutiendo usque ad cordis intima transmittamus? Item quid prodest homini si per meditationem quæ agenda sunt videat, nisi orationis auxilio & Dei gratiâ, ad ea obtinenda convalescat? Oratio sine meditatione tepida est; meditatio sine oratione infructuosa.*

Q. 19°. *Quotuplex est oratio vocalis?*

R. Duplex. Privata, quæ fit proprio nomine, quamvis pro omnibus; & publica, quæ fit nomine totius Ecclesiæ à Ministris ab ipsa ad Deum deputatis, ut horæ canonicæ, quæ persolvuntur à Clericis.

Q. 20°. *Quænam est præstantior & præferenda?*

R. Publica. Quid enim sublimius, quidve magis arduum quàm legatum ab universali Ecclesia ad Deum deputari, atque ejus nomine apud divinam Majestatem intercedere, ne peccatis nostris provocata

in ira contineat misericordias suas, sine quibus frustra laborarent qui ædificant, aut priùs ædificatæ conservare niterentur? Nullus enim potest corrigere quem Deus despexerit iratus; contra verò omnis ad eum certò veniet, si illum eo quem novit congruere, modò vocaverit placatus. Hinc est quod cùm Ecclesia ex sacro Clericorum ordine aliquos dumtaxat assumat ad verbi divini ministerium, omnes & singulos lege suâ astringit diù noctùque statis horis, absque necessitate nullatenus mutandis, levare manus suas ad Deum, & orationes veluti murum firmissimum iræ Dei opponere, ut dicitur Ezech. 13. Quibus perpensis, nemo non videt quanti faciendæ sint horæ canonicæ quàm studiosè & devotè sint persolvendæ.

Ergo magna est eorum allucinatio, qui ut lectioni, scriptioni & exhortationi vacent, studium orandi remittunt, & horas canonicas perfunctoriè decurrunt.

Ergo sicut in privata oratione nostris malis privatis tangimur & afficimur, sic & in publica communibus Ecclesiæ necessitatibus commoveamur necesse est. *Portabitque Aaron*, ait Dominus, Exod. 28. *nomina filiorum Israël in rationali judicii super pectus suum, quando ingredietur Sanctuarium, memoriale coram Domino in æternum*; id est, ut meminerit in publica oratione singula Ecclesiæ membra ferre in pectore per compassionis amorem.

Ergo Clericus, ut dignè obeat hujusce legationis ministerium, eâ vitæ sanctitate & conscientiæ puritate, promeruisse debet facilem ad Deum accessum, ut docet S. Gregorius, 2. parte Pastor. c. 10. gravissimis hisce verbis: *Si homo apud hominem, de quo minimè præsumit, fieri intercessor erubescit, quâ mente apud Deum intercessionis locum pro populo arripit, qui familiarem se ejus gratiæ esse per vita merita nescit? ... Cuncti enim liquidò norunt quàm cùm is qui displicet ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur.*

Caput IV.

De Voto.

Q. 1°. *Quid est Votum?*

R. Definitur, promissio deliberatè & sponte Deo facta de meliori bono & possibili.

Dicitur 1°. *Promissio*, quo nomine intelligitur deliberata & spontanea fidei obligatio in gratiam alterius. Unde promissio tria includit diligenter notanda, cùm ex iis solvantur innumeræ difficultates quæ in praxi occurrunt circa votum.

Primùm. Est deliberatio; promissio enim est actus liber: atqui libertas sine rationis advertentia stare nequit.

Ergo irritum est votum ex errore procedens, quia est sine advertentia & debita deliberatione.

Notandum tamen est triplicem esse errorem. Alius est circa substantiam actûs; ut si rusticus, auditâ concione in laudem Terræ sanctæ, voveat illuc peregrinationem, existimans paucis distare leucis. Alius est causa finalis, sine qua votum non fieret: Sic præsumpta paupertas Petri, qui reverà dives, est causa finalis vovendi eleemosynam in ejus gratiam. Alius denique est causa solùm impulsiva, quâ non stante, nihilominus staret votum, sed ex minori affectu, v. g. dandi eleemosynam pauperi, quia pius videtur, cùm tamen non sit.

Votum non stat cum primo & secundo errore, quia ut sic, est involuntarium; benè cum tertio, cùm non desit voluntarium & præcipuum vovendi motivum, nempè paupertas.

Porrò ad votum major deliberatio non requiritur quàm ad peccatum mortale: quapropter si quis sciens & volens consentit tentationi, peccat mortaliter si materia sit gravis, quamvis non attendat ad multa, quæ haud dubiè actum ejus suspendissent. Similiter voto tenetur qui, licèt ex præcepti

devotionis motu, liberè tamen Deo promittit, non attendens ad ea quæ à proposito deterruissent: sed hæc mentis levitas & præcipitatio solet esse justa dispensationis causa.

Secundùm, quod in promissione intelligitur, est spontaneum propositum, seu voluntatis decretum, quo quis firmiter statuit, decernit se quidquam præstiturum.

Ergo metus cadens in constantem virum, & injustè incussus ad vovendum, jure canonico irritat votum, C. 1. *De his quæ vi & metu.* Dico, *cadens in constantem virum, & injustè incussus ad vovendum*; quia valet votum tum ex metu gravi, sed justo, tùm etiam aliquando ex injusto, quando scilicet non injicitur ad vovendum. Hinc qui vovet ad vitandas manus latronis, voto astringitur, quia sponte vovet.

Tertiùm, quod includitur in promissione est fidei obligatio, quæ acceptata, revocari non potest, & omnino ligat. Dubium autem non est quin Deus acceptet quod melius est; ac proinde promissio de meliori bono Deo facta statim obligat.

Ergo nullum est votum nisi adsit fidei obligatio præter firmum propositum. Cùm autem propositum soleat exprimi per verbum *promitto*, pœnitens v. g. in tribunali pœnitentiæ proponens se eadem peccata non commissurum, utitur verbo *promitto*, quâ loquendi ratione procul dubio votum non emittit; Confessarii est expendere quæ fuerit illius mens qui dicit se promisisse Deo servare castitatem; nimirum an solùm proposuerit, an verò fidem obligarit. In dubio recentiores non pauci existimant judicandum pro libertate pœnitentis, nimirum ipsum non promisisse. Sed Vasquesius, & Generalis Minister Societatis Jesu Thyrsus Gonzales, Dissert. 7. parag. 13. refellunt hanc sententiam utpote veteribus ignotam, contenduntque standum pro religione voti juxta illud effatum, in dubiis tutior pars est eligenda.

Dicitur 2°. *De meliori bono*; de bono quidem, quia promissio de re illicita repugnat divino cultui: de re autem indifferenti est cultus vanus; ut si mulier vovisset non nere die Sabbathi, ac proinde non est votum, nec actus religionis. De meliori verò, quia promissio quæ impedit majus bonum, sub hoc respectu de cultu Dei detrahit, nec potest esse illi grata; unde qui priùs voverat inire matrimonium ad vitandam fornicationem, nunc cupit in Religione profiteri, non tenetur voto ineundi matrimonii.

Dicitur 3°. *Et possibili*; ineptè enim quis se obstringeret ad id quod præstare non posset; displicet autem Deo stulta promissio. Eccli. 5.

Q. 2°. *Estne obligatio adimplendi votum?*

R. Affirmativè, tum jure divino: *Vovete & reddite Domino Deo vestro*, Psalm. 75. tum jure naturali, quia omnis promissio acceptata naturaliter obligat.

Q. 3°. *Quotuplex est votum?*

R. Triplex, nempè personale, quo promittitur actio; v. g. peregrinatio ad pium locum: reale, quo promittitur res aliqua, v. g. eleemosyna: mixtum, quo promittitur & actio & res aliqua; ut si quis simul voveat peregrinationem ad pium locum, & ibi calicem offerre. Obligatio voti personalis non transit ad hæredes, sed sola voti realis aut mixti, quatenùs reale est. Unde hæredes non tenentur peregrinari pro defuncto ad locum pium, sed satis est si per alium offerant calicem quem defunctus voverat.

Q. 4°. *Quotupl ex est votum personale?*

R. Duplex. Solemne, quod fit per susceptionem Ordinis sacri, vel professionem alicujus statûs religiosi ab Ecclesia approbati; & simplex, ut votum ingrediendæ Religionis.

Q. 5°. *Quotuplex est votum simplex?*

R. Duplex, nempe absolutum, cui nulla ponitur conditio; conditionatum, quod fit cum conditione, v. g. si evasero ex periculo naufragii.

R.

Q. 6°. *Quot modis potest cessare obligatio voti?*

R. Tribus, irritatione, dispensatione, & commutatione.

Q. 7°. *Qua vota irritari possunt?*

R. Omnia quæ sunt in præjudicium tertii; talia autem censentur quorum materia vel causa efficiens, nempe persona voventis, est sub potestate dominativa alterius qui voto non consensit; Deus enim non acceptat oblationes cum alterius injuria. Num. 30. v. 6. *Si contradixerit pater, & vota & juramenta ejus* (filiæ) *irrita erunt.* Et v. 14. *Si voverit,* (uxor) *& juramento se constrinxerit, ut per jejunium, vel caterarum rerum abstinentiam, affligat animam suam, in arbitrio viri erit, sive faciat, sive non faciat.*

Dixi *sub potestate dominativa*, juxta quam unus ita pendet ab alio, ut non possit absque ejus injuria de seipso vel de re sua contra ejus voluntatem disponere, ut famulus de operationibus quas locavit; nam potestas jurisdictionis non sufficit ad irritanda vota.

Ergo summus Pontifex non potest irritare omnium Fidelium vota, quia non habet potestatem dominativam in omnes Fideles, sed solùm in Religiosos professos.

Ergo Superiores Religiosorum possunt irritare omnium subditorum vota, tum realia, tum personalia, excepto voto strictioris Religionis.

Ergo pater irritare potest omnia vota filiorum impuberum, tum realia, tum personalia, ex C. *Puella*, causâ 20. q. 2. etiam postquam adoleverint, modò puberes jam facti non confirmarint quod impuberes voverant. Quòd si pater sit defunctus, vel amens, vel longissimè absens, hæc potestas transit ad avum, deindè ad tutorem, denique ad matrem in defectum patris aut tutoris, & omnium ascendentium in sexu virili.

Dixi *impuberum*, nam patet non potest irritare vota personalia filiorum puberum; v. g. votum

servandæ castitatis, ingrediendæ Religionis; potest tamen suspendere executionem, si eorum opera indigeat.

Ergo maritus potest irritare & suspendere uxoris vota, etiam ante matrimonium emissa, & uxor vicissim mariti, quando nocumentum afferunt societati conjugali; ut longiores peregrinationes, abstinentiæ, quæ tædium alteri conjugi pariunt, ex C. *Manifestum*, causâ 33. q. 5. Plura tamen uxoris vota irritare potest maritus quàm uxor mariti, cùm ad ipsum pertineat familiæ administratio. Consule quæ diximus nostro tomo 4. ubi de voto.

Q. 8°. *Quis potest commutare vota, aut in iis dispensare?*

R. 1°. Certum est licere privatâ auctoritate votum mutare in aliud evidenter melius & saluti voventis utilius; v. g. votum nubendi in votum ingrediendæ Religionis, quia, ut habetur C. *Pervenit*, tit. de Jurejurando, propositum aut promissum non infringit qui in melius commutat.

R. 2°. Jure ordinario soli habentes jurisdictionem externam, ut summus Pontifex, Episcopi, dispensare possunt in votis subditorum, eaque commutare in aliud bonum, minus aut æquale; quia illa dispensatio pertinet ad externam Ecclesiæ gubernationem, sicut indulgentiarum concessio, & excommunicatio.

Sunt tamen nonnulla vota ex consuetudine summo Pontifici reservata, ut votum ingrediendæ Religionis, & votum absolutum perpetuæ castitatis, in quibus Episcopus dispensare non potest nisi adsit dispensandi necessitas, nec recurri possit ad summum Pontificem.

Dixi 1°. *Castitatis*; nam votum non nubendi relaxare potest Episcopus, nisi vovens intenderit vovere castitatem. 2°. *Perpetuæ*, quia si sit ad tempus, Episcopus in ea dispensare potest. 3°. *Absolutum*; in voto enim castitatis conditionato Episcopus dispensare potest, modò conditio non sit impleta secundùm tutiorem opinionem.

Q. 9°. *Requiriturne causa ad voti irritationem et dispensationem?*

R. 1°. Ut valida sit irritatio, nulla requiritur causa, sed sola irritantis voluntas sufficit, quia Deus non acceptat quæ ipsi cum alterius injuria offeruntur, ut patet ex cit. cap. 30. Num. Posset tamen peccare irritans, si votum esset admodum utile saluti voventis, nullumque ipsi irritanti præjudicium afferret.

R. 2°. Dispensatio sine causa est prorsùs nulla, nec eâ uti licet, quia obligatio voti ex dictis est juris naturalis & divini, quod nulla potestas humana solvere potest. Eatenus ergo summus Pontifex & Episcopus dicuntur dispensare in votis, quatenus ex gravibus causis judicant & declarant Deum non acceptare promissionem sibi factam, putà quia videtur noxia saluti voventis. In dubio autem utrùm causa dispensandi sit sufficiens, standum est judicio Superioris, modò sincerè ac dilucidè omnia fuerint exposita.

Caput V.

De Juramento.

Q. 1°. *Quid est Juramentum?*

R. Definitur, contestatio seu invocatio divini nominis ad fidem faciendam vel promissionem firmandam.

Ergo qui jurat per cœlum, per evangelia, per templum, per fidem christianam, eorum auctorem censetur in testem adducere; alioquin res hujusmodi utpote inanimes, capaces non sunt ferendi testimonii. Sancti quidem in testes vocari possunt; sed nisi invocentur quatenus veritas divina in illis specialiter relucet, non erit juramentum pertinens ad latriam, de quo solo hîc loquimur, sed erit merus duliæ actus.

Utrùm autem juramenta habenda sint sequentes modi loquendi: *Deus scit, in conscientia mea, coram Deo loquor*, consulenda est intentio loquentis; nam ut habetur leg. 3. digestis de rebus dubiis, *In ambiguo sermone non utrumque dicimus, sed dumtaxat quod volumus.* Porrò si ista invocativè pronuncientur, juramenta sunt; ut Gal. 1. *Ecce coram Deo, quia non mentior.* Secùs, si enuntiativè tantùm.

Ergo qui jurat *in verbo Sacerdotis, in fide mea*, vel *per fidem meam*, quæ vulgò accipiuntur pro fide humana, propriè non jurat, quia nomen Dei nec explicitè nec implicitè invocat, quanquam homines rudes plerùmque se tanquam juramenti temerè facti accusant; unde anxius redditur Confessarius pro Sacramentis præceptis perseverante consuetudine confirmandi levia mendacia hujusmodi verbis. Sed si rem diligentia excutiat, deprehendet omnem dicti confirmationem ab iis vocari juramentum, ita ut jurare se putent si sermoni addiderint, *profectò, certè, in veritate.* Sicque apud illos duplicis generis sunt juramenta; alia levia, quæ sub mortali obligare non credunt; alia gravia, in quibus interseritur nomen Dei; v. g. *in fide divina*; & hæc sollicitiùs cavent. Quapropter Confessarius peccati mortalis reos non pronunciabit qui levia mendacia his formulis confirmare solent, nisi Deum in testem invocare intendant; sed curabit ut in posterum ab iis abstineant.

Ergo qui ex quodam iræ aut impatientiæ impetu nomen Dei proferunt absque ullâ affirmatione vel negatione, propriè non jurant, sed potiùs blasphemant, quia jurare est alicujus dicti veritatem testimonio confirmare.

Q. 2°. *Quomodo dividitur juramentum?*

R. Dividitur in assertorium, quo asseritur præsens vel præteritum; promissorium, quo firmatur promissio rei præstandæ; & execratorium, quo Deus in testem simul & vindicem advocatur, si falsa sit

noſtra aſſertio, ſi promiſſis non ſteterimus : *Puniat me Deus, ſi mentior.* Quando autem ejuſmodi execrationes ex ira proferuntur, ſæpiùs ſunt blaſphemiæ, de quibus infra, quia nomen Dei ſive Sanctorum, & ſacra noſtra Myſteria contumeliosè nominantur.

Q. 2°. *Juramentum eſtne licitum etiam Chriſtianis?*

Negarunt olim Pelagiani, ex S. Auguſtino, Epiſt. 57. aliàs 89. & etiamnum Anabaptiſtæ, propter illud Matth. 5. v. 34. *Ego autem dico vobis non jurare omninò.* Sed in mente S. Auguſtini ejuſmodi prohibitio intelligenda eſt quomodo prohibitio ſervilis operis die Dominicâ, nempe in caſu neceſſitatis licitum eſſe jurare, ſicut ſervilibus operibus vacare die Dominicâ. *Præceptum Domini in prohibitione juramenti, ad hoc poſitum eſt*, inquit S. Doctor, lib. 1. de Mendacio, cap. 15. *ut quantùm in te eſt non affectes, non quaſi pro bono cum aliqua delectatione appetas jusjurandum;* & lib. 1. de Serm. Domini in monte, cap. 30. *Non eâ* (juratione) *utatur, niſi neceſſitas cogat.* Quare ad propoſitam quæſtionem.

R. Licitum eſt juramentum etiam Chriſtianis ubi neceſſitas urget & adſunt aliæ conditiones, tum quia Apoſtolus ipſe non ſemel juravit, ut 2. Cor. 1. *Teſtem Deum invoco,* tum quia, ex S. Thoma, art. 4. *Hoc ipſo quòd homo per Deum jurat, profitetur Deum potiorem, cujus veritas eſt indefectibilis, & cognitio univerſalis, & ſic reverentiam Deo exhibet. Unde & Apoſtolus dicit Heb. 6. quòd homines per majorem ſe jurant. Philoſophus etiam dicit* 1. *Metaph. quod juramentum eſt honorabiliſſimum.* Eſt quippè ſolemnis profeſſio ſummæ excellentiæ ejus per quem juratur, ac propterea talis honos ſine crimine idololatriæ deferri nequit ei qui non ſit Deus.

Q. 4°. *Quot conditiones requiruntur ut juramentum ſit licitum?*

R. Tres expreſſæ, cap. 4. Jerem. v. 2. *Et jurabis, vivit Dominus in veritate, & in judicio, & in juſtitia.*

Ad veritatem requiritur ut jurans non levi conjecturâ, sed prudenter judicet verum esse quod jurat: ad justitiam, ut juramentum fiat de re licita: ad judicium, ut sanctum Dei nomen non assumatur temerè, sed cum reverentia, & in solo necessitatis casu; sicut enim impiè sacra Scriptura ad vana & scurrilia converteretur, sic sanctum & terribile Dei nomen assumeretur ad ea confirmanda.

Q. 5°. *Quotuplici modo juratur contra veritatem?*

R. Triplici. 1°. Quando jurans affirmat tanquam verum quod putat esse falsum, aut saltem de quo certus non est. 2°. Quando permittit aut minatur quod implere aut facere non intendit. 3°. Quando promissis juramento firmatis non stat absque legitima causa.

Q. 6°. *Quot sunt causæ propter quas juramentum promissorium absque perjurii periculo non impletur?*

R. Quinque numerantur.

Prima: Si juramentum ab initio fuit irritum & nullum, quia quod nec est nec fuit unquam, nullum potest habere effectum, nullamque parit obligationem.

Juramentum autem potest esse irritum. 1°. Si factum sit per errorem & dolum qui fuit jurandi causa; ut si juraveris te eleemosynam daturum Caïo quem pauperem credebas, cùm reverà pauper non sit; quia ejusmodi juramentum non est voluntarium. 2°. Si sit de re impossibili, quia ad impossibile nemo tenetur. 3°. Si sit de re illicita, juramentum enim non est vinculum iniquitatis, ex cap. *Quanto*, tit. *De jurejurando*. Nullus obligari potest ad peccandum, ex reg. 58. Juris in Sexto. Hinc qui promisit cum juramento se latronem non denunciaturum Judici, non obligatur si Judex eum in testem vocet, aut si bonum publicum exigat ut denunciet. 4°. Si juramentum sit de re prorsùs indifferenti, quia Deus non acceptat actiones quæ in ejus cultum & gloriam referri nequeunt.

Secunda causa propter quam juramentum promis-

sorium non ligat, est notabilis mutatio, quâ prævisâ, juratum non fuisset, ex C. *Quemadmodum*, tit. *de jurejurando*, ubi sponsus declaratur liber à sponsalibus juramento confirmatis, propter subsequentem sponsæ fornicationem, paralysim, visûs amissionem, &c. quia, inquit Glossa, in juramento justæ conditiones intelliguntur, quamvis non apponantur.

Tertia causa excusans à perjurio, est condonatio seu remissio ejus in cujus gratiam factum est juramentum, quia per illam remissionem res promissa non est amplius debita, sed habetur pro soluta, ac proinde jurans censetur satisfeciſse suo juramento. Ita S. Thomas art. 9.

Quarta est irritatio facta ab eo qui potestatem denominativam habet in jurantem.

Quinta est dispensatio aut commutatio; obligatio enim juramenti promissorii eodem modo solvitur, & ab iisdem, quomodo diximus capite præcedenti, obligationem voti solvi. Consule quæ ibi dicta sunt.

Q. 7°. *Qui cum juramento promisit usuras, tenenturne eas solvere?*

R. Tenetur, nisi cùm eo dispensatum fuerit à Superiore jurisdictionem externam habente, quia per se malum non est solvere usuras, quamvis injustè extortas. Ita Alexander III. cap. *Debitores*, de Jurejurando, *cogendi sunt reddere Domino juramentum; & cùm usura soluta fuerint, creditores ad eas restituendas sunt ecclesiastica severitate (si necesse fuerit) compellendi.*

Q. 8°. *Gravis metus, qualis potest esse infamiæ, exilii, & mortis, excusatne pejerantem?*

R. Nonnulli ætate S. Augustini affirmare ausi sunt; atque utinam pernicioſus ille error nostro sæculo non revixisset, contra quem S. Doctor tam acriter pugnavit, præsertim l. 2. de Mendacio, cap. 18. ubi sic scribit: *Quid, quòd vita hujus amatores, ne homo moriatur, non tantùm mentiri, sed etiam*

pejerare nos volunt? Et sunt in eis docti qui etiam regulas figant quando debeat & quando non debeat pejerari. O ubi estis fontes lacrymarum! Ubi nos occultabimus ab ira veritatis, si non solùm negligimus cavere mendacia, sed audemus insuper docere perjuria?

Q. 9°. *Nonne in hujusmodi angustiis licebit uti amphibologiis, æquivocationibus, & restrictione mentali?*

R. Hæc est nova sapientia nostri sæculi, quam exploserunt celeberrimæ Academiæ, ut Lovanienſis, anno 1653. & 1657. Innocentius XI. anno 1679. & Clerus Gallicanus, anno 1700. *Hæ propositiones*, inquiunt Gallicani Præsules, *temerariæ sunt, scandalosæ, perniciosæ, erroneæ, mendaciis, fraudibus & perjuriis viam aperiunt, & sacris Scripturis adversantur.* Cùm autem patroni nefandi hujus erroris in ejus patrocinium adducerent Prophetas, Angelos & ipsum Dominum, quasi æquivocationibus usi essent, sic pergit Clerus Gallicanus: *Hæc propositio* (numero 66.) *scandalosa est, temeraria, Patrum acta ludibrio vertit, ipsis Angelis injuriosa, erga Christum contumeliosa & impia.* Præiverat S. Augustinus, Epist. 125. aliàs 224. *Perjuri sunt*, inquit, *qui servatis verbis, expectationem eorum quibus juratum est, deceperunt.*

Q. 10°. *Perjurium esne semper peccatum mortale, etiam in materia levi?*

R. Affirmativè, quia ex S. Thomâ, q. 98. art. 2. & 3. quæ sunt ex se venialia, vel etiam bona ex genere, si in contemptum Dei fiant, sunt peccata mortalia: atqui perjurium ex suâ ratione importat contemptum Dei; est enim maxima irreverentia quòd homo, à fortiori Deus, in testem falsitatis adducatur. *Perjurium peccatum esse, & grande peccatum, nemo dubitat*, inquit S. Augustinus, Sermone 180. aliàs 28. de verbis Apostoli: *Tantum mali habet juratio, ut qui lapides colunt, timeant falsum jurare per lapides.... Videtis quàm ista detestanda sit bellua, & de rebus humanis exterminanda.* Hinc perjuri convicti incurrunt infamiam, cap. *Infames*, causâ 6. q. 1.

Q. 11°. *Numquid inadvertentia excusat à perjurio, ac proinde à lethali peccato?*

R. Si sit prorsùs invincibilis, excusat; si sit crassa, qualis est in eis qui jurandi consuetudinem non retractant, in qua advertunt se imprudentiâ miscere perjuria, nullatenus excusat à peccato mortali. *Ne ergo mendacium jures, noli jurare*, inquit S. Augustinus, citato Serm. 180. *Perjurium, præcipitium: qui jurat, juxta est; qui non jurat, longè est. Falsa juratio exitiosa est, vera juratio periculosa est, nulla juratio secura est.*

Q. 12°. *Quale est peccatum jurare sine necessitate?*

R. Est veniale dumtaxat, modò absit contemptus, scandalum & pejerandi periculum, quia non videtur magna irreverentia nomen Dei assumere absque necessitate ad confirmandum aliquid verum & honestum.

Dixi 1°. *Modò absit contemptus & scandalum.* Certum quippe est eos graviter peccare qui ex impietate & cum scandalo audientium, terribile Dei nomen, & quæ in Religione sunt sacratissima, ut mors & sanguis Christi, pronunciant sive per jocum sive per iram; hæc enim non vanè tantùm, sed contumeliosè ab iis dicuntur, blasphemiam sonant, ut habetur in Synodo Trecensi, anno 1417.

Dixi 2°. *Et pejerandi periculum*, quod vix deesse potest in jurandi consuetudine, ut advertit S. Augustinus cit. Serm. 180. in quo sic loquitur: *Quis est qui non fallatur, etsi noluit fallere? Et tamen juratio ab ore non discedit, frequentatur; plura sunt plerùmque juramenta quàm verba.* Quomodo non essent in proximo periculo pejerandi, & ita lethaliter peccandi, qui cùm à mendaciis jocosis & officiosis non abstineant, nihilominus omnia ferè dicta juramento confirmant? Quoties temerè ex animo promittunt quod non sunt præstituri? Sic Mercatores, qui quàm sæpissimè jurant se merces viliori pretio non tradituros, cùm postea judicent è re suâ esse, si tradant. Sic illi omnes quibus

Dei nomen non videtur sacramentum esse, sed sermo, ut loquitur Salvianus.

Q. 13°. *Quale est peccatum jurare sine justitia?*

R. 1°. Qui sine animo jurat se facturum rem illicitam, perjurus est, & mortaliter peccat; qui verò cum animo, bis peccat; 1°. quia vult rem illicitam, v. g. nocere proximo; 2°. quia irreverenter erga Deum se gerit, dum adducit illum in testem rei illicitæ.

R. 2°. Constat apud omnes Theologos juramentum quo quis se astringit ad peccandum lethaliter; esse peccatum mortale; gravior siquidem irreverentia & major Dei contemptus vix concipi potest, quàm vocare Deum in testem actionis quam prohibet & summè ei displicet. Sed non ita certum est in Scholis quale sit juramentum patrandi peccati venialis. Alii, ut Angelus à Clavasio, affirmant esse mortale; alii communiter docent esse veniale dumtaxat, sed intra latitudinem peccati venialis valde grave; alii, ut posteriori sententiæ repugnare nolunt, utpote communiori, sic asserere non audent eum qui cum juramento promittit actionem venialiter malam, à peccato mortali esse securum. Certè à gravi peccato excusari non potest si utatur verbis quæ blasphemiam sonant, putà si jurat per Christi viscera, plagas, mortem, &c.

Caput VI.

De Peccatis Religioni oppositis.

Q. 1°. *Quæ sunt peccata Religioni opposita?*

R. Sunt perjurium, de quo capite præcedenti, blasphemia, superstitio, Dei tentatio, sacrilegium, & simonia, de qua separatim dicendum.

Q. 2°. *Quid est blasphemia?*

R. Definitur locutio contumelioſa in Deum.

Dicitur 1°. *Locutio*, ut distinguatur à contumelia,

quæ factis irrogatur qualis fuit Christi consputatio; vel mente tantùm concipitur, quæ dicitur cordis blasphemia. *Jam vulgò blasphemia non accipitur, nisi mala verba de Deo dicere*, inquit S. Augustinus lib. 2. de Moribus Manich. cap. 11.

Dicitur 2°. *Contumeliosa*, ut distinguatur à detractione, quæ est maledictio personæ absentis. Blasphemia quippè est maledictio seu convitium contra personam præsentem, quo non solùm læditur ejus fama, sed maximè derogatur ejus honori; cùm autem Deus sit ubique præsens, omnis maledictio in eum prolata est vera contumelia.

Convitium autem seu blasphemia proferri potest in Deum vel immediatè, cùm in maledicto Dei nomen, aut aliquod ejus attributum exprimitur; vel mediatè, quando maledicitur creaturis, quatenus Dei sunt, & in eis relucet divina potentia, sanctitas, &c. ut in rebus sacris, in beata Virgine, & cæteris Sanctis, in quibus sicut laudatur Deus, sic & contumeliâ afficitur, ex S. Thomâ secundâ Secundæ, q. 13. art. 1. ad secundum. Et utroque modo blasphemia accipitur, cap. *Statuimus*, tit. *De Maledicis*.

Q. 3°. *Quotuplex est blasphemia?*

R. Triplex, enunciativa, imprecativa, & dehonestativa.

Enunciativa, est blasphemia quâ de Deo aliquid contumeliosè affirmatur aut negatur; ut si tribuatur Deo quod ei non competit, v. g. injustitia, crudelitas, &c. vel auferatur quod ipsi proprium est, ut omnipotentia, providentia, &c. Hæc blasphemia dicitur hæreticalis, quia adjunctam habet hæresim, & aliquando morte punitur secundùm Leges civiles.

Imprecativa, est blasphemia quâ Deo malum quis imprecatur, ut faciunt damnati & desperabundi.

Dehonestativa, quâ enunciatur aliquid existens in Deo, sed indecenter & per modum contumeliæ. Talis fuit hæc Juliani Apostatæ blasphemia: *Vicisti, Galilæe.* Talis est etiam eorum qui in-

dignabundi nominant Christi caput, viscera, &c.

Q. 4°. *Quale peccatum est blasphemia?*

R. Est mortale, & quidem gravissimum: *ideò pejus est blasphemare quàm pejerare*, inquit S. Augustinus, lib. 2. de Mendac. cap. 19. *quoniam pejerando falsæ rei adhibetur testis Deus; blasphemando autem, falsa de ipso dicuntur.*

Q. 5°. *Quid est superstitio?*

R. Est cultus Dei indebitus.

Q. 6°. *Quotuplex est superstitio?*

R. Sunt quatuor præcipuæ ejus species, scilicet idololatria, divinatio, magia, & vana observantia.

Q. 7°. *Quid est divinatio?*

R. Est notitiæ divinæ usurpatio ope Dæmonis. Dicitur, *Notitiæ divinæ usurpatio*, quia est quædam notitia ita Dei propria ut ab ipso solo creaturæ communicari possit, qualis cognitio secretorum cordis est & futurorum, quæ à libertate pendent.

Q. 8°. *Quotuplici modo fieri potest divinatio?*

R. Duplici. 1°. Per pactum expressum cum Dæmone, & est semper peccatum mortale. 2°. Cum pacto implicito; ut si quis notitiam alicujus rei quærat ex signo, quod illam naturaliter demonstrare non potest, & hæc divinatio potest esse venialis, nimirùm si non omnimoda fides, sed vana tantùm formido ejusmodi signis tribuatur.

Q. 9°. *Quotuplici modo fieri potest divinatio cum pacto tacito?*

R. Quintuplici.

1°. Per astra, diciturque Astrologia judiciaria; quamvis enim astra possint prænunciare quosdam effectus naturales, attamen nequeunt esse signa actuum liberorum qui à voluntate pendent.

2°. Per corporis vel manûs lineamenta, & dicitur physiognomia & chiromantia. Potest quidem aliqua conjectura colligi ex vultu, quæ sit indoles hominis, non verò absolutè judicium fieri de iis quæ acturus est.

3°. Per somnia, quæ naturaliter possunt esse signa

eventuum quorumdam naturalium ; v. g. pluviæ futuræ, non verò actuum liberorum.

4°. Per sortes, dicunturque cleromantia, sortilegium, seu sors divinatoria ; à qua Sortilegi seu Sorciarii.

5°. Per inspectionem avium seu piscium, dicturque aruspicium seu augurium. Volatus tamen avium & motus animalium possunt nonnulla naturalia, v. g. pluviam prænunciare, non autem quæ sunt merè contingentia & libera.

Q. 10°. *Quid est vana observantia ?*

R. Est superstitio quâ quis utitur vanis & inutilibus mediis ad aliquem finem assequendum. In eo distinguitur à divinatione, quòd per divinationem intendatur solùm notitia occultorum ; per vanam verò observantiam vana assumantur ad alios effectus consequendos. Si ad sanitatem obtinendam, vulnera vitanda aut curanda, est observantia sanitatum : si ad præcavendos funestos effectus, v. g. ex occursu alicujus animalis, ex observatione dierum qui putantur infortunati, ex certo numero accumbentium ad mensam, &c. est observantia futurorum eventuum ; si adhibentur res sacræ, v. g. verba Scripturæ sacræ proferantur, schedæ verbis Evangelii inscriptæ gestentur, cum certa persuasione obtinendi extraordinarios effectus, putà subitò extinguendi incendium, non moriendi sine confessione sacramentali, &c. est observantia sacrorum.

Dixi, *cum certa persuasione* ; nam proferre vel gestare sacræ Scripturæ verba, quasdam orationes recitare, in quibus nihil falsum aut vanum continetur, ad obtinendum aliquod à Deo beneficium si saluti nostræ expedire judicaverit, pium est, nedum illicitum. Sed superstitio agnoscenda est, si hisce verbis aut rebus talis tribuatur virtus qualem nequidem inesse credimus formis Sacramentorum, namque Sacramenta non prosunt ponentibus obicem ; superstitiosa verò illa, à quocumque etiam impiissimo

impiissimo observentur, infallibilem creduntur habere effectum; incendium v. g. statim extingui, morbum subitò abscedere.

Porrò cùm Deus tantam efficaciam non promiserit hujusmodi verbis & rebus, nec credibile sit eam de facto infallibiliter tribuere, nullâ ratione habitâ nequitiæ illorum qui talia usurpant, aut in quorum gratiam usurpantur, fateri necesse est diabolica esse hujusmodi opera & pertinere ad cultum dæmoniorum, ut docet S. Augustinus, lib. de vera Religione, cap 55.

Q. 11°. *Quale est peccatum observantiæ?*

R. Lethale, nisi ignorantia invincibilis excuset; namque Deus, Deut. 18. dicit se omnia hæc abominari. Concilium Laodicenum, can. 36 philacteria & ligaturas vocat animarum vincula: *Ego autem*, inquit, *qui talibus utuntur, ejici ex Ecclesia jussimus.* S. Chrysostomus, Hom 39. adversùs Judæos, martyrem dicit qui eligit magis mereri quàm uti ejusmodi vanis observationibus,

Dixi, *nisi ignorantia invincibilis excuset.* Talis autem censetur in iis qui nec pactum cum dæmone suspicati sunt, nec aliud quidquam mali inesse in ejusmodi observantiis. Sed excusari non possunt qui vel expresè cum dæmonibus fœdus ineunt, vel monentibus ista esse illicita non acquiescunt.

Q 12°. *Quid est Magia?*

R. Secundùm vim nominis Persici, Magia est sapientia, à qua Magi dicuntur, id est sapientes; generatim autem definiri potest ratio operandi mira. Ea verò dicuntur mira quæ habent causam latentem, quamvis naturalem: distinguunturque à miraculis, quorum causa est supernaturalis, nec alia potest agnosci quàm Deus, qui solus potest producere quemcumque voluerit effectum supra ordinem naturæ

Q. 13°. *Quotuplex est Magia?*

R Duplex, naturalis, & superstitiosa. Naturalis est ratio operandi mira per causas naturales, occultas

imperitioribus, & hæc Magia est ipsa Philosophia. Magia superstitiosa, quæ & nigra dicitur, est ratio operandi mira ope Dæmonis: si sit ad nocendum, vocatur maleficium.

Q. 14°. *Licetne recurrere ad Magum ut maleficium tollat?*

R. Non licet si tollere non possit nisi per novum maleficium & usum alicujus vanitatis; licet verò si tollat per meram destructionem prioris maleficii, quia honestum est destruere opera Diaboli, signa diabolica delere. Imò Confessarius injungere debet malefico pœnitenti ut noxia illa amoveat, si possit, absque invocatione Dæmonis.

Q. 15°. *Quid est tentatio Dei?*

R. Est temeraria confidentia obtinendi à Deo effectum extraordinarium, non servato ordine divinæ Providentiæ; ut si quis abstineret ab omni cibo, confidens se à Deo extraordinariè sustendandum, vel mitteret se deorsum, quia scriptum est: *Angelis suis Deus mandavit de te, & in omnibus tollent te, &c.* Sic Eccli. 18. dicitur quasi tentans Deum qui ante orationem non præparat animam suam, quia omittit medium necessarium ad rectè orandum.

Dixi, *temeraria confidentia*, quia si juberet Deus à se peti miraculum, ut præcepit Regi Achaz, Isa. 7. vel si necessitas urgeret, nec aliud suppeteret medium, non censeretur tentatio Dei, modò id fieret cum humilitate, resque tota permitteretur divinæ voluntati, exemplo trium juvenum, Dan. 3. v. 17. & Discipulorum Christi, Act. 4. v. 30.

Q. 16°. *Quale peccatum est tentatio Dei?*

R. Est ex natura sua mortale, quia magna censetur irreverentia, quòd vilis creatura præsumat Deum leges providentiæ suæ ad nutum illius immuturum.

Dixi, *ex natura sua*, nam potest esse veniale in eo qui nec vult nec advertit actionem suam pertinere ad Dei tentationem.

Q. 17°. *Quid est sacrilegium?*

R. Est violatio rei sacræ.

Q. 18°. *Quotuplex est sacrilegium?*

R. Triplex; quia totuplex est sacrilegium quotuplex est species rei sacræ: atqui triplex est species rei sacræ, nempe persona, ut Clericus, Religiosus; locus, ut Templum, Cœmeterium; cæteræ res Deo dicatæ, ut Sacramenta, Vasa sacra, Reliquiæ, Imagines, Scriptura sacra.

Q. 19°. *Quotuplici modo violatur locus sacer?*

R. Triplici: 1°. Si vis ei inferatur, v. g. fores Ecclesiæ frangantur, bonis suis spolietur. 2°. Si in loco sacro fiant actus quibus pollui possit, ut homicidio, illicitâ effusione sanguinis aut seminis humani, sepulturâ excommunicati non tolerati. 3°. Si exerceantur in loco sacro alii actus, qui licèt eum non polluant, tamen sanctitati ejus repugnant, vel ex prohibitione Ecclesiæ, ut mercatus, vel ex natura sua, ut omnia opera per se mala, putà furtum etiam rei profanæ in loco sacro, de quibus susè egimus tomo 5. Tract. *de Sacrificio*, 2. parte, cap. 13. hîc consulendo.

Q. 20°. *Quale peccatum est sacrilegium?*

R. Est mortale ex natura sua, & eò gravius quò sacratior est res quæ violatur; materiæ tamen levitas excusat à mortali.

Caput VII.

De Simonia.

§. I. *De ejus natura & definitione.*

Q. 1°. *Quid est Simonia?*

R. Definitur, studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spiritale vel spirituli annexum. Hanc definitionem à majoribus acceptam probat S. Thomas, q. 100. art. 1. eamque Theologi & Canonistæ unanimi consensu recipiunt; sed accuratiùs

exponenda est, cùm ex illa pendeant pleræque quæstiones circa simoniam difficiles. Itaque.

Dicitur 1°. *Voluntas*, quia omne peccatum debet esse voluntarium: atqui simonia est grave peccatum; ergo debet esse voluntaria. Sed voluntaria non erit, nisi adsit cognitio & advertentia sufficiens; unde in definitione.

Dicitur 2°. *Studiosa*, id est deliberata voluntas, & ex electione profecta.

Ergo in quæstionibus difficilioribus potest dari simonia materialis tantùm sicut & usura, quæ non sit formaliter peccatum nec inducat excommunicationis pœnam.

At quemadmodum restituendum est lucrum proveniens ex contractu usurario bonâ fide & ex ignorantia invincibili inito; quia cùm pactio solvendi usuras non sit valida, non transfert pecuniæ usurariæ dominium, ita pretium per simoniam comparatum reddi debet, & beneficium dimittendum, quia collatio fuit nulla.

Dicitur 3°. *Emendi vel vendendi*, quibus verbis significatur omnis pactio non gratuita, sive quælibet commutatio rei spiritualis cum temporali.

Ergo ad simoniam propriè dictam necessaria non est venditio strictè sumpta, in qua æquiparatur merces cum pretio, quod esset formalis hæresis; sed sufficit intentio commutandi temporale cum spirituali, seu obtinendi unum mediante alio.

Ergo meritò summi Pontifices Alexander VII. Innocentius XI. Clerus Gallicanus, anno 1700. Academia Parisiensis, anno 1665. & Lovaniensis anno 1657. & 1659. pluresque Episcopi in suis Diœcesibus has propositiones damnarunt, alii ut temerarias & scandalosas, alii ut erroneas & hæresim simoniacam per fallacem intentionis directionem inducentes.

Prima. *Non est contra justitiam Beneficia ecclesiastica non conferre gratis.*

Secunda. *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium,*

ſed dumtaxat tanquam motivum conferendi vel efficiendi ſpirituale; vel etiam quando temporale ſit ſolùm gratuita compenſatio pro ſpirituali, etiamſi ſit principale motivum, imò etiamſi ſit finis.

Enimverò admiſſis illis opinionibus, nullus poſſet convici ſimoniâ; ipſe etiam Simon Magus ab ea poſſet excuſari.

Dicitur 4°. *Aliquid ſpiritale*, quo nomine intelligitur res vel actio Deo ſacra & ad religionem pertinens, ut Sacramenta, Reliquiæ Sanctorum, actus Ordinis, Juriſdictionis ſpiritualis, Conciones & Catecheſes ſacræ ad ſupernaturalem audientium ſalutem.

Ergo docere Philoſophiam, Theologiam, vel etiam rudimenta fidei, ſicut docentur in Scholis à Ludimagiſtris, quamvis actiones ſpirituales ſint, nihilominus non cenſentur materia ſimoniæ, quia non ſunt functiones ſacræ.

Dicitur 5°. *Vel ſpirituali annexum*; quædam enim temporalia ſic connexa ſunt cum ſpirituali, putà proventus temporales officio Beneficiarii, reditus Monaſterii profeſſioni religioſæ, ut ſine iis emi aut vendi non poſſint; ſed quia temporale diverſimodè poteſt eſſe unitum ſpirituali.

Q. 2°. *Quot modis temporale poteſt eſſe annexum ſpiritali?*

R. Tribus, ſcilicet antecedenter, concomitanter, & conſequenter.

Antecedenter illud cenſetur annexum, cui accedit ſpirituale, ut fundus, cui advenit jus patronatûs, quod eſt ſpiritale; calix, lapis altaris, balſamum, quæ poſtea conſecrari contingit. Porrò ejuſmodi temporale, cùm ſit quid priùs ſpirituali & ab eo omninò independens, ſine dubio emi & vendi poteſt abſque ſimonia, modò tamen pretium ejus non augeatur ratione ſpiritalis annexi, nec Eccleſia talem venditionem prohibeat; qui enim cariùs venderet aut emeret, ſive agrum, propter jus patronatûs ei annexum, ſive lapidem altaris, propter

ejus consecrationem, verè simoniacus esset, quia non venderet solùm temporale, sed etiam spiritale.

Dixi, *Nec Ecclesia talem venditionem prohibeat*, quia cap. *Ea quæ*, tit. *de Simonia*, prohibetur ne Episcopi vendant balsamum quo conficitur sacrum Chrisma.

Concomitanter annexa sunt duplicis generis, alia extrinseca functioni sacræ, ut celebrare certo in loco remoto horâ incommodâ, putà circa meridiem; alia intrinseca, ut labor & fatigatio in obeunda ipsa functione sacra: annexa prioris generis vendi possunt, utpote quæ nihil in se contineant spiritale, & pretio sint æstimabilia; annexa verò posterioris generis vendi nequeunt, cùm necessariò intelligantur in ipsamet functione.

Consequenter annexa sunt ea quæ ex spirituali pendent tanquam à sua causa morali, ut proventus Beneficii ab officio divino propter quod dantur, jus fruendi bonis Monasterii à professione solemni quæ in eo emittitur. Porrò de hujusmodi temporali annexo spiritali intelligenda sunt posteriora definitionis verba.

Dices 1°. adversùs allatam propositionem: Simonia est hæresis maximè detestanda, ex cap. *Cùm liqueat*, causâ 1. quæst. 1. Atqui hæresis pertinet ad intellectum; ergo simonia malè definitur studiosa voluntas.

Distinguo majorem. Simonia est hæresis interpretativè, quatenus simoniacus videtur credere donum Spiritûs sancti esse pretio æstimabile, concedo; est hæresis formaliter, quasi omnis simoniacus necessariò temporale cum spiritali exequet, nego majorem. Simonia igitur est vitium voluntatis quæ abutitur rebus sacris propter commodum temporale, stante nihilominus judicio speculativo res sacras pluris esse faciendas quàm temporales.

Dices 2°. Christus Dominus, Luc. 10. v. 4. pro sacris Ministris ait: *Dignus operarius mercede suâ*; ergo licet spiritalia conferre pro temporali.

Distinguo anteced. Mercede impropriè dictâ & sumptâ pro stipendio necessitatis, concedo: *Accipiant sustentationem necessitatis à populo, & mercedem dispensationis à Domino*, inquit sanctus Augustinus, lib. *de Pastoribus*, cap. 2. Mercede propriè dictâ, quæ principaliter intendatur tanquam finis ministerii sacri, quemadmodum mercenarius pro labore suo, mercedem principaliter intendit, nego anteced. *Clericus*, inquit S. Thomas, quodlib. 5. art. 11. *qui vadit ad Ecclesiam principaliter propter distributiones quas recipit tanquam finem sui operis, simoniam committit.* Unde S. Antonius 2. parte, tit. 3. concludit mortale esse quærere aut appetere curata Beneficia principaliter propter honorem & divitias quæ ex iis percipiuntur.

Præsumitur autem principalis intentio, 1°. si exigatur temporale per spiritualium subtractionem, cùm ex cap. *In tantùm*, tit. *de Simonia*, *Expressiùs exprimat venditionis speciem, qui priùs recipit pretium quàm rem conferat pretiosam.* Gratis tamen spiritualibus priùs exhibitis, licitè possunt consuetæ oblationes exigi à nolentibus & valentibus solvere, ut docet S. Thomas art. 3. *de Simonia.* 2°. Si quis pecuniæ vi inducatur ad conferendam rem sacram, cùm eam negare deberet, v. g. ad nuptias filiifamilias benedicendas invitis parentibus, ministranda Sacramenta indignis, putà publicis usurariis, comediarum Actoribus, &c. Hæc est ipsa impietas Simonis, qui mediante pecuniâ donum Spiritûs sancti, quo erat indignus, obtinere voluit.

Dices 3°. ex cap. *Nisi essent*, tit. *de Prabendis*: licet arbitris ad litem sopiendam concedere uni litigantium annuam pensionem, & alteri Beneficium: ergo simoniacum non est dare temporale pro spirituali.

Nego conseq. laudato enim capite litigantes simoniam incurrunt, si propriâ auctoritate ita inter se paciscantur ut unus eorum retineat Beneficium, & alteri solvat expensas, sive litis, sive possessionis initæ, vel annuam pensionem, aut cedat aliud

Beneficium quod pacificè possidet. Summus autem Pontifex ibidem concedit arbitris, ad quorum judicium litigantes rem totam detulerunt ut pro bono pacis decernant quod ipsis, non verò litigantibus, æquum visum fuerit. Sed in illo judicio ipsa pax & tranquillitas emitur, non verò spiritale.

Instas: Cap. *Quæsitum*, causâ 1. quæst. 3. & cap. *Dilectus* 1. tit. *de Simonia*, Simoniacus non est qui sine judicis aut arbitri sententia promittit vel solvit pecuniæ summam ad retinendum spirituale, v. g. Beneficium: ergo.

Distinguo anteced. Qui promittit & solvit ad redimendum iniquam vexationem quam patitur, habens jus evidens & acquisitum in Beneficium, concedo; quia nihil spiritale emit aut acquirit, sed repellit dumtaxat injuriam sibi illatam, quæ est quid temporale: qui promittit & solvit ad acquirendum jus ad Beneficium, v. g. ut ad illud illigatur aut præsentetur; vel ad confirmandum jus dubium in Beneficium, nego anteced. is enim verè esset simoniacus.

Dices 4°. S. Thomas hîc art. 5. ad tertium, pronunciat simoniacum qui precibus obtinet Beneficium: atqui Beneficium non emit qui illud precibus obtinet; ergo malè simonia definitur emptio.

Distinguo min. Non emit si preces secundùm se spectentur & quatenus sunt meræ petitiones, concedo; dives enim qui annuit pauperi eleemosynam petenti, non vendit, sed gratis tribuit: si in precibus spectetur favor humanus, nego min. favor quippe humanus inter bona temporalia maximi æstimatur, & inter pretia simoniaca numeratur à S Gregorio, Hom. 4. in Evang. referturque cap. *Salvator*, causâ 1. quæst. 3. ubi sic habetur: *Sunt nonnulli qui quidem nummorum præmia ex ordinatione non accipiunt, & tamen sacros Ordines pro humana gratia largiuntur .... hi nimirum quod gratis acceptum est, gratis non tribuunt; quia de impenso officio sanctitatis nummum expetunt favoris ...*

aliud eſt munus ab obſequio, aliud munus à manu, aliud munus à lingua; munus quippe ab obſequio eſt ſubjectio indebitè impenſa; munus à manu, pecunia eſt; munus à lingua, favor.

Ergo ſimoniam committit ab obſequio qui præſentat aliquem ad Beneficium cum pacto quòd filium doceat Litteras, aut Miſſas certo die, loco & determinatâ horâ celebret, cùm ex titulo Beneficii ſit ei liberum celebrare ubi & quando voluerit; à lingua verò qui confert Beneficium Aulici filio principaliter, ut pater Regi de ſe bene loquatur; qui in Concionibus & in Pœnitentiæ tribunali divitibus adulatur, ut eorum gratiam ſibi conciliet & eos habeat beneficos.

Cæterum etſi ſimoniacum non ſit precibus inclinari ad conferenda ſacra miniſteria, cùm favor humanus non intenditur, inhoneſtum tamen docet S. Bernardus, lib. 4. *de Conſid. ad Eugenium*, cap. 4. his verbis: *Sanè huic negotio non ſe ingerat rogans, Concilio, non prece agendum eſt .... ubi non licet facere quod volo (utpote non dominus, ſed diſpenſator) quis locus roganti? Niſi fortè qui me rogat, hoc rogat quod vult, hoc mihi liceat ut non magis velim, etiamſi non liceat. Pro quo rogaris, ſit ſuſpectus. Qui ipſe rogat pro ſe, jam judicatus eſt. Nec intereſt per ſe, an per alium roget.* Et S. Thomas, art. 5. ad tertium: *Si aliquis*, inquit, *pro ſe rogat ut obtineat curam animarum, ex ipsâ præſumptione redditur indignus, & ſic preces ſunt pro indigno.* Immediatè ante ſcripſerat eum videri ſimoniam committere *qui preces pro indigno porrectas exaudit*, quia favorem humanam principaliter intendit.

Q. 1°. *Quale peccatum eſt ſimonia?*

R. Eſt lethale etiam in materia levi. Patet tum ex Scripturâ, Act. 8. *Pecunia tua tecum ſit in perditionem*; (quod de peccato veniali non diceretur) *quoniam exiſtimaſti donum Dei pecuniâ poſſideri*; tum ex graviſſimis ſimoniacorum pœnis, quæ ſupponunt grave peccatum.

§. II. *De divisione Simoniæ.*

Q. 1°. *Quomodo dividitur simonia ?*

R. Dividitur 1°. in simoniam juris naturalis & divini, & in simoniam juris ecclesiastici.

Simonia juris naturalis & divini est ea quâ venditur res verè spiritalis & sacra pro temporali, ut collatio Ordinum, administratio Sacramentorum, usus potestatis, sive Ordinis, sive jurisdictionis spiritalis, jus patronatûs, electio & collectio Beneficiorum, ingressus Religionis.

Simonia Juris ecclesiastici est pactio aut venditio, seu commutatio ab Ecclesia prohibita ob reverentiam rei sacræ. Duæ autem sunt hujusce simoniæ species; prima est eorum qui vendunt res per se non sacras, sed vel conjunctas antecedenter cum sacris, ut locum sepulturæ, materiam Chrismatis, vel ad ministeria sacra ordinatas, ut officium Sacristæ. Secunda est eorum qui inter se paciscuntur de rebus spiritualibus in materia beneficiali, v. g. propriâ auctoritate permutant Beneficia, vel resignant in favorem, *cùm in hujusmodi omnis pactio omnisque conventio debeat omninò cessare*, cap. *Pactiones*, tit. *de Pactis*.

Dixi, *In materia beneficiali*; quia, ut notat Glossa in cap. *Super eo*, tit. *de Transactionibus*, pactiones in alia materia non prohibentur; Clerici v. g. licitè inter se conveniunt ut unus pro altero sacrum ministerium expleat, hâc conditione quòd alter spirituale quid simile rependat.

Ergo adversùs simoniam juris ecclesiastici præscribi potest, quia ex dictis contra legem humanam valet præscriptio: atqui simonia juris ecclesiastici prohibita est solùm per legem humanam; ergo. Hinc communiter in Galliis venditur locus sepulturæ, quæ est temporale quid antecedenter annexum sepulturæ ecclesiasticæ; sed adversùs simoniam juris naturalis & divini non præscribitur, quia est per se mala, & ideo divinitùs prohibita. Unde Concilium

Lateranenſe 4. cap. *Cùm in Eccleſia*, tit. *de Simonia: Horribile nimis eſt*, inquit, *quòd in quibuſdam Eccleſiis locum venalitas perhibetur habere, ita ut pro quibuſcumque perſonis eccleſiaſticis ponendis in ſedem, nec non & pro ſepulturis & exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium ſeu aliis Sacramentis aliquid requiratur. Putant autem plures ex hoc licere, quia legem mortis de longa invaluiſſe conſuetudine arbitrantur; non attendentes quòd tantò graviora ſunt crimina, quantò diutiùs infelicem animam tenuerunt alligatam.*

Ergo ſimonia juris naturalis & divini cadere poteſt in ſummum Pontificem, & contrariam quorumdam Canoniſtarum opinionem ſtultam aſſerit Cardinalis Turrecremata; ſummus enim Pontifex ſubeſt legi naturali & divinæ: *Dicendum*, inquit S. Thomas, art. 1. ad ſeptimum, *quòd Papa poteſt incurrere vitium ſimoniæ, ſicut & quilibet alius homo; peccatum enim tantò in aliqua perſona eſt graviùs quantò majorem obtinet locum.*

Dividitur 1°. in mentalem, conventionalem & realem.

Simonia mentalis eſt traditio rei temporalis pro ſpirituali, & viciſſim ſpiritualis pro temporali, nullo interveniente pacto.

Ergo qui ut ad Beneficium eligatur aut præſentetur, munera offert electori vel patrono ejus pravæ intentionis minimè conſcio, ſimoniam mentalem committit.

Dixi, *minimè conſcio*; ſi enim conſcius eſſet patronus & nihilominus acciperet, pactum tacitum præſumeretur, ac proinde ſimonia conventionalis. Itaque.

Simonia conventionalis eſt emptio vel venditio rei ſpiritualis, traditione nondum perfectâ.

Simonia realis eſt emptio vel venditio rei ſpiritualis, traditione ex utroque parte completâ, v. g. collato Beneficio ex parte reſignantis, & ſoluto pretio ſaltem quoad ejus partem, à reſignatorio.

Q. 2°. *Quotuplex est simonia conventionalis?*

R. Duplex; alia dicitur pura, in qua nihil est datum aut acceptum, sed solummodò promissum; alia dicitur mixta, quando præter conventionem datur ex una parte, putà Beneficium, & nihil ex altera.

Q. 3°. *Quotuplex est simonia conventionalis mixta?*

R. Duplex; alia simpliciter dicitur conventionalis mixta, de qua in præcedenti responsione; alia dicitur confidentialis.

Q. 4°. *Quid est simonia confidentialis?*

R. Est simonia conventionalis mixta, quâ quis ex pacto tacito vel expresso confidit alterum cui beneficium confert, sibi postea aut alteri resignaturum, aut saltem fructus ejus, vel partem fructuum concessurum.

Dicitur 1°. *Conventionalis mixta*, quia ut incurrantur pœnæ confidentiariorum, non sufficit pura conventio, sed actu tradatur Beneficium necesse est.

Dicitur 2°. *Ex pacto tacito vel expresso*, quia absque simonia potest confidere Beneficii collator Beneficiarium à se institutum idem Beneficium sibi redditurum, si ad illud Beneficium promoveatur, aut in fructibus Beneficii necessaria sibi præstiturum, modò nulla pactio hac de re præcesserit.

Ergo simonia confidentialis non est, sed conventionalis tantùm, quando quis resignat aut permutat beneficium, eâ conditione quòd resignatarius sive compermutarius, vel aliud Beneficium, quod pacificè possidet, dimissurus sit in favorem tertii, aut in remunerationem refundet aliquid temporale; ad simoniam enim confidentialem requiritur ut idem Beneficium vel fructus ejus redeant ex pacto ad ipsum collatorem, aut ad eum quem indicaverit. Et hoc maximè notandum est propter speciales pœnas in confidentiarios latas per Bullam Pii V. anno 1569. in Gallis receptam, easque longè graviores quàm in ceteros simoniacos.

§. III. *De pœnis Simoniacorum.*

Q. 1°. *Quæ sunt simoniacorum pœnæ ?*

R. Duplicis sunt generis : aliæ minùs sunt pœnæ quàm naturales simoniæ effectus ; aliæ sunt pœnæ propriè dictæ, quæ necessariò non sequuntur ex simonia, sed infliguntur ab Ecclesia in vindictam tanti sceleris.

Q. 2°. *Quid necessariò sequitur ex conventione simoniaca ?*

Obligatio dimittendi simoniacè acceptum, putà Beneficium & Beneficii pretium, quia conventio est irrita & prorsùs nulla, cùm res spiritualis nec vendi nec emi possit ; ergo nullum parit effectum, id est, nullum tribuit jus accipienti nec titulum retinenti.

Q. 3°. *Cui facienda est restitutio rei simoniacè acceptæ ?*

R. Jure naturali restituenda est illi à quo fuit accepta, quia venditor rei alienæ pretium illius tenetur reddere emptori, & iste rem venditam restituere vero domino : atqui simoniacus non est dominus rei spiritualis, v. g. Beneficii ; ergo tenetur illius pretium reddere emptori, emptor verò Beneficium dimittere, cùm nullum jus in illud acquisierit. Sed jure positivo ecclesiastico, cap. *De hoc*, tit. *de Simonia*, simoniacè accepta non debent reddi ei qui dedit. Ita S. Thomas secundâ Secundæ, q. 32. art. 7. ubi sic scribit de simoniaco : *Dans & accipiens contra justitiam Legis divinæ agit. Unde non debet fieri restitutio ei qui debet, sed debet in eleemosynas erogari.* Et hæc est prima simoniacorum pœna propriè dicta ; cùm autem pœna supponat culpam, si quis bonâ fide & ex ignorantia probabili pro Beneficio pecuniam dedisset, pecuniâ suâ non esset privandus, sed Beneficium dimittere teneretur, quia verò careret titulo, nec juvaret illum possessio triennalis aut decennalis, juxta veriorem & communiorem Theologorum sententiam.

Q. 4°. *Pœna illa eſtne extendenda ad omnes ſimoniacos ?*

R. Affirmat Eſtius in quartum, diſt. 26. Sed alii Theologi communiter docent, niſi ſimonia ſit realis in materia beneficiali, pretium ſemper eſſe reſtituendum ei qui dedit, quia laudatum caput *De hoc*, loquitur ſolùm de ſimonia reali in materia beneficiali.

Q. 5°. *Suntne aliæ ſimoniacorum pœnæ propriè dictæ ?*

R. Feriuntur excommunicatione ſimoniaci, 1°. in ingreſſu Religionis, Conventus verò ſuſpenſione, extravag. *Sanè*, tit. *de Simonia*, 2°. In ordinatione, extravag. *Cùm deteſtabile*, tit. *de Simonia*, & c. 1. ſeſſ. 21. Concilii Tridentini *de Reform.* ubi mediatores ſimoniacæ ordinationis eâdem pœnâ percelluntur. 3°. In materia beneficiali, cit. extravag. *Cùm deteſtabile*, Inſuper ſimoniacè ordinatus ſuſpenſus eſt ab executione Ordinum, maximè illius quem ſimoniacè ſuſcepit, etiamſi ſimonia non fuerit realis nec completa, ac propterea necdum ſit excommunicatus. Beneficiarius verò inhabilis eſt ad idem Beneficium quod ſimoniacè contulit vel recepit, cap. *Nobis fuit*, tit. *de Simonia*, teneturque omnes fructus reſtituere, extravag. *Cùm deteſtabile*, niſi ſecum diſpenſetur.

Q. 6°. *Quis diſpenſare poteſt ut ſimoniacus idem Beneficium poſſidere poſſit ?*

R. Si conſcius fuit ſimoniæ vel monitus ſimoniacam fuiſſe ejus electionem, præſentationem, vel collationem, & ei conſenſit ſolus Papa, cap. *Nobis fuit*, tit. *de Simonia*. Si ignoravit ſimoniam aut monitus non conſenſit, diſtinguendum eſt; ſi ſimonia eſt notoria & ad forum contentioſum deducta, Epiſcopus diſpenſare poteſt circa ſimplex Beneficium, ſolus verò Papa circa dignitatem aut Beneficium cui cura animarum annexa eſt, cit. cap. *Nobis fuit*; ſi ſimonia eſt occulta, Epiſcopus diſpenſare poteſt, cap. *Quicumque*, causâ 1. q. 5. & cap. *Præſentium*, eâdem causâ.

Q. 7°. *Præter tres ſimoniæ ſpecies recenſitas, ſuntne aliæ quibus annexa ſit excommunicatio aut aliqua cenſura?*

R. Minimè, quia nulla in re extat, & in hoc conveniunt Theologi.

Q. 8°. *Excommunicatio aut inhabilitas ad idem Beneficium incurriturne propter ſimoniam mentalem aut conventionalem?*

R. Verior eſt ſententiam non incurri, niſi ſimonia conventionalis ſit confidentialis, quia eſt regula apud Theologos communiter recepta, pœnas juris non incurri niſi propter crimen conſummatum, quando lex contrarium non exprimit.

Dixi, *niſi ſimonia conventionalis ſit confidentialis*, quia in Bullâ Pii IV. & Pii V. propter ejuſmodi ſimoniam confidentialem decernitur excommunicatio, inhabilitas non ſolùm ad Beneficium confidentialiter obtentum, ſed & ad alia, privanturque confidentiarii Beneficiis & penſionibus priùs legitimè obtentis; attamen ante Judicis ſententiam non tenentur dimittere quæ anteà legitimè poſſidebant.

TRACTATUS DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Caput I.

De notione & exiſtentia Sacramenti.

Q. 1°. *Quotuplici modo accipitur Sacramentum?*

R. Triplici. 1°. Pro re arcana & latente, ſive ſacra ſit, ſive non. Sic Tob. 12. *Sacra-*

mentum Regis (id est secretum) *abscondere bonum est.* 2°. Pro signo rei sacræ. Sic productio Evæ ex latere Adami dormientis dicitur Sacramentum; quia significat Ecclesiam è latere Christi in cruce dormientis eductam. 3°. Pro signo rei non solùm sacræ, sed etiam sacrantis. *Sacramenta*, inquit S. Thomas primâ Secundæ, q. 102. art. 5. *propriè dicuntur illa quæ adhibebantur in Lege veteri Dei cultoribus ad quamdam consecrationem.* Et hoc posteriori modo tantùm hîc accipitur Sacramentum. Spectari autem potest vel genericè, vel specificè pro Sacramento novæ aut veteris Legis.

Q. 1°. *Quid est Sacramentum genericè spectatum?*

R. Est signum sacrum visibile & permanens divinitùs institutum ad nostram sanctificationem.

Dicitur 1°. *Signum*; quia ducit nos in cognitionem rei alterius, nempe gratiæ & sanctificationis; ablutio v. g. in Baptismo est signum animæ emundationis: ergo omne Sacramentum est in genere signi. *Sacramentum*, inquit S. Chrysostomus, Hom. 7. in 1. ad Cor. *aliud oculis, aliud menti exhibet.*

Dicitur 2°. *Sacrum*, ut significetur usum illius signi debere esse actum Religionis & ad cultum Dei pertinens: hinc manna & transitus maris rubri, licèt signa rei sacræ, non fuerunt tamen Sacramenta, quia nec usus mannæ nec transitus maris rubri fuerunt actus religiosi, sed merè profani.

Dicitur 3°. *Visibile*, quia ea est natura hominis ut per sensibilia assurgat ad spiritalia, nec colligari possunt homines in unam societatem Religionis, nisi per aliquod signum sensibile, ut docet S. Augustinus, lib. 19. contra Faustum, cap. 11. Visibile autem hîc sumitur pro sensibili; cùm enim omnis actio sensûs sit aliqua cognito, dicimur videre quidquid aliquo sensu percipimus: ergo ad rationem Sacramenti necesse non est ut signum oculis percipiatur.

Dicitur 4°. *Permanens*, quia cùm Sacramenta sint fundamenta Religionis, tamdiu permanere debent

quamdiu ipsa Religio. Hinc illapsus Spiritûs sancti sub forma columbæ in Baptismo Christi, & sub forma linguarum ignearum die Pentecostes, non fuerunt Sacramenta, quia non fuerunt signa permanentia. Sic nec Baptismus S. Joannis Baptistæ, utpote qui non fuerit permanens, præterquàm quòd non dabatur ad sanctificationem, sed erat exterior professio pœnitentiæ; nec lotio pedum à Christo Domino celebrata pridie quàm pateretur, cùm universalis Ecclesia illam non retinuerit. Petrus damnandus fuisset si obstinatiùs Christo restitisset, non defectu lotionis, sed inobedientiæ merito. Lotiò dicitur à sancto Bernardo delere venialia, non quatenus est signum, sed quatenus est bonum opus, quo ex sincero affectu humilitatis & charitatis pedes fratrum abluimus.

Dicitur 5°. *Divinitùs institutum*, 1°. Quia Sacramentum est signum arbitrarium; aqua enim Baptismi, v. g. naturaliter non significat purgationem animæ à peccatis, quemadmodum fumus ignem naturaliter significat. 2°. Quia solus Deus potest instituere signa gratiæ infallibiliter conferendæ, cùm ipse solus sit auctor gratiæ. Hinc tonsura clericalis, aqua benedicta, & cæteræ cæremoniæ ab Ecclesia institutæ, non sunt vera Sacramenta.

Dicitur 6°. *Ad nostram sanctificationem*; quia ex dictis Sacramentum propriè dictum est signum sacrans seu productivum alicujus sanctitatis, sive internæ, sive externæ & legalis.

Q. 3°. *Quid est sanctitas exterior seu legalis?*

R. Est quædam mundities exterior quâ quis fit aptus ad certa Religionis officia obeunda. Mulier, v. g. quæ post partum in veteri Lege arcebatur à sacris tanquam immunda, per sacrificium mundabatur; similiter qui per lepram aut contractum cadaveris contaminatus fuerat, legali ritu sanctificabatur, sed sanctitate exteriori quæ ab Apostolo dicitur justitia carnis, Hob. 9. v. 10.

Q. 4°. *Fuerintne Sacramenta in quolibet statu?*

Advertes quatuor recenseri hominum status. Primus est innocentiæ, qui duravit solùm usque ad lapsum primorum parentum. Secundus est status naturæ, qui cœpit à lapsu primi hominis, duravitque usque ad Moïsen qui promulgavit legem scriptam seu veterem. Tertius est status legis scriptæ, qui à tempore Moïsis usque ad Christum Dominum extenditur. Quartus status est legis novæ, in quo degimus, permansuruque est usque ad consummationem sæculi. His prænotatis.

R. 1°. Sacramenta propriè dicta non fuerunt in statu innocentiæ, quia videtur esse pœna peccati quòd homo subjiciatur rebus inferioribus ad remissionem peccatorum & sanctitatem obtinendam.

Dixi, *propriè dicta*, nam lignum vitæ, somnus Adami, & matrimonium ejus cum Eva aliquando dicuntur Sacramenta, sed in alia acceptione, nempe quatenus erant signa rerum sacrarum.

R. 2°. In statu legis naturæ fuit aliquod Sacramentum, saltem in remedium peccati originalis. *Non est credendum*, inquit S. Augustinus, lib. 5. contra Julianum, cap. 11. *ante Circumcisionem famulos Dei (quando quidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi) nullo Sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis, quamvis quid illud esset, aliquâ necessariâ causâ Scriptura latere voluerit.* Et S. Gregorius, lib. 4. Moral. cap. 3. *Quod apud nos valet aqua Baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii.* Fides autem illa primò debebat esse exterior, cùm per illam homines profiterentur veram Religionem. Secundò non mundabat in adultis maculam peccati sive originalis, sive actualis, nisi esset formata à charitate, quia privilegium est Sacramentorum novæ legis propriâ virtute & ex opere operato, ut aiunt, sanctitatem interiorem conferre. Sed ad mundandam maculam peccati originalis in parvulis, sufficiebat parentum actus fidei informis; quia, ex S. Thoma in quartum, distinct. 1. q. 2. art. 6. ad secundum,

Fides parentum non justificabat infantem in quantùm erat actus personæ, sed quatenùs respiciebat suum objectum, nempè Christum Dominum .... justificabat ex objecto quasi ex opere operato, non autem ex opere operantis.

R. 3°. Dubium non est quin Sacramenta extiterint in lege scripta seu veteri, & extent in lege nova. *Prima Sacramenta*, inquit sanctus Augustinus, lib. 19. contra Faustum, c. 13. *quæ observabantur ex lege, prænuntiativa erant venturi Christi, quæ cùm suo adventu Christus implevisset, ablata sunt .... & alia instituta sunt virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.*

Q. 5°. *Quotuplex est discrimen Sacramenta veteris legis inter & Sacramenta novæ legis?*

R. Triplex. Primum desumitur ab Auctore, nam solus Christus est auctor Sacramentorum nostrorum, non verò Sacramentorum veteris legis. Secundum ex diverso modo operandi; Sacramenta enim veteris legis non producebant gratiam sanctificantem, nisi ex opere operantis; nostra verò eam conferunt ex opere operato. Tertium ex partibus quibus constant Sacramenta utriusque legis; Sacramenta enim novæ legis constant rebus & verbis, rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ; Sacramenta verò legis veteris non necessariò constabant verbis, sed rebus dumtaxat, ut patet ex Circumcisione & Agno Paschali.

Negandum tamen non est quin in aliquibus verba adhiberentur.

Res dicuntur materia per analogiam ad compositum physicum, in quo pars imperfectior & minùs determinata dicitur materia; actus verò quo materia determinatur ad tale esse, dicitur forma; materia ligni, v. g. ex se indifferens est & indeterminata, vel ad formam ignis, vel ad formam ligni, vel ad formam cineris; sed determinatur per formam ignis ad esse ignis, per formam ligni aut cineris ad esse ligni aut cineris. Similiter aqua est indifferens

vel ad abluendum vel ad refrigerandum, vel ad emolliendum, ſed in Baptiſmo determinatur ad ablutionem interiorem per verba : *Ego te baptizo, &c.*

Dices : Matrimonium poteſt celebrari ſine verbis ; mutus enim validè contrahit. In Sacramento Pœnitentiæ nullæ res adhibentur, ſed verba dumtaxat : ergo omnia Sacramenta novæ legis non conſtant rebus & verbis.

Nego conſeq. namque 1°. Si Sacerdos eſt Miniſter matrimonii, ut graves Theologi contendunt, profert verba benedicendo ſponſum & ſponſam, quæ habent rationem formæ ; ſi ipſi contrahentes ſibi mutuò Sacramentum conferunt, nutus quibus muti exprimunt ſuum conſenſum, habent rationem verborum. 2°. In Sacramento Pœnitentiæ actus pœnitentis ſunt quaſi materia hujus Sacramenti, ex Concilio Tridentino, ſeſſ. 14. cap. 3. quia abſolutio Sacerdotis ejuſmodi actûs determinat ad ſignificandam remiſſionem peccatorum.

Q. 6°. *Quid ſignificant hæ voces* : ex opere operantis, & ex opere operato ?

R. Voces, *ex opere operato*, ſignificant Sacramentum ipſum ſeu applicationem ſigni exterioris per ſe habere efficaciam ad gratiam producendam ; contra verò voces, *ex opere operantis*, ſignificant Sacramentum ex ſe nullam habere efficaciam, ſed ex uſu & diſpoſitionibus recipientis illud Sacramentum.

Q. 7°. *Sacramenta veteris legis nullamne habebant efficaciam ?*

R. Producebant ſanctitatem ſeu munditiam legalem, & ſignificabant ſolummodò gratiam ſanctificantem.

Q. 8°. *Unde habemus Sacramenta veteris legis contuliſſe gratiam ſanctificantem ex opere operantis dumtaxat ; Sacramenta verò novæ legis eam producere ex opere operato ?*

R. Habemus ex Scriptura ſacra & Eccleſiæ definitione ; de Sacramentis enim veteris legis habetur Gal. 4. v. 9. ea fuiſſe infirma & egena elementa,

& Heb. 7. v. 18. *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem.* De Sacramentis verò novæ legis legitur Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum cœlorum.* Hîc per Baptiſmum datur Spiritus ſanctus & nova nativitas; Act. 8. quibus Apoſtoli manus imponebant, hi accipiebant Spiritum ſanctum; Joan. 6. Qui manducat carnem Chriſti in Sacramento, vivet in æternum. Et ita de cæteris Sacramentis. Denique Concilium Tridentinum, ſeſſ. 7. Can. 2. definiit adversùs Novatores Sacramenta novæ legis differre à veteribus non ſolùm ritu externo, & can. 8. gratiam conferre ex opere operato.

Dices: Circumciſio remittebat peccatum originale etiam in parvulis; ergo conferebat gratiam etiam ex opere operato.

R. 1°. Circumciſio fuit inſtituta in lege naturæ & ante legem ſcriptam; ergo non eſt confundenda cum Sacramentis legis veteris, quamvis in ea fuerint præcepta, ſed revocanda ad Sacramenta legis naturæ, quæ Concilium Tridentinum non comprehendit in Canonibus ſuprà laudatis

R. 2°. Probabilius eſt circumciſionem non fuiſſe primariò inſtitutam ad delendum peccatum originale, ſed ad diſtinguendum populum Dei & genus Abrahæ ab aliis nationibus; tum quia Abraham, in quo primùm fuit inſtituta, jam erat juſtus, ut obſervat Apoſtolus, Rom. 4. ac proinde immunis à peccato originali; tùm quia quamdiù populus Dei manſit in deſerto ab aliis nationibus ſeparatus, circumciſus non eſt; tum quia circumciſio non applicabatur mulieribus, nec maribus ante octavum diem, ad quem ſanè multi non perveniebant morte perventi: ergo circumciſio data eſt in ſignum, non in ſalutem, ut loquuntur ſanctus Irenæus & Tertullianus: *Ad juſtitiam ipſa circumciſio nihil contulit*, inquit S. Chryſoſtomus, hom. 7. in Gen. ſiquidem Auguſtinus contrarium ſenſit, deceptus codicibus græcis quibus utebatur.

Negandum tamen non est in circumcisione deletum fuisse peccatum originale, non virtute ipsiusmet circumcisionis, sed virtute fidei in Christum venturum, ad quam profitendam assumebatur circumcisio pro maribus, ut docet S. Thomas 3. part. qu. 70. art. 4. ubi revocavit oppositam sententiam quam amplexus fuerat scribens in quartum distinct. 1. qu. 2. art. 4.

Q. 9°. *Quomodo definitur Sacramentum specificè spectatum?*

R. Sacramentum veteris legis definiri potest, signum visibile, sacrum, à Deo permanenter institutum ad producendam per se sanctitatem exteriorem & legalem, interiorem verò solùm significandam.

Sacramentum autem novæ legis est signum visibile, sacrum, à Christo Domino permanenter institutum ad producendam per se & ex opere operato sanctitatem interiorem.

In duobus ergo potissimùm differunt Sacramenta nova à veteribus. 1°. Quia sunt instituta à Christo Domino, illa verò non. 2°. Quia gratiam sanctificantem & justitiam conferunt ex opere operato, illa verò sanctitatem dumtaxat legalem.

Ergo Sacramenta novæ & veteris legis univocè conveniunt in genere Sacramenti; utraque enim sunt signa sacra, visibilia, permanentia, & divinitùs instituta.

CAPUT II.

De materia & forma Sacramentorum novæ legis.

Q. 1°. *Quotuplex est materia?*

R. Duplex; remota, circa quam versatur actio Ministri, ut aqua in Baptismo, peccata in Sacramento Pœnitentiæ; & proxima, estque usus materiæ remotæ, ut ablutio in Baptismo.

Q. 2°. *Ad quid verba adhibentur in ritu Sacramentorum novæ legis?*

Novatores, ex ſuo principio erroneo quo docent hominem juſtificari per ſolam fidem, duo circa Sacramenta colligunt. Primum ea à Chriſto Domino ſolùm fuiſſe inſtituta ad excitandam fidem promiſſionum divinarum, eaſque obſignandas tanquam per ſigilla. Secundum verba adhiberi in adminiſtratione Sacramentorum ad docendos ſuſcipientes, eſſeque concionalia & nullatenus conſecratoria.

Certum eſt adultos initiandos, priuſquam ad Baptiſmum & ad alia Sacramenta admittantur, debere edoceri quæ ſit virtus Sacramenti quod percepturi ſunt; ait enim Chriſtus, Matth. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* ſed quæſtio eſt utrum verba ex quibus eſſentialiter conſtant noſtra Sacramenta tanquam ex formâ, ſint dumtaxat concionalia.

R. Forma Sacramentorum, quæ in verbis conſiſtit, eſt verè conſecratoria, adeò ut conjuncta cum materia conferat gratiam quam ſignificat, verèque conſecret ac ſanctificet ſuſcipientes, quia ex dictis Sacramenta novæ legis gratiam interiorem producunt ex opere operato. Præterea adhibentur verba in collatione Baptiſmi parvulorum; atqui verba illa non ſunt concionalia ad erudiendos illos parvulos & fidem illorum excitandam.

Q. 3°. *Chriſtus determinavitne materiam & formam omnium Sacramentorum?*

R. 1°. Chriſtus Dominus quorumdam Sacramentorum, nempe Baptiſmi & Euchariſtiæ, materiam & formam determinavit in ſpecie, id eſt, inſtituiſſe, ſaltem mediatè, ſigna gratiæ ſanctificantis productiva, aliàs non eſſet auctor omnium Sacramentorum.

R. 2°. De fide quoque eſt Chriſtum quorumdam Sacramentorum materiam & formam in ſpecie determinaſſe, ut conſtat ex Baptiſmo & Euchariſtia; namque pro materia Baptiſmi aſſignavit aquam, Joan. 38. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*; & pro forma invocationem ſanctiſſimæ Trinitatis, Matth. 28. *baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, &*

Spiritûs ſancti. Pro materia etiam Euchariſtiæ accepit panem, & pro forma juſſit ut diceretur, *hoc eſt corpus meum*, ut patet ex ſequentibus verbis, *hoc facite in meam commemorationem*, Luc 22.

R. 3°. Certum eſt etiam formas aliorum quinque Sacramentorum non ita determinatas fuiſſe, ſed Chriſtum reliquiſſe Eccleſiæ determinandum quæ oratio adhiberetur pro Confirmatione, Ordinatione & Extremâ Unctione, quæve proferrentur verba pro Sacramentis Pœnitentiæ & Matrimonii, modò per ea ſufficienter exprimerentur effectus illorum Sacramentorum; Græci enim aliis verbis quàm Latini validè confirmant & ordinant.

Sed controverſia eſt in Scholis num Chriſtus determinaverit in ſpecie materiam ſingulorum Sacramentorum.

R. 4°. Materia omnium Sacramentorum à Chriſto Domino ſpeciatim eſt determinata. De materia Baptiſmi & Euchariſtiæ non eſt dubium, aliorum verò Sacramentorum expreſsè aſſignatur in Scriptura: pro Confirmatione habemus manuum impoſitionem, Act. 8. pro Ordinatione Diaconorum etiam manûs impoſitionem, Act. 6. & Preſbyterorum ac Epiſcoporum, 1. Tim. 4. v. 14. pro Pœnitentia peccatorum confeſſionem, Joan. 20. pro Extrema-unctione oleum, Jacob. 5. pro Matrimonio unionem viri & mulieris, ſeu mutuum utriuſque conſenſum, Epheſ. 5. ſed hæc ampliùs patebunt cùm diſſeretur ſeparatim de unoquoque Sacramento.

Q. 4°. *Mutatio materiæ vel formæ redditne Sacramentum irritum?*

R. Si mutatio ſit ſubſtantialis, Sacramentum eſt irritum; ſi ſit accidentalis, validum eſt Sacramentum, ſed illicitè adminiſtratur.

Q. 5°. *Quandonam ſit mutatio ſubſtantialis & accidentalis?*

R. Quando materia non eſt amplius eadem ſubſtantialiter quam Chriſtus determinavit, ut ſi vinum factum ſit acetum, acetum enim non eſt vinum;

vel

vel quando verba eumdem ſenſum non retinent, ut ſi quis in forma Baptiſmi dicat, Ego te baptiſo in nomine Patris majoris, quia hujuſmodi additio tollit æqualitatem perſonarum, defluitque myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis.

Accidentalis autem eſt mutatio in materia, quando manens in ſua ſubſtantia alteratur in accidentibus, ut ſi vinum parumper aceſcat, aut ſi cum granis tritici miſceantur grana alterius ſpeciei, ſed in minori quantitate. In verbis etiam accidentalis eſt mutatio, quando ea adduntur aut detrahuntur verba quæ ſenſum non tollunt.

Dices: Eccleſia mutavit materiam Sacramenti matrimonii, nam ante Concilium Tridentinum contractus clandeſtinus, hoc eſt, ſine teſtibus & præſentia parochi, perficiebat matrimonium: Concilium autem Tridentinum ejuſmodi contractum fecit irritum: ergo Eccleſia poteſt mutare materiam Sacramentorum etiam quoad ſubſtantiam.

Diſtinguo conſequens, poteſt mutare indirectè & præſuppoſitivè, concedo; poteſt mutare directè & formaliter, nego conſequens: quemadmodum enim qui ſubſtantialiter corrumperet aquam, poſſet dici mutare indirectè & præſuppoſitivè materiam Baptiſmi, quia corrumperet id quod poterat eſſe materia idonea ad baptiſandum; ſic Eccleſia efficit ut qui erat olim contractus validus, jam non ſit validus, apponendo ſcilicet novas ſolemnitates, ſine quibus non erit verus contractus. Sed penès Eccleſiam non eſt ut contractus validus non ſit materia Sacramenti matrimonii, & aqua vera non ſit materia Baptiſmi, quia Chriſtus utramque materiam inſtituit.

CAPUT III.

De causa efficiente Sacramentorum novæ Legis.

Q. 1°. *QUotuplex est causa efficiens Sacramentorum novæ Legis?*

R. Triplex. Prima est Deus, quia omnipotenti suâ voluntate Sacramentis tribuit sanctificandi virtutem, deditque Christo, ut homo est, potestatem ea instituendi. Secunda est Christus, qui potestate excellentiæ, ut aiunt, & tamquam instrumentum divinitati conjunctum Sacramenta novæ Legis instituit. Tertia est merè ministerialis, consistitque solùm in potestate administrandi Sacramenta jam divinitùs instituta.

Q. 2°. *In quibus consistit potestas excellentia Christo concessa?*

R. In his quatuor consistit. 1°. Quòd Sacramenta per illius meritum operentur. 2°. Quòd ad invocationem nominis illius conferantur. 3°. Quòd ipse habeat potestatem Sacramenta instituendi. 4°. Quòd Sacramentorum effectum solo voluntatis nutu, & independenter à quocumque ritu externo conferre possit, sicut revera contulit Peccatrici, Luc. 7. & Paralytico, Matth. 9.

Q. 3°. *Quis est minister Sacramentorum novæ Legis?*

R. Solus homo. Est contra Lutherum, qui lib. de Missa privata docet Angelos & Dæmones posse legitimè administrare Sacramenta, cùm Christus solos homines allocutus sit: *Iis datum est*, inquit sanctus Chrysostomus lib. 3. de Sacerd. *ut potestatem habeant, quam Deus optimus maximus neque Angelis neque Archangelis datam esse voluit, neque enim ad illos dictum est, quæcumque ligaveritis,*

&c. Matth. 18. *Docete omnes Gentes, baptisantes eos*; Matth. 28. *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 22.

Q. 4°. *Quivis homo estne Minister Sacramentorum novæ Legis?*

R. Minimè; solis enim Apostolis Christus dixit, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Joann. 20. ex hominibus quosdam elegit Pastores & Doctores, Ephes. 4.

Q. 5°. *Quot requiruntur in Ministro ut Sacramentum legitimè perficiat?*

R. Tria, nempe intentio, fides & probitas.

Q. 6°. *Quid intelligitur nomine intentionis?*

R. Intelligitur deliberata voluntas faciendi quod facit Ecclesia. Dico, *deliberata*, quæ enim fiunt sine cognitione & advertentia rationis, dicuntur fieri præter intentionem. Hinc mater quæ abluendo sordes corporales infantis diceret, abluo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, non haberet intentionem conferendi Sacramentum, quia de eo non cogitaret, nec cogitasset.

Q. 7°. *Estne necessaria in Ministro illa intentio ad veritatem Sacramenti?*

Negavit Lutherus, adversùs quem stat ista definitio Concilii Tridentini, sess. 7. can. 11. *Si quis dixerit in Ministris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.* Quare.

R. De fide est Ministri intentionem esse necessariam ad perficiendum Sacramentum; *Sic nos existimet homo*, inquit Apostolus 1. Cor. 4. *ut Ministros Christi & dispensatores Mysteriorum Dei*: atqui dispensator debet agere humano modo & cum advertentia rationis, alioquin actus ejus sunt irriti.

Dices 1°. Medicamentum prodest ægroto, etiamsi præter intentionem, aut etiam per jocum detur: ergo.

Distinguo antecedens; medicamentum quod non

consistit essentialiter in actione humana, ut omnia medicamenta corporea, concedo; quod essentialiter consistit in actione humana, quæ non potest perfici sine intentione, nego antecedens.

Dices 2°. S. Alexander, Episcopus Alexandrinus, ratum habuit Baptismum jocosè collatum à sancto Athanasio adhuc puero. Item sanctus Genesius validè fuit baptisatus per Mimum, qui in Theatro Mysteria Christianorum derisoriè repræsentabat: ergo.

Nego conseq. namque 1°. Rufinus & ex illo Socrates & Sozomenus incertâ admodum famâ & diversimodè referunt illam sancti Athanasii historiam, & plura suadent eam esse falsam; vide tom. 5. pag. 69. 2°. Vera sit illa historia, pueri in ludis suis nonnumquam seriò imitantur quæ à majoribus fieri conspiciunt, & hanc fuisse mentem in puero Athanasio deprehendit sanctus Alexander, ex eo quòd non promiscuè ablueret infideles & jam baptisatos, sed solos Catechumenos, exploratis priùs per varias interrogationes eorum dispositionibus. 3°. Sanctus Genesius sanctificatus est vel perfectâ contritione, quæ dicitur Baptismus flaminis, vel proprio sanguine, non verò Baptismo aquæ mimicè collato.

Q. 8°. *Qua intentio est necessaria ad perficiendum Sacramentum?*

R. 1°. Contra scrupulosos directa sufficit, nec requiritur reflexa, quâ qui reflectens suprà intentionem quam jam habet, & ex qua currit ad baptisandum parvulum aut absolvendum moribundum, novo & distinctiori modo vult conferre Sacramentum.

R. 2°. Non requiritur intentio finis Sacramenti, hoc est conferendi sanctitatem, quia ex dicendis, infideles vel etiam athei possunt validè administrare Sacramenta, etiamsi existiment esse cæremonias superstitiosas.

R. 3°. Intentio habitualis non sufficit, quia est

fine advertentia rationis, cùm possit reperiri in dormiente, amente, & ebrio: multò minùs interpretativa intentio sufficit quàm habitualis, quia non tam est intentio quàm dispositio ad intentionem concipiendam.

R. 4°. Intentio actualis quamvis optima, atque ideò optanda, non est necessaria, sed virtualis sufficit.

Q. 9°. *Quid est intentio virtualis?*

R. Est actio quæ fit virtute præcedentis voluntatis deliberatæ, quæ licèt præterierit, censetur moraliter permanere, quàtenus est causa actuum sequentium; Pastor v. g. ex intentione baptisandi infantem ad Templum pergit, dumque parat necessaria ad Baptismum & ritum prosequitur, actu non cogitat de Sacramento quod perficit, mente aliò abstractâ, idque vel ex infirmitate humana, vel ex negligentia. Omnes illæ actiones dicuntur intentio virtualis, quia fiunt ex deliberatâ voluntate, quâ voluit baptisare, & ad Templum perrexit.

Q. 10°. *Fides & probitas requiruntne in Sacramentorum Ministro?*

R. 1°. Minister Sacramentorum conficiens aut administrans in statu peccati mortalis, peccat lethaliter. Ita S. Thomas 3. part. q. 64. & omnes Theologi, *Quia*, inquit angelicus Doctor, *hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei & contaminationem Sacramentorum, quantùm est ex parte ipsius peccatoris.*

R. 2°. De fide est ad veritatem Sacramenti nec probitatem nec fidem requiri, atque adeò Ministrum impium, vel etiam hæreticum, validè conficere aut conferre Sacramenta, modò materiam & formam adhibeat cùm intentione faciendi quod facit Ecclesia; ita enim definiit Concilium Tridentinum sess. 7. can. 4. & can. 12.

Nostra responsio efficaciter non probatur ex Scriptura, ipsomet S. Augustino fatente lib. de unitate Ecclesiæ, cap 19. sed eam S. Stephanus summus

Pontifex tertio sæculo ex traditione invictè asseruit adversùs S. Cyprianum, S. Firmilianum, & plures alios Episcopos, ac deinceps Concilia & SS. Patres.

Dices: nemo dat quod non habet; atqui peccator aut hæreticus non habet Spiritum sanctum; ergo illum dare non potest, nec proinde Sacramentum validè conferret. *Ab immundo quid mundabitur?* inquit Sapiens, Eccl. 34. v. 4.

Distinguo majorem; nemo dat tamquam causa principalis, quod non habet, concedo; nemo dat tamquam causa instrumentalis, quod non habet, nego majorem: causa enim instrumentalis non agit virtute propriâ, sed virtute causæ principis. Porrò minister habet rationem instrumenti quo Christus utitur ad conferendam sanctitatem, sive Petrus, sive Judas baptiset in nomine Christi, ubique Christus per Ministrum baptisat, & virtute suâ baptisatum sanctificat.

Plura alia objiciuntur tum ex Scriptura, tum ex Traditione, ut suadeatur Sacramenta Baptismi, Confirmationis, & Ordinis iterata fuisse in Ecclesia; quæ diluimus tom. 5. tract. de Sacramentis in genere, cap. 14. ubi etiam probavimus S. Stephanum non excommunicasse S. Cyprianum, nec ultra minas fuisse progressum.

Q. 11°. *Licetne petere Sacramenta ab improbo Ministro?*

Respondet S. Thomas in quartum distinct. 24. quæst. 1. art. 3. quæstiunculâ 5. ad tertium, licere, modò adsit necessitas, secùs non licere.

Caput IV.

De effectibus Sacramentorum novæ Legis.

Q. 1°. *Quinam sunt effectus Sacramentorum novæ Legis?*

R. Alius est communis, alius proprius.

Communis, est gratia sanctificans vel prima, ut in Baptismo & in Pœnitentiâ; duo enim illa Sacramenta instituta sunt ad remittendum peccatum mortale, & ideo dicuntur Sacramenta mortuorum, vel secunda, ut in aliis quinque Sacramentis quæ supponunt suscipientem in statu gratiæ sanctificantis, suntque instituta ad illam augendam & perficiendam; hinc dicuntur Sacramenta vivorum.

2°. *Quisnam est effectus proprius?*

R. Duplex est; alius ita est proprius, ut alteri non conveniat, diciturque gratia Sacramentalis, & alius, qui non est ita proprius quin conveniat alteri Sacramento, ut caracter qui convenit Baptismo, Confirmationi & Ordini.

Q. 3°. *Quid est gratia Sacramentalis?*

R. Est jus fundatum in gratia sanctificante per Sacramentum collatâ ad accipienda opportuno tempore certa auxilia, id est, gratias actuales, quibus possit homo obtinere finem Sacramenti. Supponamus v. g. quempiam cum debitis dispositionibus Sacramentum Confirmationis suscepisse, ac proinde augmentum gratiæ sanctificantis fuisse consecutum: gratia sic accepta titulus est confirmato ad obtinendas à Deo gratias actuales, ut possit datâ occasione Evangelium intrepidè profiteri, ad hoc enim institutum est illud Sacramentum.

Ergo gratia sacramentalis non semper recipitur actu, nisi in radice, dum administratur Sacramentum. Hoc maximè patet in infantibus & in iis qui amisso usu rationis, absolvuntur vel unguntur; in illo enim statu non sunt capaces gratiarum actualium, utpote quæ sint actus intellectûs & voluntatis divinitùs excitati; jus tamen per Sacramentum acquisierunt ad illas suo tempore accipiendas.

Ergo qui post susceptum Sacramentum labitur in peccatum mortale, amittit jus ad illa auxilia supernaturalia, cùm fundentur in gratiâ sanctificante, quæ per peccatum mortale amittitur. Imò ex Apostolo, Heb. 10. terribilis eum manet expectatio

judicii, utpote qui filium Dei conculcaverit, & sanguinem Christi pollutum duxerit, in quo sanctificatus est.

Q. 4°. *Sacramenta conferuntne semper æqualem gratiam?*

R. In suscipientibus æqualiter dispositis, ut in parvulis, æqualem gratiam conferunt; in meliùs verò dispositis, majorem, quia Sacramenta sunt causæ necessariæ. Unde sicut ignis eodem modo applicatus duabus candelis similiter præparatis, eas similiter accendit, secùs, si diversimodè sint præparatæ, ita & Sacramenta operantur secundùm propriam cujusque dispositionem & cooperationem, ut docent Patres Tridentini, sess. 6. cap. 7.

Q. 5°. *Major gratia meliùs dispositò collata, est ne ex opere operato, an ex opere operantis?*

Est ex opere operato; quemadmodum enim inflammatio ligni siccioris & meliùs præparati ad ignem concipiendum, non est à ligno, sed ab igne solo; sic major gratia in suscipiente meliùs dispositò, est à Sacramento, non à dispositionibus.

Q. 6°. *Quid est character?*

R. Est signum in anima impressum indelebile, quo distinguitur homo ab aliis, efficiturque idoneus ad nonnulla quæ sunt cultûs divini, ut in Baptismo ad recipienda alia Sacramenta, in Confirmatione ad profitendam Religionem christianam, & in Ordine ad obeundas functiones ecclesiasticas.

Ergo tres sunt effectus caracteris. 1°. Efficit ut Sacramenta quibus imprimitur, scilicet Baptismus, Confirmatio & Ordo, iterari nequeant. 2°. Distingui v. g. baptisatum à non baptisatis, Sacerdotem à Laïcis. 3°. Consecrat & deputat ad nonnulla Religionis officia.

Quid sit autem illud signum, an qualitas primæ, secundæ, tertiæ, aut quartæ speciei, an relatio sive realis sive rationis, non conveniunt Theologi, nec hujusmodi controversiam attigerunt Patres Tridentini: S. Thomas & Cathechismus Romanus volunt

esse qualitatem primæ speciei, id est, potentiam. Dominicus Soto post Concilium Tridentinum, cui interfuit, docet in quartum distinct. 1. q. 3. art. 1. & qu. 4. art. 2. caracterem esse rem ab anima indistinctam, & nihilominus rectè dici imprimi, atque esse indelebilem, quemadmodum matrimonii vinculum ligat contrahentes, & est indissolubile, licèt non sit quid physicum realiter á contrahentibus distinctum, sed morale dumtaxat.

Caput V.

De dispositionibus ad Sacramenta recipienda requisitis.

Q. 1°. *Quænam dispositiones requiruntur ad Sacramenta recipienda?*

R. 1°. In parvulis nulla requiritur dispositio, quia si iis nocuit voluntas aliena, nempe primi parentis, iis quoque prodesse poterit fides aliena, nimirum matris Ecclesiæ; *Qui peccavit in altero*, (in Adamo,) *credit in altero*, (Ecclesia) inquit S. Augustinus serm. 294. aliàs 14. de verbis Apostoli. Idem dicendum de amentibus, qui usu rationis semper caruerunt.

R. 2°. Ut adulti Sacramenta validè recipiant, requiritur & sufficit (excepto tamen Sacramento Pœnitentiæ) voluntas recipiendi Sacramentum. Requiritur quidem, quia susceptio Sacramenti est quædam Religionis professio, quæ fieri nequit sine aliquo voluntatis motu. Sufficit etiam, quia Sacramenta validè administrantur hæreticis, cùm in iis non iterentur, quando redeunt ad Ecclesiam Catholicam: atqui in hujusmodi hæreticis nulla fuit aliâ dispositio quàm voluntas recipiendi alia Sacramenta.

Dixi, *excepto Pœnitentiæ Sacramento*, quia in illo Sacramento, actus pœnitentis, nempè Contritio

& Confessio, sunt ejus materia essentialis; atqui non perficitur Sacramentum sine materia sua essentiali: ergo nullum est Sacramentum Pœnitentiæ in eo qui illud voluntariè, sed fictè, id est sine vera contritione recipit.

R. 3°. Præter voluntatem recipiendi Sacramenti, requiruntur in adulto aliæ dispositiones ut licitè & cum fructu recipiatur. Variæ autem debent esse illæ dispositiones pro diversitate Sacramentorum; aliam enim dispositionem requirit Eucharistia, aliam Pœnitentia, Ordo, &c.

Q. 2°. *Qua voluntas in suscipiente requiritur ad veritatem Sacramenti?*

R. 1°. Ad Baptismum saltem requiritur intentio habitualis, Baptismus enim est Christianæ Religionis professio, per quam Baptisatus obligat se ad observandam Legem evangelicam & Ecclesiæ statuta, quod necessariò supponit intentionem saltem habitualem; intentio autem habitualis hîc dicitur voluntas quæ aliquando præcessit, nec fuit retractata.

Hujusmodi voluntas habitualis à fortiori requiritur in Sacramentis Pœnitentiæ & Matrimonii, in quibus cùm actus suscipientium habeant rationem materiæ & partis essentialis, necesse est ut censeantur præsentes saltem moraliter, quando illa duo Sacramenta celebrantur.

Nec dicas intentionem habitualem non sufficere ad ministranda Sacramenta, ergo nec ad recipienda; disparitas enim est quod ad recipiendam formam satis est ut subjectum sit dispositum nec repugnet, cùm passivè se habeat: ut autem forma introducatur, requiritur actio agentis, quæ in ministro Sacramentorum debet esse humana, ac proindè à voluntate liberâ procedere.

R. 2°. Intentio generalis & interpretativa sufficit ad recipienda cætera Sacramenta, excepto fortè Sacramento Ordinis; quia intentio interpretativa ea dicitur quâ aliquis, dum expresè vult rem unam, censetur velle ea omnia, quæ ad illam pertinent,

tamquam appendices, etiamsi de illis numquam cogitaverit. Explicatur exemplo illius qui capescit dignitatem, ignorans quoddam ejus singulare privilegium; is enim censetur voluisse tale privilegium, & ita interpretamur. Atqui eo ipso quò quis voluit baptisari, hoc est, profiteri Religionem Christianam, Ecclesia semper est interpretata illum voluisse frui omnibus gratiis & bonis quorum habet dispensationem, soletque administrare Sacramenta Confirmationis & Extremæ Unctionis Fidelibus repentino morbo correptis, etiamsi illa antea non expetierint, satisque est piæ Matri quòd Baptismi vota evidenter per peccatum mortale non retractaverint.

Dixi, *excepto fortè Sacramento Ordinis*, quia controvertitur in Scholis num Sacramentum illud infantibus validè conferri possit, quod expendimus tom. 5. tract. de Sacramentis in genere, cap. 17. quæstiunculâ 4.

Caput VI.

De numero Sacramentorum novæ Legis.

Q. 1°. *Quot sunt Sacramenta novæ Legis?* Mira est Novatorum varietas circa numerum Sacramentorum. Lutherus lib. de captiv. Babyl. scribit se non damnare septem Sacramenta, unum tamen esse propriè dictum, sed admittenda esse duo, scilicet Baptismum & Eucharistiam, & in alio loco ejusdem libri addit Pœnitentiam. Melanchton ejus Collega, in celebri Confessione Augustana tria confitetur Sacramenta, & in posterioribus scriptis nunc quatuor, nunc quinque agnoscit, propendetque in sententiam Zuinglii, qui matrimonium inter Sacramenta numerat, lib. de vera & falsa Religione.

Calvinus lib. 4. Instit. cap. 18. Baptismum & Eu-

chariſtiam ſolùm retinet. Dallæus ejus ſectator, hâc noſtrâ ætate ſcripſit quæſtionem de numero Sacramentorum nullius aut parvi admodum eſſe momenti. Contra hujuſmodi varietates.

R. De fide eſt ſeptem eſſe Sacramenta novæ Legis, ita enim Concilium Tridentinum poſt Eugenium IV. definiit ſeſſ. 7. can. 1. his verbis: *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non fuiſſe omnia à Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura, vel pauciora quàm ſeptem.... anathema ſit.*

Definitio Concilii conſtat tum ex Scriptura, ut patebit cùm agemus de ſingulis Sacramentis, tùm univerſalis Eccleſiæ Traditione: Eccleſia enim Orientalis & Latina hactenus retinuerunt ſeptem Sacramenta.

Q. 2°. *Quare nec plura, nec pauciora ſunt novæ Legis Sacramenta?*

R. Quia Chriſtus Dominus ita voluit, iis enim quæ ſunt arbitraria, ratio facti nulla eſſe poteſt aliæ quàm voluntas facientis. Hanc tamen convenientiam S. Thomas repetit ex naturali rerum humanarum ordine; quemadmodum enim in ordine naturali homo primò naſcitur, ſecundò creſcit, tertiò alimentis reficitur, quartò ſi ægrotet remedia adhibet, quintò minuitur adversùs hoſtes, ſextò regitur à ſuperiore, ſeptimò ſpecies humana per generationem conſervatur; ſic in ordine ſupernaturali Baptiſmus eſt ad regenerationem, Confirmatio ad accretionem, Euchariſtia ad nutritionem, Pœnitentia ad medicinam, Extrema-Unctio ad armaturam, Ordo ad regimen, & Matrimonium ad multiplicationem Fidelium.

TRACTATUS DE BAPTISMO.

CAPUT PRIMUM.

De notione Baptiſmi.

Q. 1°. *Unde nomen Baptiſmi?*

R. A nomine Græco Βάπτισμὸ, quod Latinè ſignificat immerſionem.

Q. 2°. *Quotuplex eſt Baptiſmus apud Scriptores Eccleſiaſticos?*

R. Triplex. Primus dicitur Baptiſmus ſanguinis, quod eſt martyrium; ſecundus Baptiſmus flaminis, quod eſt votum ſeu deſiderium recipiendi Sacramentum Baptiſmi; tertius eſt Baptiſmus aquæ, primum novæ Legis Sacramentum, de quo hîc tractamus.

Q. 3°. *Quomodo definitur Baptiſmus?*

R. Definitur à ſancto Thoma poſt magiſtrum ſententiarum, ablutio exterior facta ſub præſcripta forma verborum; à Theologis vulgò, Sacramentum novæ Legis ad ſpiritualem hominis regenerationem, à Chriſto inſtitutum.

Q. 4°. *Quandonam Chriſtus inſtituit Sacramentum Baptiſmi?*

R. Oppoſitæ ſunt Patrum ac Theologorum ſententiæ; probabilior videtur ſententia ſancti Auguſtini, Tract. 5. in Joan. Magiſtri ſententiarum, in 4. Diſtinct. 3. & S. Thomæ 3. part. quæſt. 66. ad

2. Baptismum fuisse Institutum ante passionem, & quidem priusquam Christus prædicationis officium inchoaret: nam Joan. 3. v. 22. Christus baptisabat saltem per Discipulos, ut habetur Joan. 4. v. 2. Atqui Baptismus ille non erat Joannis, sed is ipse de quo Christus Nicodemo locutus est eodem cap. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c.* tum quia Discipuli Christi non baptisabant nomine Joannis, aliàs nulla fuisset invidiæ & discordiæ causa in Discipulis Joannis, cit. cap. 3. v. 26. si Apostoli in nomine Joannis baptisassent; tum quia Joan. 15. Petrus dicitur lotus & à peccato mundatus; atqui Baptismus Joannis à peccato non mundabat; tum denique quia Apostoli ordinati sunt Sacerdotes ante passionem Christi, scilicet in ultima cœna; ergo erant baptisati baptismo Christi.

Q. 50. *Quanam est materia Baptismi?*

R. Remota est aqua naturalis & propriè dicta, Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* proxima est ablutio, quæ tribus modis fieri potest. 1°. Per immersionem, ut hactenus apud Græcos, apud Latinos verò usque ad decimum tertium sæculum. 2°. Per infusionem, juxta receptum morem Latinorum, à quo non recedunt Pseudo-reformati. *Nec quemquam movere debet*, inquit sanctus Cyprianus Epist. 69. ad Magnum, *quòd aspergi vel perfundi videntur ægri.* Ex quibus patet ex primis Ecclesiæ sæculis in casu necessitatis Baptismum per infusionem, quâ usum fuisse sanctum Petrum plures Theologi contendunt, quando in una die tria millia hominum baptisavit, Act. 2.

Q. 60. *Qua & qualis requiritur aqua infusio aut aspersio?*

R. 1°. Non sufficit aquam attingere vestes aut capillos baptisandi, sed necesse est ut corpus ejus perfundatur; aliàs non ipse, sed ejus vestes aut capilli abluerentur.

R. 2°. Debet esse quædam successio & fluxus

aquæ ; non enim dicitur ablutus ſuper quem una aut altera pluviæ gutta decidit.

R. 3°. Curandum eſt ut perfundatur una ex præcipuis corporis partibus, maximè verò caput in quo omnes ſenſus vigent : hæc ablutio affinis eſt immerſioni, quia videtur homo obrui aquis, dum in quadam copia ſuper caput ejus defluunt. Unde in Rituali Rhemenſi anni 1505. hæc leguntur, *Debet fieri trina merſio ſuper caput pueri.* Inde ſequitur dubium eſſe Baptiſmum in quo abluitur manus vel pes infantis ; atque ideò libri rituales docent communiter eſſe repetendum ſub conditione.

Q. 7°. *Quanam eſt forma Baptiſmi ?*

R. Legitima eſt hæc forma ; apud Latinos quidem, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, &c.* apud Græcos verò, *Baptizo N. in nomine Patris, &c.* vel *baptiſatur N. in nomine Patris, &c.* ut refertur in Decreto Eugenii IV. colligitur ex Scriptura, Matth. 28. *Docete omnes gentes, baptiſantes eos in nomine Patris, &c.*

Q. 8°. *Singulæ voces ſunt-ne ita neceſſariæ ut vel unâ omiſsâ, nullum eſſet Sacramentum ?*

R. 1°. Graves Theologi XII. ſæculo docuerunt Baptiſmum valere, prætermiſſis his vocibus, *baptiſo te* ; ſed Alexander III. eodem labente ſæculo, contrarium decrevit C. *Si quis*, tit. de Bapt. & ejus effect. & Alexander VIII. anno 1690. damnavit hanc propoſitionem : *Valuit aliquando Baptiſmus ſub hâc formâ collatus, in nomine Patris, &c.*

R. 2°. Dubium non eſt quin hæ voces, *in nomine Patris, & Filii, &c.* ſint de neceſſitate Sacramenti, cùm Chriſtus illas deſignaverit, Matth. 28. & Eccleſia ſemper uſurpaverit tamquam neceſſarias. *Quis neſciat*, inquit S. Auguſtinus lib. 6. de Baptiſmo, cap. 25. *non eſſe Baptiſmum Chriſti, ſi Evangelica verba, quibus ſymbolum conſtat.... defuerint ? Sed faciliùs inveniuntur Hæretici, qui omnino non baptiſent, quàm qui non illis verbis baptiſent.*

Dices 1°. Apoſtoli baptiſabant in nomine Jeſu, Act. 8. & 19. ergo.

R. 1°. Revera S. Thomas, & ex illo author Cathechiſmi Romani exiſtimarunt Apoſtolos ex diſpenſatione baptiſaſſe, invocato ſolo nomine Jeſu: ſed S. Cyprianus Epiſt. ad Jubajanum oppoſitum cenſuit, ſic enim ſcribit, *Jeſu Chriſti mentionem facit, Petrus* (Act. 2.) *non quaſi Pater omitteretur, ſed ut Patri Filius quoque adjungeretur.* Undè in forma.

R. 2°. Diſtinguendo antecedens; baptiſabant baptiſmo Domini Jeſu, concedo; baptiſabant invocato ſolo nomine Jeſu, nego antecedens; namque Act. 19. Apoſtolus miratus quòd Epheſii dicerent ſe neſcire an ſit Spiritus ſanctus, interrogat; *in quo ergo baptiſati eſtis?* Ex qua interrogatione evidenter deducitur baptiſmum tunc temporis fuiſſe collatum invocato Spiritu ſancto.

Dices 2°. Expreſſa invocatio ſanctiſſimæ Trinitatis non eſt neceſſaria in aliis Sacramentis: ergo.

Nego conſequentiam; in iis enim quæ arbitraria ſunt, argumentari non licet à pari; Chriſtus unum voluit, non verò alterum: ratio tamen convenientiæ ſolet afferri, nempe quòd Baptiſmus ſit ſolemnis profeſſio Religionis Chriſtianæ, cujus primarium objectum eſt Myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis.

Caput II.

De Miniſtro & ſubjecto Baptiſmi.

Q. 1°. *Quis eſt Miniſter Sacramenti Baptiſmi?*

R. 1°. Ordinarius eſt Epiſcopus vel Presbyter, Baptiſmus enim eſt ingreſſus in Eccleſiam; atqui admittere pulſantes, ad eos ſolos pertinet qui in Eccleſia præſunt.

R. 2°. In casu necessitatis omnis homo viator, sive vir, sive mulier, fidelis aut infidelis, baptisatus vel non baptisatus, potest baptisare; ita Eugenius IV. in Decreto pro Armenis, in quo sic ait, *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui competit ex officio baptisare. In casu autem necessitatis, non solùm Sacerdos vel Diaconus, sed etiam Laïcus vel mulier, imò etiam Paganus & Hæreticus baptisare potest, dummodò formam servet Ecclesia, & facere intendat quod facit Ecclesia.*

Dices: atqui Hæreticus v. g. Calvinianus non intendit facere quod facit Ecclesia Romana, quæ sola vera est Ecclesia, cùm eam detestetur uti adulteram: ergo validè non baptisat.

Distinguo subsumptum; non intendit facere quod facit hæc Ecclesia determinatè sumpta, concedo; quod facit Ecclesia universim spectata, hoc est, Ecclesia Christiana & à Christo instituta, nego subsumptum: Hæreticus enim credit aliquam esse Ecclesiam à Christo institutam, vultque facere quod illa observat. Paganus verò, vel etiam Atheus, qui nec Christum nec ejus Ecclesiam credit, saltem vult facere quod faciunt Christiani, quamvis illud superstitiosum & prorsùs inane existimet. Et hæc intentio absolutè sufficit.

R. 3°. Minister Baptismi solemnis extraordinarius est Diaconus; hanc enim potestatem in sua ordinatione accepit: *Diaconum*, inquit Pontifex, *oportet ministrare ad altare, baptisare & pradicare.* Et Hieronymus Dialogo contra Luciferianos, *Non abnuo*, inquit, *hanc esse Ecclesiarum consuetudinem ut ad eos qui in longè minoribus Urbibus per Presbyteros & Diaconos baptisati sunt, Episcopus manum impositurus excurrat.*

Q. 1°. *Quinam sunt capaces Baptismi?*

R. Omnis homo in statu vitæ, sive vir sit ille, sive mulier, infans, vel adultus; Christus enim neminem excipit, *Docete omnes gentes, baptisantes eos*, Matth. 28.

At, inquiunt, hæretici priùs docendi sunt quàm baptisentur; atqui parvuli non possunt edoceri: ergo nec baptisari. Ita Anabaptistæ, Petrobrussiani, Henriciani, & Valdenses XII. sæculo; quem errorem Concilium Tridentinum sess. 7. can. 13. anathemate percussit. Quare.

R. 2°. De fide est parvulos esse Baptismi capaces, idque probat sanctus Augustinus lib. 1. de pec. mer. cap. 26. ex constanti Ecclesiæ Traditione, quam ipsi Pelagiani non negabant: *Parvulos*, inquit, *baptisandos esse concedunt, qui contra auctoritatem universæ Ecclesiæ procul dubio per Dominum & Apostolos traditam venire non possunt.*

Q. 3°. *Filii Infidelium possuntne baptisari invitis parentibus?*

R. 1°. Contra Durandum, possunt validè; quia ut observat S. Augustinus Epist. 98. aliàs 23. num. 2. *Non scriptum est, nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, sed, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto:* ergo ad veritatem Baptismi non requiritur voluntas parentum.

R. 2°. Filii mancipiorum licitè baptisari possunt invitis parentibus, quia tam ipsi quàm parentes sunt sub dominio eorum quibus serviunt, possuntque absque injuria parentibus subtrahi. Idem dicendum de captivis jure belli.

R. 3°. Filii Hæreticorum possunt licitè baptisari invitis parentibus, quia parentes utpotè jam baptisati, Ecclesiæ subditi sunt, ac proinde cogi possunt ad servandas ejus leges.

R. 4°. Filii Infidelium, qui nequidem civiliter Christianis principibus subditi sunt, mente baptisarentur, reluctante utroque parente, nisi jamjam essent morituri; quia vel illi infantes subtraherentur patriæ potestati, vel non: primum fieri non potest sine injuria parentum quibus jus à natura concessum est educandi & instituendi filios nondum rationis compotes: *Quandiù usum rationis non habet puer*, inquit S. Thomas 2. Sec. quæst. 10. art. 12.

non differt ab animali irrationali. Unde ſicut bos vel equus eſt alicujus, ut utatur eo cùm voluerit ſecundùm Jus civile, ſicut proprio inſtrumento; ita de Jure naturali eſt quod filius, antequam habeat uſum rationis, ſit ſub cura parentum. Unde contra juſtitiam naturalem eſſet, ſi..... à cura parentum ſubtrahatur, vel de eo aliquid ordinetur, invitis parentibus. Secundum verò exponeret Sacramentum evidenti periculo profanationis, cùm liberi curæ parentum infidelium dimiſſi, eorum ſuperſtitionem infallibiliter ſequantur. Et hæc ratio æquè concludit pro filiis infidelium, qui civiliter Principibus Chriſtianis ſubditi ſunt; poteſtas enim civilis ſpectat ſolummodò temporalem Reipublicæ adminiſtrationem, nec extenditur ad ea quæ ſunt ſuperioris ordinis: *Nova atque inaudita eſt illa prædicatio, quæ verberibus exigit fidem*; inquit ſanctus Gregorius lib. 2. Epiſt. 52.

Dixi 1o. *Reluctante utroque parente*; ſi enim vel ſola mater ſit Chriſtiana, cùm & ipſa habeat jus inſtituendæ prolis, infans invito patre infideli, licitè baptiſabitur. Ita ſanxit Concilium Toletanum 11. cap. 62.

Dixi 2o. *Niſi illi infantes jamjam eſſent morituri*; quia tunc nec eriperentur paternæ poteſtati, nec Baptiſmus profanationi exponeretur.

Caput III.

De effectibus Baptiſmi.

Q. 1o. *Quinam ſunt effectus Baptiſmi?*

R. 1o. Mundat ab omni macula peccati, tum originalis, tum actualis, juxta illud ad Rom. 8. *Nihil ergo nunc damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto Jeſu.*

R. 2o. Delet omnem reatum pœnæ, ita ut ex Concilio Tridentino, Seſſ. 5. de peccato originali, *Ni-*

hil prorsùs eos (baptisatos) *ab ingressu cœli remoretur.* Præiverat Eugenius IV. & sanctus Hieronymus Epist. 183. *Omnia*, inquit, *in Baptismate condonata sunt crimina, nec post indulgentiam, Judicis est metuenda severitas.*

3o. Confert gratiam sanctificantem 1. Cor. 6. *Sed abluti estis, sed sanctificati estis.* Cùm autem oprari sequatur esse, simul cum gratiâ sanctificante, quæ baptisatum constituit in esse divino, infunduntur virtutes & Spiritûs sancti dona, quibus baptisatus sit expeditior ad omnia pietatis officia.

4o. Baptismus filios Dei parit: *Non amplius mater carnalis*, inquit S. Chrysostomus hom. 25. in cap. 3. Joan. *non concubitus & amplexus, novum jam naturæ nostræ intexitur opificium à Spiritu sancto & aqua, quod enim matrix est embrioni, hoc aqua fideli.*

Fiunt autem filii Dei in Baptismo, non per deputationem externam & moralem, ut in adoptione humana, sed per communicationem ejusdem Spiritûs cum Deo, juxta illud Gal. 4, *Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum filii sui in corda vestra.* Hinc baptisati constituuntur hæredes Dei; *Si filii*, inquit Apostolus ad Rom. 8. *& hæredes.* Atque ad fovendam hanc baptisati fiduciam in baptismo Christi, qui nostri fuit prænuncius, cœli aperti sunt, *Ut discas etiam tu, cùm baptisaris, hoc fieri; Deo te jam ad patriam cœlestem vocante, nihilque commune cum terra suadente*, ait sanctus Chrysostomus hom. 12. in Matth. Quin fideles per baptismum jus habent ad alia Sacramenta & dona Ecclesiæ concessa tanquam ad bona paterna. Hanc Dei magnificentiam & ineffabilem doni amplitudinem miratus sanctus Joannes, scribit Epist. 1. cap. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis pater, ut filii Dei nominemur & simus.* Parum videbatur dicere, quod *filii Dei nominemur*, nisi addidisset quod revera *simus*, scilicet ex participatione ejusdem cum eo Spiritûs, quemadmodum filii car-

nales revera sunt filii per communicationem ejusdem sanguinis eorum, à quibus progeniti sunt.

5o. Baptismus Christo non conjungit, compinpitque tanquam membra capiti: *Quicumque enim in Christo baptisati estis, Christum induistis.* Gal. 3. hoc est, secundùm interpretationem sancti Chrysostomi in hunc locum, *eamdem formam, eamdem figuram habetis omnes, in illum per similitudinem transformati*; adeo ut ipse Christus cernatur in vultu, gestu, & toto habitu baptisatorum, qui idcirco dicuntur ab Apostolo, 1. ad Cor. cap. 6. templa & organa Spiritûs sancti. *An nescitis*, inquit, *quoniam membra vestra templum sunt Spiritûs sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo & non estis vestri?* Nempè pro libito utamini mente vestrâ, oculis, linguâ, &c. utpotè quæ sint membra Christi & organa Spiritûs sancti.

6o. Caracter est alter Baptismi effectus, quo baptisatus non solùm distinguitur à cæteris, sed etiam ornatur, tanquam Christi ferens insignia.

Superfluum videtur quidquam addere iis quæ de dispositionibus ad justificationem tradidimus, Tract. de grat. cùm vix à pluribus sæculis aliquando contingat adultos baptisari, nullaque dispositio ex dictis requiratur in parvulis. Nihilominus tom. 5. cap. 11. de Baptismo, exponendum duximus quomodo Cathecumeni ad Baptismum præpararentur, ut inde colligeret lector quæ sinceræ conversionis signa, quæ morum probatio, quæve pœnitentia & sanctioris vitæ propositum Baptismum adultorum præcedere debeant. Operæ pretium est ista consulere.

Caput IV.

De obligationibus baptisatorum.

Q. 10. *Contrahiturne aliqua obligatio per Baptismum?*

R. Contrahitur, & quidem maxima ex duplici capite repetenda. 1. Ex magnitudine donorum quæ in Baptiſmo collata ſunt, ait enim Dominus, Luc. 12. *Omni autem cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo, & cui commendaverunt multùm, plus petent ab eo.* 2o. Ex ſponſionibus in Baptiſmo factis, quas S. Thomas 2. Sec. quæſt. 87. art. 2. ad 1. vocat votum, & S. Auguſtinus Epiſt. 149. aliàs 59. votum maximum. Hinc Concilium VI. Pariſienſe IX. ſæculo, lib. 1. cap. 9, ſic habet; *Valdè periculoſum eſt, & à Religione Chriſtiana alienum, quòd poſt tanti doni perceptionem unuſquiſque fidelis, cùm ad intelligibilem ætatem venit, myſterium Baptiſmatis diſcere & intelligere negligit, atque eo intellecto, ſecundùm illud vivere non ſatagit. Quod periculum ad negligentiam pertinere Sacerdotum, qui illud* SOLERTER *debent annunciare, & ad auditorum incuriam, qui hoc & intelligere & adimplere parvi pendunt, nulli dubium eſt.*

2.o. *Quotuplex eſt votum Baptiſmi?*

R. Triplex: 1o. vovemus nos Chriſto perpetuò adhæſuros, & ejus Evangelium ſecuturos, tanquam morum noſtrorum & vitæ egendæ normam & regulam. 2o. Profitemur obedientiam Eccleſiæ & ejus Paſtoribus. 3o. Abrenunciamus iis omnibus quæ Chriſtianorum inſtituto ſunt diſſentanea.

Q. 3o. *Quare vovent initiandi ſe Chriſto & ejus Evangelio fore mancipatos?*

R. Quia Baptiſmus eſt ſolemnis profeſſio Religionis Chriſtianæ; ſicut ergo Apoſtolus ad Gal. 5. conteſtatur omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ, cùm circumciſio ſit publica Judaiſmi profeſſio; ita per Baptiſmum Chriſto nos mancipamus, & ejus legem, Evangelicam ſcilicet, amplectimur.

Q. 4o. *Quare in Baptiſmo profitemur obedientiam Eccleſiæ & ejus Paſtoribus?*

R. Quia per Baptiſmum adgeneramur membra corporis, ſcilicet Eccleſiæ, cujus Chriſtus caput

est, nec possumus inter ejus membra numerari, si ab illa nos regi non patimur. *Habere jam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem,* inquit S. Cyprianus lib. de unitate Ecclesiæ; *illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur.*

Q. 50. *Quibus renunciare coguntur initiandi?*

R. Tribus, nimirùm Satanæ, omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus.

Q. 60. *Mos ille fuitne semper & ubique observatus?*

R. Universalem esse testantur libri rituales tam Græcorum quàm Latinorum: antiquum verò omnium veterum scripta, ut S. Clementis Alexandrini, qui floruit secundo sæculo, lib. 1. pædag. cap. 6. Origenis olim Discipuli S. Clementis in Epist. ad Rom. Tertulliani, qui tertio sæculo sic scribit lib. de coronâ militis, cap. 3. *Aquam adituri contestamur nos renunciare Diabolo, & pompæ, & Angelis ejus.*

Q. 70. *Quis est prima abrenuntiationis sensus,* abrenuntio satanæ?

R. Una est sanctorum Patrum sententia, initiandum hâc voce profiteri se renunciare mundo & sæcularibus actibus: *Renunciasti diabolo, mundo & luxuriis ejus,* inquit S. Ambrosius lib. de initiandis, cap. 2. *Tenetur vox tua, non in tumulo mortuorum, sed in libro viventium.* Et S. Chrysostomus hom. 21. ad populum ait: *Vocis illius recorderis, quam dum sacris initiareris, emisisti,* abrenuntio tibi, Satana; *nam Satanæ adhæres, si sæculi moribus te conformes.*

Q. 80 *Quid intelligitur per illas voces,* abrenuncio omnibus operibus ejus?

Respondet S. Ephrem: *Paucis verbis cuncta quæ nominantur mala, quæque odit Deus, valere jubemur.* Peccata quippè sunt opera Diaboli, juxta illud 1. Joan. 3. v. 8. *Qui facit peccatum, ex Diabolo est. . . . In hoc apparuit filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli.*

Q. 99. *Quid tertiâ abrenuntiatione profitetur initiandus*, abrenuntio pompis ejus ?

R. Profitetur se abdicare mundanas superfluitates, seu rerum terrenarum immoderatos usus. Ita communiter SS. Patres, Cyprianus, Cyrillus Hierosol. Chrysostomus, Augustinus, Concilia, & ex iis Theologi. *Pompa Diaboli*, inquit Concilium Parisiense V I. *sunt spectacula, venationes, vestimentorum cultus, jactantia, fastus, ambitio, & superfluitas cujuslibet rei in humanis usibus, unde crescit elatio, qua multoties honestati adscribitur.*

Q. 100. *Baptisatus magisne peccat eodem genere peccati quàm non baptisatus?*

R. Affirmat sanctus Thomas in 4. distinct. 38. quæst. 1. art. 11. constatque ex Scripturâ, Heb. 11. v. 28. *Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur. Quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit* ? Hinc textum habes fusè expositum à SS. Patribus & Conciliis, tom. 5. cap. de Baptismo, pag. 267. & sequentibus.

TRACTATUS DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

CAPUT PRIMUM.

De nomine, essentia, & existentia Sacramenti Confirmationis.

Q. 101. *QUa sunt nomina Sacramenti Confirmationis?*

R. Vocatur

R. Vocatur 1°. manûs impositio, ut apud sanctum Augustinum lib. 2. de Baptismo, c. 16. *Per manes impositionem datur Spiritus sanctus.*

2°. Sacramentum Chrismatis ex eodem Sancto doctore, lib. 2. contra litteras Petiliani, cap. 104. *Sacramentum Chrismatis Sacro-sanctum est, sicut ipse Baptismus.*

3°. Sacrum unguentum, ut apud Græcos communiter.

4°. Signaculum, vel dominicum, ut apud S. Cyprianum, Epist. 73. vel spirituale, ut apud S. Ambrosium, lib. de initiandis, cap. 7. vel vitæ æternæ, ut apud sanctum Leonem, Serm. 4. de Nativitate.

5°. Chrisma vel supercœleste, can. 48. Concilii Laodiceni, vel salutis, cit. serm. 4. sancti Leonis.

6°. Perfectio, ut apud S. Ambrosium lib. 3. de Sacramentis, cap. 11. *Post fontem superest ut perfectio fiat, quia per illud Sacramentum perfectè efficiuntur Christiani*, inquit Guillelmus Autissiodorensis lib. 4. tract. 4. cap. 1. de Confirm.

7°. Apud Latinos Confirmatio simpliciter dicitur; *qui enim per Baptismum Christiani electi sunt*, inquit venerabilis Beda in Psalm. 27. *Mollitiem quamdam habent: à Chrismatis Sacramento adversùs omnes carnis, mundi, & Diaboli impetus robustiores fiunt, & eorum animus in fide confirmatur.* Atqui vel ex his nominibus refelluntur Pseudo-reformati, contendentes Apostolos manus impositionem, non ad gratiam sanctificantem conferendam, sed ad donum miraculorum impertiendum, & Ecclesiam retinuisse manûs impositionem, tanquam cæremoniam dumtaxat pertinentem ad solemnitatem Baptismi; namque Patres laudati distinguunt Confirmationem à Baptismo, voluntque esse signum, quo datur Spiritus sanctus, non quidem ad miracula patranda, cùm eorum ætate, Ecclesiâ jam confirmatâ, gratia miraculorum non conferretur, ut observat S. Augustinus tract. 6. in Epist. S. Joan.

Numquid modò, inquit, *quibus imponitur manus, ut accipiant Spiritum ſanctum, hoc expectatur ut linguis loquantur?... Si ergo per hæc miracula non fiat modò teſtimonium præſentiæ Spiritûs ſancti.... Unde cognoſcit quiſque accepiſſe ſe Spiritum ſanctum? interroget cor ſuum*, &c. Ergo manûs impoſitio eſt ſignum viſibile & efficax gratiæ ſanctificantis, ac proinde verum Sacramentum.

Q. 2°. *Quomodo definitur Confirmatio?*

R. Definitur, Sacramentum novæ Legis, quò baptiſatis confertur Spiritûs ſancti robur, tum ad firmiter credendum, tum ad fidem ipſam intrepidè confitendam.

Q. 3°. *Unde probatur Confirmationem eſſe Sacramentum novæ Legis à Chriſto inſtitutum?*

R. Ex Scriptura & traditione; ex Scripturâ quidem, Actuum enim 8. ſic legitur: *Cùm autem audiſſent Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, quòd recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Joannem, qui cùm veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum ſanctum... tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum*: In quem locum ſic ſcribit ſanctus Cyprianus Epiſt. 73. *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptiſantur, per præpoſitos Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem ac manûs impoſitionem, Spiritum ſanctum conſequantur.* Inſignis eſt iſte textus, ſicut & aliorum Patrum ſuprà laudatorum ad aſſerendam univerſalem Eccleſiæ Traditionem, quæ etiam nunc viget apud Græcos. Unde meritò Concilium Tridentinum, ſeſſ. 7. can. 1. de Confirmatione, Novatores negantes exiſtentiam Confirmationis anathemate percuſſit.

Q. 4°. *Quandonam Chriſtus inſtituit Sacramentum Confirmationis?*

R. Poſt Reſurrectionem, ut communiter docent Theologi.

Q. 5°. *Quænam eſt materia Sacramenti Confirmationis?*

R. Manûs impoſitio, Act. 8. *Tunc imponebant* (Apoſtoli) *manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.* Et hunc ritum Eccleſia hactenus retinuit, ut patet ex laudatis SS. Patrum textibus & ex omnibus libris Ritualibus.

Dices : Eccleſia orientalis à pluribus ſæculis abſque ulla manûs impoſitione Sacramentum Confirmationis adminiſtrat, non refragante Eccleſiâ Latina : ergo manûs impoſitio non eſt materia eſſentialis.

Nego antecedens ; tum quia Græci præmittunt orationem, manibus extenſis, ad confirmandos, per quam invocant Spiritum ſanctum ; tum quia ſi in illâ oratione nulla ſit hodie manuum extenſio, ſicut nullam præſcribunt recentiora eorum Eucologia, Chriſmatio non fit ſine manûs impoſitione. Frequenter enim apud veteres ungere & manus imponere idem ſunt : *Illa unctio*, inquit Beda in Pſalm. 26. *quæ per manûs impoſitionem fit, vulgò Confirmatio dicitur.* Amalarius lib. 1. de Officiis Eccleſiaſticis, c. 21. ſic habet : *Ut ab Epiſcopis ſolis inungantur per manûs impoſitionem, ab Apoſtolis aſſumptum eſt.* Ita Yvo Carnotenſis, ſerm. de veteri & novo Teſtamento, Hugo à ſancto Victore, Innocentius III. C. *Quanto*, tit. de conſuetudine.

Inſtas ; Eugenius IV. in Decreto pro Armenis docet loco manûs impoſitionis, per quam Apoſtoli dabant Spiritum ſanctum, in Eccleſiâ dari Confirmationem : ergo.

Nego conſequentiam ; ſenſus enim illorum verborum hic eſt, idem Sacramentum, quod in Scripturâ vocatur manûs impoſitio, nunc vocari Confirmationem.

Q. 60. *Quæ manûs impoſitio eſt eſſentialis materia hujus Sacramenti ? an illa quæ fit in ipſa Chriſmatione, an altera quæ præceſſit, cùm Epiſcopus invocat Spiritum ſanctum, manibus extenſis ſuper confirmandos.*

R. Discordant Theologi. Benemulti contendunt solam manuum extensionem esse materiam essentialem, & Chrismationem impropriè dici manûs impositionem. Contrà verò alii volunt nullam aliam requiri manûs impositionem, præter eam quæ fit in ipsa Chrismatione; alioqui nullum esset Sacramentum Confirmationis apud Græcos. Quidquid sit, stante illâ controversiâ, cautè observandum est ne cuiquam administretur illud Sacramentum sine utraque manûs impositione.

Q. 7°. *Manus impositio estne materia adæquata Confirmationis?*

R. Affirmant Sirmundus, Sanbovius, & alii, qui volunt Unctionem seu Chrismationem esse dumtaxat cæremoniam accidentalem, ut in Baptismo. Negat verò S. Thomas 3. part. quæst. 72. art. 2. ubi docet Chrismationem esse ex institutione Christi, & partialem materiam Confirmationis, quam sententiam communiter amplectuntur Theologi, & quidem meritò; quia, ut argumentatur S. Augustinus lib. 4. de Baptismo, c. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum est, nonnisi auctoritate apostolicâ sed semper retentum rectissimè creditur*; at traditum qui universalis Ecclesia à tempore Apostolorum hactenus adhibuit Chrismationem, non ut cæremoniam accidentalem, sed ut signum quo datur Spiritûs sanctus. *Ungi necesse est*, inquit S. Cyprianus Epist. 70. *eum qui baptisatus sit, ut accepto Chrismate, id est, Unctione, esse Unctus Dei, & habere in se... gratiam possit.* S. Cyrillus Jerosolymitanus, Catech. 3. ait, *Frons & alii sensus corporis tui symbolicè inunguntur, anima verò sancto vivificoque Spiritu sanctificatur.* Similiter loquuntur alii Patres, quorum testimonia attulimus Tom. 5. pag. 3. parag. 2. de Confirm. Ergo unctio seu Chrismatio est institutionis divinæ, & de integritate Sacramenti.

Dices: Apostoli per solam manûs impositionem confirmasse referuntur, Act. 8. & 19. ergo.

Respondet S. Thomas cit. quæst. 72. art. 2. ad primum, Apostolos aliquando absque usu Sacramenti dedisse plenitudinem Spiritûs sancti, *Utebantur tamen Apostoli communiter Chrismate in exhibitione Sacramenti, quando hujusmodi visibilia signa non exhibebantur.* Nec obstat quòd Scriptura nusquam meminerit unctionis; nam ex S. Augustino, lib. de fide & operibus, cap. 9. Scriptura multa tacet brevitatis gratiâ, quæ serie Traditionis constat ab Apostolis fuisse usurpata.

Q 8°. *Mixtio olei & balsami, ac utriusque Episcopalis benedictio suntne de necessitate Sacramenti?*

R. Cùm Ecclesia nihil definierit circa propositam quæstionem, Theologi in varias abeunt sententias. Qui asserunt unctionem esse ab Ecclesia institutam, uno ore concludunt nec mixtionem nec benedictionem pertinere ad substantiam Sacramenti.

Ex iis verò qui docent unctionem esse institutionis divinæ, alii, ut S. Thomas qu. 72. art. 2. & 3. contendunt mixtionem & benedictionem esse de necessitate Sacramenti, quia universalis Ecclesia Latina & Græca eas semper observavit. Alii contra sentiunt, nempe mixtionem illam & benedictionem esse ab Ecclesia institutas, & semper ubique frequentatas, sicut mixtionem aquæ cum vino in Calice, & benedictionem Fontis Baptismalis, quæ in omnium sententia sunt cæremoniæ accidentales; sic enim habet S. Basilius lib. de Spiritu sancto, cap. 27. *Benedicimus Baptismatis aquam & unctionis oleum.* Deinde Ecclesiæ variant circa mixtionem olei, Latina enim miscet Balsamum, Græca verò triginta quinque species aromatum. Satis ergo non est, inquiunt, ad astruendum ritum tanquam divinitùs institutum & pertinentem ad integritatem Sacramenti, quòd semper & ubique fuerit observatus; sed insuper necesse est ut ex Traditione constet ejusmodi ritum habere vim producenti gratiam ex opere operato; atqui illud non constat de mixtione & benedictione, de quibus agitur, sicut de ipsâ

Chrismatione. Quid autem observandum sit in hâc opinionum varietate, præscribit Innocentius III. cap. *Pastoralis*, tit. de non iterandis Sacramentis, ubi interrogatus de eo qui per errorem oleo simplici in fronte fuerat consignatus, sic respondet: *In talibus nihil est iterandum, sed cautè supplendum quod incautè fuerat prætermissum.*

Q. 9°. *Quæ est forma Sacramenti Confirmationis?*

R. Sunt verba quæ proferuntur in applicatione materiæ. Unde, si duplex sit materia hujus Sacramenti, nempe manuum extensio & Chrismatio, erit quoque duplex forma partialis, nempe oratio per quam Episcopus, manibus extensis, invocat Spiritum sanctum, & verba quæ profert in ipsa Chrismatione.

Caput II.

De Ministro & subjecto Confirmationis.

Q. 10. *Quis est Minister Confirmationis?*

R. De fide est solum Episcopum esse Ministrum ordinarium hujus Sacramenti; ita enim definiit Concilium Tridentinum sess. 7. can. 3. Præiverat Eugenius IV. in suo Decreto. Id autem constat tum ex Scripturatum ex traditione, Act. 8. mittuntur Petrus & Joannes, ut manus imponant iis quos Philippus baptisaverat: *quod nunc quoque apud nos geritur*, inquit S. Cyprianus Epist. 73. *ut qui in Ecclesia baptisentur, per præpositos Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem ac manûs impositionem Spiritum sanctum consequantur.* Et S. Chrysostomus, Hom. 18. in Act. *Igitu hoc erat in Apostolis singulare, unde & præcipuos & non alios videmus hoc facere.* Plura ex traditione retulimus Tom. 5. c. 4. de Confirm. ubi solvimus quamplurima quæ contra objiciunt Hæretici.

Q. 20. *Præsbyter potestne esse Minister extraordinarius Confirmationis?*

R. Affirmat S. Thomas cit. quæst. 72. art. 11. ad primum; & ratio est quia S. Gregorius l. 3. Ep. 26. concedit ministerium Confirmationis Presbyteris Calaritanis, juxta morem in illa Ecclesia receptum, & cùm mos ille à duodecim seculis vigeat apud Ecclesias Orientales, Ecclesia Romana nihilominus Græcos in suam communionem admisit in Concilio Florentino: non admisisset autem, si praxis illa esset contraria institutioni divinæ.

Q. 39. *Quodnam est subjectum Confirmationis?*

R. Omnes & soli baptisati. Soli quidem, quia caracter baptismalis, ex dictis, est moralis quædam potentia recipiendi alia Sacramenta. Unde C. *Si quis*, tit. de Presbytero non baptisato, præcipitur ut Presbyter ille accepto Baptismo iterum ordinetur. Omnes etiam baptisati sunt capaces hujus Sacramenti, si enim aliqui excluderentur, maximè parvuli; atqui universalis Ecclesia illos non excluſit, Latina quippe per plura sæcula parvulis unà cum Baptismo Confirmationem & Eucharistiam ministravit, atque etiam nunc Græca ministrat: ergo. Cur autem jam apud nos Sacramentum Confirmationis non conferatur nisi adultis, *vide* Tom. 5. c. 4. de Confirm. Censet tamen S. Thomas cit. quæst. 72. art. 8. hodiernum morem non obstare quominus hoc Sacramentum ministretur parvulis jamjam morituris, & Concilium Mediolanense V. concedit ut aliquando ex causa conferatur iis qui nondum septennium expleverunt.

Q. 40. *Sacramentum Confirmationis estne ad salutem necessarium?*

R. 10. Non est necessarium necessitate medii, *Alioquin*, inquit S. Hieronymus Dial. contra Lucif. *si ad Episcopi tantùm imprecationem Spiritus sanctus defluit; lugendi sunt qui in longè minoribus urbibus ante dormierunt quàm ab Episcopo visitarentur.* Et ratio est quia per Baptismum prorsus deletur reatus

culpæ & pœnæ, & initiatus regeneratur in Filium Dei, cui debetur hæreditas paterna.

R 20. Est necessarium necessitate præcepti divini, Luc. 24. *Sedete in civitate quoadusque induamini virtute ex alto*, quod non solùm Apostoli, sed omnes fideles, viri & mulieres sibi dictum intellexerunt, *Ungi quoque necesse est eum qui baptisatus sit*, inquit S. Cyprianus. Ep. 70. & Concilium Laodicenum Can. 48. *Oportet eos qui illuminantur, post Baptismum inungi super cœlesti Chrismate.* Canones pœnitentiales ad quintum Decalogi præceptum subjiciunt pœnitentiæ trium annorum parentes, quorum negligentiâ filius sine Sacramento Confirmationis decesserit. Unde Concilium IV. Mediolanense statuit quod, *si quis neglexerit* (Confirmationem) *canonicis subjaceat disciplinis.* Et Angelus à Clavasio, verbo *Confirmatio*, *contemnens* (id est negligens) *ipsum suscipere, peccat mortaliter; propterea credo quòd notabilis negligentia Episcoporum in non conferendo illud, sit eis peccatum mortale.*

Caput III.

De effectibus Sacramenti Confirmationis.

Q. 1°. *Quotuplex est Confirmationis effectus?*

R. Duplex: Primus est character indelebilis quo confirmatus distinguitur à baptisatis tanquam ætate provectus à parvulis: in Christo, inquit S. Thomas sæpiùs cit. quæst. 72. art. 5. ad primum, & consecratur in militem Christi, *insignitur signo Crucis*, ait idem angelicus Doctor art. 9. *sicut miles signo Ducis .... & ideo in fronte .... ut neque propter timorem, neque propter erubescentiam nomen Christi confiteri pratermittat.*

Secundus Confirmationis effectus est plenitudo Spiritûs sancti ad robur; *Signatur baptisatus in fronte per Pontificem*, inquit Rabanus lib. Instit. Cleric. cap. 31. *ut Spiritûs sancti septiformis gratia cum*

omni plenitudine ſanctitatis & ſcientiæ, & virtutis, venire in hominem declaretur. Et S. Thomas eadem quæſt. 72. art. 11. ad ſecundum: *Sacramentum Baptiſmi eſt efficacius ... quantùm ad remotionem mali ... hoc autem Sacramentum eſt efficacius ad proficiendum in bono, quia eſt quoddam ſpirituale augmentum de eſſe imperfecto ad eſſe perfectum.* Quod S. Doctor illuſtrat. art. 2. aptâ comparatione: quemadmodum, inquit, natura primò in infante tota eſt ut perficiatur in ſeipſo & quatenus eſt ſingulare ſpeciei humanæ individuum; cùm autem infantiæ metas exceſſit, tum eum perficit quatenus membrum ſocietatis, roburque ipſi confert, ut tanquam organum Reipublicæ inſerviat ad bonum commune promovendum. Sic gratia in Baptiſmo vires tribuit reſiſtendi propriis concupiſcentiis, & ſuæ ſaluti conſulendi; in Confirmatione verò roborat ad pugnam adversùs hoſtes viſibiles, mundum ſcilicet & ſæculi amatores; in mundo enim deridetur juſti ſimplicitas, ſtultitia videtur ſpernere honores & dignitates, ignavia irrogatas injurias non ulciſci. Dura ſanè ſunt hæc quotidiana certamina, ſed nemo ex confirmatis dicat, quia infirmus ſum; donum enim, quod in hoc Sacramento excepit, majus omnibus eſt. *Cruce ſignatur in fronte*, inquit ſanctus Auguſtinus, *quia eſt ſedes pudoris, ut compreſsâ viriliter omni erubeſcentiâ, glorietur pro Chriſto contumeliam pati.* Apoſtoli in figura linguæ igneæ repleti ſunt Spiritu ſancto, ut fidei Doctores; alii verò fideles in olei, ſymbolo quod fortitudinem deſignat, tanquam operationes eorum, inquit ſanctus Thomas cit. art. 2. ad primum, quæ pertinent ad ædificationem fidelium.

Q. 2°, *In quo conſiſtit illa plenitudo quæ per Confirmationem confertur ad robur ſpirituale?*

R. In duobus conſiſtit. 1°. In uberiore gratia ſanctificante. 2°. In auxiliis ſupernaturalibus in uberiore illa gratia fundatis, & tempore opportuno

concedendis, nempè cùm instabit pugna seu tentatio. Sunt autem illa auxilia sanctæ cogitationes & piæ motiones, quibus accenditur animus ad contemnenda erronea hominum judicia, derisiones & impotentes iras. Ex dictis colliget lector quæ sint confirmatorum obligationes.

Caput IV.

De dispositionibus ad Sacramentum Confirmationis requisitis.

Q. 1°. *Quæ dispositiones requiruntur ad dignam Sacramenti Confirmationis perceptionem?*

R. 1°. Requiritur status gratiæ sanctificantis, quia ex S. Thomâ, cit. quæst. 7. art. 7. sicut hoc Sacramentum præsupponit Baptismum, ita & ejus effectum, ut liquet vel ex ejus nomine; Confirmatio enim dicitur, quia est ad confirmandum perficiendumque quod in Baptismo peractum est.

Sed cùm ex præsenti Ecclesiæ disciplina Confirmatio ad ætatem adultam differatur, manifestè sequitur Ecclesiam præter statum gratiæ sanctificantis alia exigere ab adultis consignandis. Quæ verò sunt illa?

R. 2°. Tria imprimis in adultis consignandis requiruntur.

Primum est notitia satis explicata tum Mysteriorum fidei, tum evangelicæ Regulæ, secundùm quam Christianorum mores efformandi sunt, ac præsertim quæ pertinent ad Baptismum & Confirmationem; cùm enim fidelis per hoc Sacramentum perficiatur, ut implere possit quæ in Baptismo professus est, quomodo censebitur paratus ad illa præstanda, si ea ignoret?

Secundum est accurata vitæ post Baptismum exactæ discussio, ut si ad ea quibus in Baptismo

renuntiaverat, rediisse deprehendatur, eluat lacrymis & pœnitentiæ exercitationibus; aliàs non seriò, sed fictè hîc testaretur se confirmare quæ in Baptismo professus est, si ipsum non pœnitet ea hactenus non servasse ut oportet; quid enim est Confirmatio, nisi solemnis professio servandi ea quæ in Baptismo peracta sunt.

Tertium est perseverantia per aliquot dies in oratione & meditatione præsertim hujus Mysterii. Hoc diligentiæ & pietatis exercitium ipsemet Dominus præscripsit Apostolis donum Spiritûs sancti recepturis, Luc. 24. v. 49. satis ei non fuit quòd justi essent, quòd per 40. dies à Resurrectione eos docuisset de regno Dei; sed ab Ascensione usque ad Pentecosten in cœnaculo inclusos detinuit orationi vacantes, ut dicitur Act. 1. *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Mariâ Matre* JESU: Hæc est forma secundùm quam fideles ac Sacramentum Confirmationis disponi oportet.

Ex his patet Catecheses Confirmationis non esse differendas ad tempus quo Episcopus Parœciam lustratus est, quia rudiores mentes multitudine eorum quæ angusto temporis intervallo discenda sunt obruuntur.

Quod autem objiciunt Pastores nonnulli, Parochianos oblivisci quæ diù ante Episcopi adventum didicêre, contra eos retorqueri debet, nempe post Episcopi discessum eâdem facilitate oblituros, sicque futurum iri ut nullam tanti Sacramenti notitiam conservent, magnusque sit ob ex eorum ignorantia gratiis actualibus seu auxiliis, quibus Sacramenta suscepta solent operari. Porrò hujusmodi malis non occurret Pastor, nisi per frequentes de Baptismo & Confirmatione Catecheses seu Conciones.

Hæc pastoralis sollicitudo non solùm necessaria est Neophytis, sed etiam jam confirmatis, 1o. ne obliviscantur quæ semel didicerunt: 2o. ut ad vocem Pastoris recolentes quanta Deus beneficia per

illa duo Sacramenta contulerit, in gratiarum actione permaneant.

3°. Ut commoveantur & incitentur ad servandum pactum cum Deo initum, & devitanda ea quibus solemniter abrenunciarunt.

TRACTATUS DE EUCHARISTIA.

Præmittuntur & elucidantur nonnulla quæstiones.

Q. 1°. *Quotuplici modo spectanda est Eucharistia?*

R. Duplici, scilicet quatenus est Sacramentum, & quatenus est Sacrificium; Concilium enim Tridentinum definiit Eucharistiam esse unum è Sacramentis novæ Legis, sess. 7. can. 1. & esse verum & propriè dictum Sacrificium, sess. 22. Can. 1.

Q. 2°. *Unde habemus Eucharistiam esse Sacramentum propriè dictum?*

R. Ex Scriptura, namque ad Sacramentum propriè dictum tria ex dictis requiruntur: 1°. Ut sit signum sensibile divinitùs institutum. 2°. Ut promissio gratiæ sit ejusmodi signo annexa. 3°. Ut existat mandatum divinum ejusdem signi observandi. Atqui ex Scriptura hæc tria conveniunt Eucharistiæ. 1°. Est signum sensibile divinitus institutum in pane & vino, Matth. 26. *Accepit* Jesus *panem, &c.* 2°. Promittitur gratia observantibus hoc signum, Joan. 6. *Qui manducat hunc panem vivet in æternum.* 3°. Extat mandatum divinum utendi hoc signo, Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.*

Q. 30. *Quomodo probatur Eucharistiam esse Sacrificium propriè dictum?*

R. Probatur; quia ad Sacrificium tria etiam requiruntur. 1o. Minister legitimus. 2o. Oblatio rei sensibilis. 3o. Aliqua rei oblatæ seu victimæ destructio ad recognoscendum supremum Dei dominium in omnes creaturas; unde Sacrificium propriè dictum definitur, oblatio rei sensibilis facta à legitimo Ministro ad recognoscendum supremum ejus dominium in omnes creaturas. Atqui tria hæc Eucharistiæ perfectè conveniunt, namque 1o. Christus principalis offerens, est Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, Psalm. 109. *Qui in cœna novissima, quâ nocte tradebatur*, inquit Concilium Tridentinum, sess. 22. cap. 1. *ut dilecta sponsa sua Ecclesia visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium, quo cruentum illud semel in Cruce peragendum repræsentaretur... Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum Symbolis Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat ut sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerent, præcepit per hæc verba, hoc facite in meam commemorationem.*

2o. In Eucharistiâ fit oblatio rei sensibilis, nempè Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini, ut constat ex Traditione: *Quid magis Sacerdos Dei summi*, inquit S. Cyprianus Ep. 63. *quàm Dominus noster* Jesus-Christus, *qui Sacrificium Deo Patri obtulit? & obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est panem & vinum, suum scilicet Corpus & Sanguinem.* Idem tradit S. Augustinus lib. 1. contra adversarium legis, cap. 1. *Noverunt*, inquit, *qui legerunt, quid protulerit Melchisedech; vident nunc tale sacrificium offerri Deo toto orbe terrarum.* Et

ante S. Augustinum, Eusebius Cæsariensis, qui fedit in Concilio Nicæno anno 325. lib. demonstr. Evang. cap. 3. sic habet: *Quemadmodum ille* (Melchisedech) *qui Sacerdos gentium erat, nusquam videtur Sacrificiis corporalibus functus, sed vino solùm & pane, dum ipsi Abrahæ benedixit, ita primus Salvator, deinde qui ab eo profecti sunt Sacerdotes, in omnibus gentibus spirituale Sacerdotii munus obeuntes, vino ac pane Corporis illius, ac salutaris Sanguinis Mysteria repræsentant.* Eadem docet S. Hieronymus Ep. 26. additque hanc fuisse sententiam Martyris Hyppolyti, sancti Irænei, qui erant temporibus Apostolorum vicini. Omitto posteriores Patres, qui constanter asserunt Christum in Eucharistia offerri per ministerium Sacerdotum sub speciebus panis & vini, quibus moraliter & in signo fit sensibilis.

30. In Eucharistia reperitur immolatio seu victimæ destructio, quæ vel fit mysticè, ut dicetur ubi de Sacrificio, vel jam in Cruce realiter facta supponitur; ad rationem enim veri Sacrificii necesse non est ut oblatio & mactatio fiant eodem temporis instanti, sed satis est ut moraliter sint conjunctæ. Patet ex Sacrificiis Aaronicis, in quibus oblatio aliquando immolationem tempore præcedebat, ut videre est in Sacrificio hirci qui priùs offerebatur vivens, tum emittebatur in desertum ibi periturus, Levit 16. aliquando verò sequebatur; victimæ enim sanguis extra Sanctuarium fundebatur, quem colligens Pontifex deferebat in Sancta Sanctorum, illum ibidem oblaturus. Similiter Christus summus Sacerdos novi Testamenti secundùm ordinem Melchisedech, in novissima cœna seipsum priùs Deo Patri obtulit sub speciebus pani & vini, quàm in Cruce immolaretur, ut observavimus ex Concilio Tridentino. Cùm autem maneat Sacerdos in æternum, Heb. 7. post Passionem suam immolatum, jam seipsum in æternum offert, tum in cœlo, quò ingressus est in proprio

sanguine, quemadmodum Pontifex Hebræorum in figura, in Sanctuarium ingrediebatur in sanguine alieno, Heb. 9. tum in terris per ministerium Sacerdotum; & ita sacrificium Crucis & sacrificium altaris est unum & idem sacrificium, *solâ offerendi ratione diversâ*, inquit Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 2. in Cruce enim Christus seipsum obtulit in propria specie & modo cruento, in altari verò quotidiè se offert incruentè & in specie aliena, scilicet panis & vini: *Passio Domini, sacrificium quod offerimus*, inquit S. Cyprianus Epist. 63. Similia habet S. Chrysostomus, Homil. 17. in Epist. ad Hebr.

Ergo illud discrimen est Sacramentum inter & Sacrificium, quòd Sacramentum dicat ordinem ad nos, Sacrificium verò ad Deum; Sacramentum sit signum efficax ordinatum ad sanctificandos homines, Sacrificium verò sit oblatio Deo facta.

Dices: Repugnat unum & idem esse Sacramentum & Sacrificium, quæ enim sunt diversæ naturæ & habent diversas definitiones non possunt esse unum & idem, ut homo & arbor: atqui Sacramentum & Sacrificium sunt diversæ naturæ, habentque diversas definitiones: ergo.

Nego primam propositionem, cujus confirmationis majorem distinguo: quæ sunt diversæ naturæ totalis, & habent diversas definitiones totales, non possunt esse unum & idem, ut homo & arbor, concedo: quæ sunt diversæ naturæ partialis, & habent diversas definitiones partiales, non possunt esse unum & idem, nego majorem; nam animal & rationale, quæ sunt naturæ partiales habentque diversas definitiones, sunt unum & idem in homine; porrò in Eucharistia Sacrificium & Sacramentum sunt duæ veluti partes metaphysicæ, ex quibus exurgit unum Mysterium.

Cùm autem plura occurrant dicenda de Eucharistia separatim spectata, vel ut Sacramentum, vel ut Sacrificium, ne Lectores permisceant quæ sunt

ſeparanda, operæ pretium eſt huncce Tractatum in duas partes dividere. In prima parte dicemus de Sacramento, in altera de Sacrificio.

PRIMA PARS DE EUCHARISTIA

quatenùs eſt Sacramentum.

Caput Primum.

De ejus notione.

Q. 1°. *Utuplici modo ſpectari poteſt Euchariſtia quatenus eſt Sacramentum?*

R. Duplici, nempè in fieri & in facto eſſe.

Q. 2°. *Quid eſt Sacramentum Euchariſtiæ in fieri?*

R. Eſt conſecratio ſeu converſio panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti Domini, remanentibus ſpeciebus ad ſpiritualem fidelium refectionem.

Q. 3°. *Quid eſt Sacramentum Euchariſtiæ in facto eſſe?*

R. Eſt Corpus & Sanguis Chriſti Domini ſub ſpeciebus panis & vini, ad ſpiritualem fidelium refectionem; & hoc poſteriori modo communiter accipitur Sacramentum Euchariſtiæ. Quare.

Definitur, Sacramentum novæ Legis, continens realiter Corpus & Sanguinem Chriſti Domini ſub ſpeciebus panis & vini, ad ſpiritualem fidelium refectionem.

Q. 4°. *Eſtne admittenda duplex illa acceptio Sacramenti Euchariſtiæ?*

Negant Pseudo-reformati, contenduntque Eucharistiam non esse Sacramentum nisi in fieri seu in usu, & in actuali manducatione, in qua per fidem Corpus Christi, secundùm Lutheranos, realiter suscipitur; secundùm Calvinianos verò virtus dumtaxat Corporis Christi; ita ut quemadmodum aqua baptismalis ante & post ablutionem actualem non est Sacramentum, sed nuda & profana aqua; sic ante & post peractam cœnam, panis nihil sanctitatis habeat propter quam adorari possit. Hinc Calviniani, qui negant præsentiam realem, cum Lutheranis, qui eam cum Catholicis admittunt, ideo societatem inire se posse existimant nullo autem modo cum Catholicis; quia Lutherani non credunt Christum post consecrationem permanenter existere sub speciebus panis & vini, quemadmodum Catholici, qui in hac fide Christum in Eucharistia adorant, propterea que iidem Calviniani Catholicorum cœtus uti idololatricos abhorrent. Hunc autem errorem Concilium Tridentinum, sess. 13. Can. 4. anathemate percussit. Quare.

R. De fide est Eucharistiam esse Sacramentum non solùm in fieri, sed etiam in facto esse, hoc est, Christum peractâ consecratione esse realiter præsentem ante & post actualem communionem; namque, Matth. 26. in ultima cœnâ dixit Corpus suum & Sanguinem esse quod præ manibus habebat, & nondum sumpserant Apostoli. Unde S. Augustinus Concione in Psalm. 33. sic scribit: *Manibus suis nemo portatur .... in Christo autem invenimus* (illud;) *ferebatur enim in manibus suis, quando commendans ipsum corpus, ait: Hoc est Corpus meum; ferebat enim manibus suis illud Corpus.* Quæ verba manifestè denotant Eucharistiam non esse meram figuram aut aliquam virtutem Corporis Christi, cùm quivis naturaliter possit ferre figuram aut virtutem, aut etiam aliquam partem Corporis sui, putà digitum abscissum. Et in Psalm. 98.

teſtatur omnium Catholicorum fuiſſe morem adorandi Chriſtum in Euchariſtia, & grande flagitium exiſtimat eum in Sacramento non adorare: *Nemo*, inquit, *carnem illam manducat, niſi priùs adoraverit.* Deinde primis ſæculis, Euchariſtia ad abſentes deferebatur, ex S. Juſtino, Iræneo, Innocentio I. & Fideles tempore perſecutionis eam domum deferebant, ex Tertulliano, ſancto Cypriano, & aliis; quod Calvinus ipſe non diffitetur lib. 4. Inſtitut. cap. 17. paragr. 29. ergo Euchariſtia eſt Sacramentum permanens.

Caput II.

De Euchariſtia ſpectata ut eſt Sacramentum in fieri.

Q. 10. *Quanam eſt materia Euchariſtiæ?*

R. Panis triticeus, & vinum de vite, quia in iis Chriſtus in ultima cœna conſecravit, præcepitque ut Apoſtoli & eorum in Sacerdotio ſucceſſores idem obſervarent, *Hoc facite*, inquit, *in meam commemorationem.*

Vino admiſcetur modiciſſima aqua, ut ſignificetur unio fidelium cum Chriſto in hoc Myſterio, in quo cum ipſo offerunt & offeruntur, ex S. Cypriano Epiſt. 63. Hanc autem mixtionem non eſſe ex neceſſitate Sacramenti, aut præcepti divini, ſed ex Eccleſiæ præcepto, docet Concilium Tridentinum, ſeſſ. 22. cap. 7.

Non refert panis ſitne fermentatus aut azymus, uterque enim eſt verus panis; unde Græci validè conſecrant in fermentato, & Latini in azymo; ſed quiſque Sacerdos debet ſequi morem ſuæ Eccleſiæ, ex Concilio Florentino. Azymus tamen panis eſt convenientior materiæ Euchariſtiæ, quia Chriſtus conſecravit in azymo, ſcilicet die primâ azymorum, quando Judæi Paſcha immolabant,

Marc. 14. v. 12. quo tempore eis non licebat uti pane fermentato, nec etiam in domibus suis servare.

Dices: Christus ante diem festum Paschæ ultimam cœnam instituit, Joan. 13. v. 1. ergo non consecravit primâ die azymorum.

Distinguo anteced. ante diem Paschæ naturalem, concedo; legalem, nego anteced. Dies naturalis numeratur à media nocte ad aliam mediam noctem; legalis verò incipit vespere diei præcedentis, & desinit vespere subsequentis, *à vespera usque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra*, Levit. 23. v. 32.

Naturalis ergo dies prima azymorum erat decima quinta Lunæ, & initium ducebat à media nocte, ut habetur Levit. 23 v. 6. *Quintâ-decimâ die mensis hujus solemnitas Azymorum Domini est.* Eadem verò dies legalis incipiebat die decimâ-quartâ ad vesperam, quâ Christus Dominus novum Pascha, vetere expleto, instituit, *Primo mense, quartâ-decimâ mensis ad vesperam, comedetis azyma usque ad diem vicesimam primam ejusdem mensis ad vesperam*, Exod. 12. v. 18.

Instas: Judæi *non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*, Joan. 18. v. 28. atqui Christus pridie comederat Pascha: ergo ante diem azymorum etiam legalem novissimam cœnam instituit.

Distinguo majorem, ut comederent Pascha, id est, victimas quæ per septem dies Azymorum offerebantur, concedo: ut comederent agnum Paschalem, qui primâ die legali Azymorum mactabatur, nego majorem; nam ex S. Chrysostomo, Hom. 84. in Matth. *Ipsa nocte in qua comederunt Pascha, tantâ insaniâ tantoque furore agitabantur*, nempe ut manus in Christum injicerent. Igitur victimæ quæ per singulos dies Azymorum immolabantur, dici solebant Pascha, ut patet cap. 16. Deut. in quo sic legitur, *immolabis.... Phase Domino Deo tuo de ovibus & de bobus tuis.* Et 2. Paralip. 25. *Dederunt*

Sacerdotibus ad faciendum Phase pecora commixtim duo millia sexcenta, & boves trecentos.

Q. 28. *Eucharistia sub duabus speciebus consecrata estne duplex Sacramentum?*

R. Minimè, quia ambæ illæ species sunt unum signum totale unius & ejusdem refectionis spiritualis, ad quam ex institutione Christi ordinantur: ergo sunt unum Sacramentum.

Q. 30. *Quanam est forma Eucharistiæ in fieri?*

R. Sunt verba Christi Domini, *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, Matth. 26. vel, *Hic est Calix novum Testamentum in Sanguine meo, qui pro vobis fundetur*, Luc. 22. Ita Eugenius IV. in suo Decreto: *Forma*, inquit, *hujus Sacramenti, sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit Sacramentum.* Non ait, *confecit*, sed *conficit* etiam hodie, quia ipse est Sacerdos & hostia. Idem tradiderunt SS. Patres, ut Irenæus, lib. 5. cap. 2. ubi sic scribit, *Panis & vinum percipientia verbum Dei, fiunt Eucharistia, &c.* & S. Ambrosius, lib. de initiandis, cap. 9. *Sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur.*

Q. 4°. *Singulæ voces suntne de essentiâ formæ?*

R. Certum est has esse necessarias necessitate Sacramenti: *Hoc est Corpus meum*: *Hic est Sanguis meus*, vel, *Hic est Calix Sanguinis mei*; quia vel unâ detractâ, corrumpitur sensus propositionum, ut mox patebit. Particulæ autem *enim*, quæ in nostra Liturgia additur formæ panis, non est necessaria nisi necessitate præcepti.

Difficultas est solùm circa formam Calicis utrum præter laudata verba, cætera quæ vel in Scriptura leguntur: *Novi Testamenti qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, vel ex traditione habentur, scilicet *æterni*, *Mysterium fidei*, sint de essentia formæ. Affirmant Thomistæ, & ex iis Catechismus Romanus; quia sicut in Baptismo, licèt satis exprimatur effectus Sacramenti per hæc

verba, *Ego te baptiso*, addendum tamen est ad veritatem Sacramenti, *In nomine Patris, &c.* quia baptismus est solemnis professio Religionis christianæ, cujus primarium objectum est Mysterium sanctissimæ Trinitatis; ita Eucharistia, cùm sit expressa commemoratio Passionis Christi Domini, laudata verba quæ illam exprimunt, necessariò proferenda sunt. Communior tamen sententia est ejusmodi voces necessariò non pertinere ad essentiam formæ.

Q. 5o. *Quid, si illæ voces mutarentur in alias, si v. g. pro corpore diceretur* caro; *loco pronominis* hoc *pronuntiaretur* istud, illud, *vel adverbialiter* hîc, *seu* ibi est Corpus meum, *& loco* meum *diceretur* Christi?

R. Integra esset forma, si loco pronominis *hoc* diceretur *istud*, quia *hoc* & *istud* idem & eodem modo significant, demonstrantque rem sensibiliter præsentem. Sed irrita esset forma, si diceretur 1o. *Caro*; quia caro minus significat quàm corpus; corpus quippè est aliquod totum integrale ex carne, ossibus, nervis, &c. 2o. Si diceretur *illud*; quia hoc pronomen æquè significat rem absentem ac præsentem. 3o. Si diceretur *ubi*, vel *hic*; quia adverbia illa non significant conversionem panis in Corpus Christi, aut vini in Sanguinem; remanente enim substantiâ panis & vini, ut contendunt Lutherani, vera esset propositio, *ibi est Corpus meum*, falsa verò esset in eâdem hypothesi hæc propositio, *Hoc est Corpus meum*, panis quippè non est Corpus Christi. 4o. Si loco *meum* diceretur *Christi*; quia in ista propositione, *Hoc est Corpus Christi*, non exhibetur Christus sacrificium offerens, sed ejus Minister.

Q. 6o. *Quid significat pronomen* hoc?

R. Significat Corpus Christi, non quidem determinatè & distinctè, aliàs propositio esset nugatoria; sed indeterminatè & confusè tantùm, adeo ut sensus sit, hoc contentum substantiale est Corpus meum; quemadmodum in hac propositione, hoc quod movetur est lepus, pronomen enim *hoc* nihil

aliud significat quàm leporem, sed confusè & indeterminatè : determinatur autem per ultimum verbum propositionis.

Dices : Si pronomen *hoc* significaret confusè Corpus Christi, falsa esset propositio ; dum enim pronunciatur, nondum Corpus Christi existit præsens, sed sola panis substantia : ergo pronomen *hoc* nec distinctè, nec confusè demonstrat Corpus Christi.

Distinguo anteced. Propositio esset falsa, si speculativè enunciaretur, concedo ; si practicè, ut reverà enuntiatur, nego antecedens. Propositio speculativa enunciat objectum, quod esse supponit, ut videre est in ista propositione, *Hoc quod movetur est lepus*, in qua supponitur aliquod animal moveri, & affirmatur illud animal esse leporem. Propositio vero practica non supponit objectum, sed facit, ideoque suspensus est ejus sensus usque ad ultimæ syllabæ pronunciationem, in qua solummodò potest esse vera aut falsa ; v. g. vera est isthæc propositio practica, *Ego fileo*, non quidem dum loquor, sed cùm desino loqui. Similiter quamvis sit adhuc sensibiliter præsens panis initio hujus propositionis, *Hoc est Corpus meum*, pronomen tamen *hoc* non demonstrat panem, quia propositio est practica, & qui eam profert intendit significare & significando efficere, ut hoc sit Corpus Christi, quod verum est, sed non ante absolutam propositionem.

Q. 7°. *Quo sensu accipi debet verbum substantivum* est *in hac propositione*, Hoc est Corpus meum ?

Zuinglius & Calviniani communiter contendunt accipiendum in sensu metaphorico pro verbo *significat*, adeo ut sensus propositionis sit, hoc est signum sive figura corporis mei. Quòd si ab eis quæras quo nitantur testimonio Scripturæ, cui unicè abhærendum docent, respondent hancce interpretationem colligi ex Exod. cap. 12. ubi de Agno Paschali dicitur, *Phase est, id est transitus Domini* ; Agnus enim Paschalis non est transitus Domi-

nì, ſed illum ſignificat. Item Joan. 15. *Ego ſum vitis vera*, non in proprietate, ſed in ſigno & figura. Et Matth. 11. de Joanne Baptiſta ait Chriſtus, *Ipſe eſt Elias*; non in ſenſu proprio, ſed metaphorico: ergo ſimiliter, inquiunt, iſta propoſitio, *Hoc eſt Corpus meum*, metaphoricè enunciatur, ſignificatque ſolùm panem eſſe ſignum & figuram Corporis Chriſti. Sed ut recta ſit iſta concluſio, ſtatuere oportet verbum ſubſtantivum *eſt* in Scripturis ſemper accipi metaphoricè pro *ſignificat*: nam ex propoſitionibus ſingularibus nihil concludi poteſt; atqui falſiſſimum eſt verbum ſubſtantivum in Scripturis ſemper accipi pro verbo *ſignificat*; quis enim aſſerat metaphoricè dici, Deus eſt omnipotens, Chriſtus eſt filius Dei, eſt filius David, eſt filius hominis, paſſus eſt, mortuus eſt: ergo Novatores hâc ſuâ argumentandi ratione, dubium, ſi quod eſſet circa propoſitionem de quâ agitur, non ſolvunt, ſed augent & confirmant.

At Catholici perſpicuè demonſtrant verbum ſubſtantivum *eſt* in hac propoſitione, *Hoc eſt Corpus meum*, non ſumi in ſenſu metaphorico pro *ſignificat*; namque metaphora non poteſt eſſe continua, non ſolùm apud eumdem Scriptorem ſacrum, ſed apud omnes, quamvis ſcripſerint diverſis temporibus & variis occaſionibus; quæ ſæpiùs exigunt, ut mutetur modus loquendi. Quis poſſit cogitare vel audeat dicere quatuor Evangeliſtas & Apoſtolum Paulum numquam Euchariſtiam proprio nomine appellaſſe, ſcilicet figuram Corporis Chriſti in ſententia adverſariorum, licèt de ea ſermonem ſæpiùs habuerint, ſed conſtanter uſos verbis metaphoricis? Non auſus eſt ipſe Lutherus, quamvis in Epiſtola ad Argentinenſes teſtatus ſit ſe id ardenter exoptaſſe; *Verùm*, inquit, *me captum vidi, nullâ elabendi viâ relictâ, Textus Evangelii nimis apertus eſt.* Quare ad propoſitam quæſtionem.

R. De fide eſt verbum ſubſtantivum ſumi hîc in ſenſu proprio & naturali; ita definiit Concilium

Tridentinum, sess. 13. can. 1. & constanter intellexerunt SS. Patres. *De veritate Carnis & Sanguinis non est relictus ambigendi locus*, inquit S. Hilarius lib. 8. de Trinitate, post medium, additque per Sacramentum Eucharistiæ Christum nobis carnaliter, corporaliter & inseparabiliter uniri. Idem habet sanctus Cyrillus Hierosolymitanus, Cathec. 4. his verbis: *Cùm ipse de pane pronunciaverit, hoc est Corpus meum, quis audebit deinceps ambigere? ... Cum omni certitudine ea tanquam Corpus & Sanguinem sumamus, etiam gustus panem esse sentiat... Tametsi sensui gustus vinum esse videatur.* S. Gregorius Nycenus, Orat. Cathec. cap. 37. ait Corpus Christi in nostrum ingredi, & panem per verbum Christi in Corpus ejus converti, quemadmodum panis, quem Christus in cibum sumebat, transmutabatur in substantiam ejus, efficiebaturque Corpus Verbi. S. Chrysostomus, Hom. 46. in Joan. *Non modò secundùm charitatem* inquit, *sed etiam ipsâ re unum corpus cum Christo efficimur ... id quippe fit per cibum, quem largitus est.* Et infrà, *Id quod est in Calice, est id quod fluxit ex latere, & illius sumus participes.* S. Cyrillus Alexandrinus, lib. 10 in Joan. sic scribit: *Considerandum est non habitudine tantùm, quæ per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse, sed & per participationem naturæ*; supra dixerat, *secundùm carnem.* S. Augustinus asserebat supra neminem posse se portare in manibus eo modo quo Christus in novissima Cœna se portavit nec quemquam accipere panem Eucharisticum, quin illum priùs adoraverit, & quidem eâ adoratione quæ soli Deo debetur; atqui nemo est qui propriis manibus corporis sui figuram aut virtutem ferre non possit; nulla figura nullaque virtus creata sine grandi flagitio adorari potest cultu supremo: ergo.

Dices: Credere Christum carnem propriam dedisse manducandam, est error Capharnaïtarum, quem ipse correxit, Joan. 6. v. 4. his verbis: *Spiritus*

tus est qui vivificat, caro non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt: quod expendens S. Augustinus in Psalm. 98. sic habet: *Non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis & bibituri illum Sanguinem quem fusuri sunt qui me crucifigent, Sacramentum aliquod vobis commendari*: ergo.

Nego anteced. In eo quippe errarunt Capharnaïtæ, quod existimarent carnem Christi dentibus esse comminuendam, & in substantiam corporis nostri convertendam; quam carnalem cogitationem Dominus amputat laudatis verbis: *Caro* (scilicet mortua) *non prodest quidquam: verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt*, id est, intelligenda de manducatione Sacramentali & spirituali. Sed ne videamur nostra proferre, audiamus S. Augustinum, tract. 27. in Joan. ubi sic habet: *Caro non prodest quidquam, quomodo illi* (Capharnaïtæ) *intellexerunt carnem; quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. Proinde sic dictum est, Caro non prodest quidquam, quomodo dictum est, scientia inflat.... Et quid est, scientia inflat? sola sine charitate ... adde ergo scientiæ charitatem, & utilis erit scientia non per se, sed per charitatem. Sic etiamnunc caro non prodest quidquam, sed sola caro: accedat spiritus ad carnem, & prodest plurimùm; nam si caro nihil prodesset, verbum caro non fieret.* Quid clarius? quid expressius?

At, inquies, ex S. Augustino, Apostoli non hoc corpus quod videbant, manducaturi erant, nec bibituri illum sanguinem quem fusuri erant Judæi.

Distinguo; non hoc corpus in eadem forma & specie visibili, concedo: non hoc corpus in eadem substantia & natura, quamvis in forma spirituali & per se invisibili, sub signis tamen visibilibus, nego. Hoc sensu dixit Apostolus 1. Cor. 16. Corpus quod sepelitur, idem & non idem resurrecturum,

idem in ſubſtantia, non idem in accidentibus, *ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale.*

Q. 8°. *Neceſſumne eſt ad veritatem formæ ut tota ſubſtantia panis & vini convertatur in corpus & ſanguinem Chriſti?*

R. Affirmant Patres Tridentini, ſeſſ. 13. c. 4. idque ſemper perſuaſum fuiſſe in Eccleſia Dei, quod demonſtravimus tom. 5. cap. 14. tract. de Euchariſtia. Quin ipſe Calvinus in refutatione conſenſûs Orthodoxorum ſcribit, quòd retento proprio & naturali ſenſu verborum Chriſti, quemadmodum Lutherani retinent, tolerabilior ſit doctrina Papiſtarum, ut loquitur, malletque eam amplecti quàm Lutheranorum opinionem. Et ratio eſt quia pronomen *hoc* vel *hic* adjectivè, eſt demonſtrativum ſubſtantiæ ſenſibiliter præſentis: atqui in hypotheſi quòd panis & vinum remaneant, ut contendunt Lutherani, ſubſtantia ſenſibiliter præſens eſt ſubſtantia panis & vini; ergo ea ſola demonſtratur. Porrò falſum eſt panem eſſe Corpus Chriſti, & vinum eſſe ejus Sanguinem: ergo neceſſum eſt ad veritatem verborum Chriſti, *hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, ut tota ſubſtantia panis & vini convertatur in Corpus & Sanguinem Chriſti, quod fide divinâ credendum definiit Concilium Tridentinum, ſeſſ. 13. can. 2. in quo inſeruit *mirabilem illam & ſingularem converſionem, aptiſſimè tranſſubſtantiationem* ab Eccleſia appellatam. Præiverat Concilium Lateranenſe quartum, anno 1215. cap. *Firmiter.*

Dices 1°. vera eſt iſta propoſitio de dolio vini, *hoc eſt vinum*, etiamſi ſubſtantia dolii remaneat ſenſibiliter præſens: ergo & iſta, *hoc eſt Corpus meum*, modò Corpus Chriſti in ſubſtantia panis deliteſcat, ſicut vinum in dolio.

Nego conſequentiam & paritatem. Ratio diſparitatis eſt quòd dolium ſe habeat per modum vaſis vinum continentis: ex communi autem hominum uſu non attenditur continens, ſed contentum; unde ſi quis ferens lagenam vino plenam

quærenti à se quid præ manibus habeat, responderet lagenam, ejus responsio non esset seria nec ad mentem interrogantis. At panis aut vinum non est vas institutum ad continendum aliud, ideoque falsa esset ista enunciatio de pane, in quo nummus occultaretur, *hoc est nummus.*

Instas; sancti Patres, ut Ambrosius, Gregorius Nyssenus, Joannes Damascenus, docent panem in corpus Christi converti quomodo aqua in nuptiis Cana conversa est in vinum, & alimenta transmutantur in carnem comedentis.: atqui in ejusmodi conversionibus materia remanet, solaque forma convertitur; nihilominus tamen verum fuit dicere post aquæ conversionem in nuptiis Cana factam, *hoc est vinum*, & rectè de alimentis in carnem conversis diceretur, *hoc est caro*; ergo à pari vera erit ista propositio, *hoc est Corpus meum*, etiamsi remaneat tota panis materia, solaque ejus forma convertatur in formam corporis Christi. Ita docuit Durandus 14. sæculo, sed dubitanter, *salvo tamen*, inquit, *meliori judicio.*

Distinguo majorem: laudati Patres in exemplum attulerunt conversionem aquæ in vinum & alimentorum in carnem, ut simpliciter probarent Eucharistiam non esse meram figuram, sed panem per meram conversionem fieri substantialiter corpus Christi, concedo: ut probarent conversionem illam fieri eo omni modo quo aqua olim conversa est in vinum, & alimenta quotidie transmutantur in carnem comedentis, nego majorem: namque ex iisdem Patribus corpus Christi in Eucharistia est ipsum quod natum ex Maria Virgine, quod affixum est cruci, in Sacramento extitit modo spirituali & invisibili, non palpatur, non frangitur, nec dentibus comminuitur; atqui si forma corporis Christi, scilicet anima rationalis, uniretur materiæ panis tanquam proprio corpori, corpus Christi in Eucharistiâ non esset natum ex Mariâ Virgine, nec cruci affixum, videretur, palpa-

retur, frangeretur, dentibus comminueretur, ſpecies quæ poſt conſecrationem remanent, eſſent, accidentia corporis Chriſti, ipſique tanquam ſubjecto extenſo inhærerent; quæ omnia longè ſunt abſurdiſſima, aliena à mente SS. Patrum & contraria definitioni Concilii Tridentini. Unde Bellarminus ſententiam Durandi hæreticam pronunciat.

Dices 20. ex ſpeciebus Euchariſticis generantur vermes: atqui generatio illa fieri nequit niſi ex præjacente materia, alioquin eſſet creatio, materia autem illa non eſt materia Corporis Chriſti, cùm illud ſit incorruptibile; ergo eſt materia panis.

Conceſsâ majore, ad minorem alii aliter reſpondent. S. Thomas 3. part. quæſt. 77. art. 5. reſpondet quantitatem ſupplere vicem materiæ, & vi miraculi vermes, pulverem, cinerem ex ea generari. Alii dicunt novam creari materiam, quam opinionem ſuſtineri poſſe admittit angelicus Doctor. Alii opinantur ex aëre circumſtante fieri novam illam generationem, quod abſolutè improbat idem ſanctus Doctor.

Q. 90. *Totus Chriſtus poniturne ſub qualibet ſpecie per verba Conſecrationis?*

R. De fide quidem eſt totum Chriſtum contineri ſub qualibet ſpecie; ita enim definiit Concilium Tridentinum, ſeſſ. 13. can. 3. quia Chriſtus Joan. 6. ait *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me.* Non dixit *Corpus meum, ſed me*: Chriſtus autem eſt totum conſtans ex duabus naturis & perſonalitate divinâ, & integer accipitur, ex ſancto Hieronymo contra Jovinianum; omnium manibus pertractatur, ex ſancto Chryſoſtomo lib. 3. de Sacerdotio; ab omnibus adoratur priuſquam accipiatur, ex ſancto Auguſtino in Pſalm. 98. Atqui nec caro, nec ſanguis ejus ſine divinitate adoraretur, ſed iſta non colliguntur ex verbis Conſecrationis. Verba enim ſeu formæ Sacramentorum in tantùm operantur in quantùm ſignificant; atqui iſta verba, *Hoc eſt Corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*, ſignificant

tantùm, priora quidem corpus, posteriora verò sanguinem : ergo per se ponunt solummodò corpus sub specie panis, posteriora verò sub specie vini, sed vi naturalis connexionis & concomitantiæ, quâ partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non ampliùs moriturus, inter se copulantur, corpus sub specie vini, & sanguis sub specie panis, & anima sub utraque sicut & divinitas propter hypostaticam unionem ponuntur. Ita Concilium Tridentinum cit. sess. cap. 3. unde colligunt Theologi quòd si in triduo mortis consecrassent Apostoli, corpus fuisset sub specie panis, sine anima & sanguine, & sanguis sub specie vini, sine corpore & anima, cùm tunc temporis ista non essent connexa, sed separata. Secùs dicendum de divinitate, quæ corpori etiam mortuo, sicut sanguine effuso fuit semper conjuncta.

Caput III.

De Eucharistia spectata in facto esse.

Q. 1o. *Eucharistia in facto estne Sacramentum proprie dictum?*

R. Affirmativè; quia est signum sacrum visibile & permanens, divinitùs institutum ad nostram sanctificationem.

Dices; Sacramenta novæ Legis constant ex rebus tanquam materiâ, & verbis tanquam formâ: atqui Eucharistia in facto esse non constat verbis, ergo.

Distinguo majorem: Sacramenta in fieri, concedo; in facto esse, nego majorem: Eugenius enim IV. in suo Decreto non dixit, omnia Sacramenta tribus constant, sed tribus perficiuntur. Pro materia autem Eucharistiæ in facto esse Theologi communiter assignant species; pro forma verò corpus & sanguinem Christi, quia species sunt pars minùs nobilis, de-

terminanturque ad significandam nutritionem spiritualem per corpus & animam Christi, quemadmodum aqua in Baptismo determinatur per formam ad significandam gratiam regenerativam.

Q. 20. *Quot sunt distinguenda circa Eucharistiam in facto esse spectatam?*

R. Tria: 1o. id quod est Sacramentum tantùm; 2o. quod est res Sacramenti, & Sacramentum simul; 3o. quod est res Sacramenti tantùm.

Sacramentum tantùm est quod significat nec significatur, ut species panis & vini, quæ sunt merum signum Corporis & Sanguinis Christi.

Res Sacramenti & Sacramentum simul est quod significatur & significat, ut Corpus & Sanguis Christi, quæ significantur per species, & significant gratiam sanctificantem.

Res Sacramenti tantùm, quod significatur nec significat, ut gratia Sacramenti, quæ significatur per species & per Corpus ac Sanguinem Christi, & ipsa nihil significat præterea.

Triplex illæ Eucharistiæ respectus imprimis est observandus propter varias tùm veterum, tum recentiorum loquendi rationes de Eucharistia, quandoque enim scribunt esse signum seu figuram Corporis Christi: Sacramentum istud figuratè & metaphoricè dici Corpus Christi. Item peccatores non recipere rem Sacramenti, sed Sacramentum solùm. Quæ omnia verissima sunt, si Eucharistia inadæquatè spectetur, namque sub primo respectu est signum seu figura, quia ut sic significat tantùm; significat, inquam, sed rem præsentem & latentem, nempè Corpus & Sanguinem Christi, quemadmodum forma exterior hominis & figura cujuslibet rei, quas Philosophi numerant inter substantiæ accidentia, ab ipsa non separantur. Apud Catholicos mos etiamnum viget appellandi Eucharistiam Sacramentum Corporis Christi. Quid est autem Sacramentum, nisi signum sacrum? Nam ex sancto Augustino, signa cùm ad res sacras transferuntur,

Sacramenta dici solent, sed signum aliud est vacuum, aliud plenum, ut species Eucharistiæ, quæ continent quod significant.

Sub primo etiam illo respectu Sacramentum Corporis Christi, figuratè & metaphoricè ex sancto Augustino dicitur Corpus Christi, quia signa sæpè usurpantur pro re significata: quemadmodùm, inquit sanctus Doctor, dies Dominica dicitur dies Resurrectionis Dominicæ, quia celebratur in signum Resurrectionis, & Baptismus appellatur fides, quia est signum fidei, sed signum efficax & conjunctum cum re significata.

Sub tertio respectu peccatores non recipiunt rem Sacramenti, nempe gratiam, quæ est res tantùm, sed recipiunt quod est res & Sacramentum simul, scilicet corpus Domini; alioquin quomodo staret illud Apostoli 1. Cor. 11. *Qui manducat & bibit indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.*

Q. 30. *Estne de Fide Christum totum contineri in qualibet parte Hostia seu Calicis?*

R. De fide est totum contineri, factâ divisione, ita enim definiit Concilium Tridentinum, sess. 13. can. 3. habeturque tum ex Scripturâ, Luc. 22. *Dividite inter vos*; tum ex Ecclesiæ traditione, quæ peractâ consecratione, eumdem panem frangere consuevit pluribus distribuendum, sicut & eumdem calicem adstantibus porrigere.

Dixi, *factâ divisione*, nam Concilium non attigit quæstionem utrùm Christus totus contineretur in qualibet parte Hostiæ integræ & Calicis, quamvis Theologi communiter ita affirment, cùm per fractionem aut divisionem non fiat nova consecratio, quæ Christum sistat præsentem ubi non erat.

Caput IV.

De Ministro & subjecto Eucharistiæ.

Q. 1°. *Quis est Minister Eucharistiæ?*

R. 1°. De Fide est solum Sacerdotem esse Ministrum Eucharistiæ conficiendæ. Sic definiit Concilium Lateranense IV. can. *Firmiter*, & Tridentinum, sess. 22. can. 2. Constat enim ex universalis Ecclesiæ traditione Christum Sacerdotes novi Testamenti instituisse per hæc verba, Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, eaque dirigi ad solos Apostolos eorumque in Sacerdotio successores. *Hilarius Sardus*, inquit sanctus Hieronymus Dial. contra Lucif. *Cùm Diaconus de Ecclesia recesserit. ... neque Eucharistiam conficere potest.*

R. 2°. Eucharistiæ dispensandæ Minister ordinarius solus est Sacerdos, illius enim est Sacramenta ministrare, cujus est ea conficere: extraordinarius verò Diaconus. *Diaconus*, inquit Concilium IV. Carthaginense, can. 38. *Præsente Presbytero, Eucharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget*: ergo non erogat propriâ auctoritate, sed ex jussione Presbyteri, in casu necessitatis solummodò, ac proinde non est Minister ordinarius, sed extraordinarius tantùm, ut diximus de Baptismo.

Q. 2°. *Quodnam est subjectum capax Eucharistiæ recipiendæ?*

R. Omnis & solus homo baptisatus & viator est capax hujus Sacramenti; fructus verò illius, non nisi qui accedit dispositus.

Dixi 1°. *Omnis baptisatus*, sive vir sive mulier, quia character baptismalis se habet per modum potentiæ passivæ ad recipienda alia Sacramenta. Ergo infantes sunt capaces hujus Sacramenti, illisque Ecclesia ministravit per 12. sæcula; sed propter gravia

incommoda mutavit disciplinam, ut diximus tom. 5. tract. de Eucharistia, cap. 18. Idem de amentibus à nativitate dicendum quod de infantibus. Quid verò de semifatuis & de mutis ac surdis, exposuimus cit. cap. 18.

Dixi 2o. *Solus*, quia non baptisatus, etiamsi sit Cathecumenus, caret potentiâ ex institutione Dei necessariò prærequisitâ ad suscipienda alia Sacramenta, reciperet quidem Corpus Christi, sed materialiter tantùm, quemadmodum in pixide recipitur.

Dixi 3o. *Viator*, quia Sacramenta non nisi pro viatoribus instituta sunt; undè Eucharistia vocatur viaticum, id est viatorum cibus.

Dixi 4o. *Sacramenti*, non verò fructûs Sacramenti, quia ex dicendis soli justi sunt illius capaces.

Dices: Eucharistia datur per modum cibi spiritualis; atqui peccatores non sunt capaces cibi spiritualis, sunt enim mortui: cadavera autem cibum nec accipere possunt, nec edere, ut dicitur in Concilio Carthaginensi III. cap. 6. ergo.

Distinguo minorem: non sunt capaces cibi spiritualis cum fructu recipiendi, concedo: sine fructu recipiendi, nego minorem; peccatum enim lethale non ita dicitur mors animæ, ut nihil in ea vitale relinquat, quemadmodum mors naturalis prorsus extinguit vitam animalem; fides quippè, spes & caracter baptismalis remanent in peccatore.

Caput V.

De effectibus Sacramenti Eucharistiæ & de dispositionibus ad illud requisitis.

Q. 1o. *Quot sunt effectus Sacramenti Eucharistiæ?*

R. Quatuor. Primus est augmentum gratiæ sanctificantis; secundus remissio peccatorum venialium; tertius perseverantia in bono; quartus gaudium

ſpirituale, quia Sacramenta novæ legis efficiunt quod ſignificant: ergo Sacramentum Euchariſtiæ, cùm detur per modum cibi & potûs ſpiritualis, eadem operatur in anima, quæ cibus materialis in corpore. *Conſequens eſt*, inquit Eugenius IV. in ſuo decreto, *quod per hoc Sacramentum in ſumentibus dignè gratia augeatur, omnemque effectum quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt corporalem, ſuſtentando, augendo, reparando & delectando: Sacramentum hoc quoad vitam operetur ſpiritualem.* Itaque cibus materialis 1o. auget corporis vires, eique incrementum tribuit, quamdiù comedens virilem & perfectam ætatem non attigit. 2o. Vires per laborem & calorem naturalem deperditas reparat. 3o. Vitam conſervat. 4o. Delectat, & cum voluptate à bene valentibus percipitur. Similiter Sacramentum Euchariſtiæ.

1o. Tribuit augmentum gratiæ ſanctificantis, quâ homo fit ſanctior, & ad implenda quæ Dei ſunt promptior ac vegetior, *ſicut miſit me vivens pater, & ego vivo propter patrem*, ait Chriſtus, Joan. 6. v. 58. *& qui manducat me*, ET IPSE VIVET PROPTER ME.

2o. Delet peccata venialia, quibus remittitur charitatis fervor, in quo conſiſtit robur animæ. *Iſte panis quotidie ſumitur in remedium quotidianæ infirmitatis*, inquit S. Ambroſius ſive quivis auctor operis de Sacramentis, lib. 5. cap. 4. & Patres Tridentini ſeſſ. 13. cap. 2. *Sumi autem voluit* (Chriſtus) *Sacramentum hoc ..... tanquam antidotum quo liberemur à culpis quotidianis.*

3o Euchariſtia conſervat vitam ſpiritualem, juvatque ad perſeverandum in bono, *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, Joan. 6. & ſanctus Bernardus, Serm. in cœna: *Duo*, inquit, *operatur in nobis Sacramentum Dominici Corporis, ut ſcilicet minuat ſenſum in minimis, & in gravioribus peccatis conſenſum omninò tollat.* Illud experiuntur qui frequenter cum debitis diſpoſitionibus ad ſacram

Mensam accedunt, nempè vitam ducunt absque conscientia gravioris culpæ, quam vulgò non vitant, qui rarò ad divinum illud antidotum recurrunt.

40. In hoc Sacramento gustatur quàm suavis sit Dominus. *In hoc Sacramento*, inquit Clemens v. in Concilio Viennensi, *habetur omne delectamentum, & omnis saporis suavitas, ipsaque dulcedo Domini degustatur.*

Q. 20. *Quæ dispositiones in adultis requiruntur ad Eucharistiam dignè & cum fructu recipiendam?*

R. Aliæ spectant animam, aliæ corpus.

Q. 30. *Quæ dispositiones requiruntur ex parte animæ.*

R. Eædem quæ in corpore requiruntur ad capiendum cibum materialem, dispositiones enim respondere debent fini Sacramenti, & signo sub quo operatur. Cùm autem Sacramentum Eucharistiæ sit institutum ad spiritualem animarum nutritionem, & accipiatur per modum cibi spiritualis, sequitur in anima communicantis easdem requiri dispositiones quas in corpore exigit cibus materialis. Atqui tria sunt necessaria, ut quis cibo materiali reficiatur. 10. Debet esse vivens. 20. Sanus, alimenta enim sunt noxia febre laborantibus. 40. Quietus, quia labor distrahit spiritus vitales ad nutritionem necessarios. Similiter ad dignam Eucharistiæ perceptionem triplex dispositio in communicante exigitur.

Prima est gratia sanctificans, in qua consistit vita spiritualis. Ita Concilium Tridentinum, sess. 13. cap. 2. *Sumi voluit* (Christus) *Sacramentum hoc tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur* VIVENTES VITA ILLIUS. Et cap. 7. *Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum*, probet seipsum homo, *Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.* Quin communis est Theologorum

sententia, eum qui recordatur se in confessione sacramentali inculpatè omisisse aliquod peccatum lethale, teneri adire Confessarium, priusquam ad Eucharistiam accedat. Quòd si quis invincibiliter ignorans se reum peccati lethalis bonâ fide & devotè communicet, de eo sic pronunciat sanctus Thomas 3. part. quæst. 79 art. 3. *fortè primò non fuit sufficienter contritus, sed devotè ac reverenter accedens consequitur gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet & remissionem peccati.* Sed quæstio est an effectus ille sit ex opere operato, an ex opere operantis. Affirmant sanctus Antonius, Durandus, Soto, Sylvius: negant verò S. Bonaventura, Gabriel, Major, & alii quamplurimi, quia Sacramenta non efficiunt id quod non significant; atqui Eucharistia non significat remissionem peccati mortalis, cùm detur per modum cibi & potûs, qui sanè non significant resurrectionem à morte peccati, sed solùm nutritionem, quæ supponit hominem vivum: ergo nisi iis de quo est sermo, ad præsentiam Corporis Christi eliciat actum contritionis perfectæ, à peccato lethali non mundabitur per Eucharistiæ perceptionem.

Secunda dispositio est immunitas ab effectu ad peccata venialia; cibus enim solidus, nedum reficit febrientes, quin illis noxius est: febris autem animæ, inquit sanctus Ambrosius in cap. 4. Luc. avaritia est, libido est, ambitio est, iracundia est. Præterea quamvis peccata venialia non sint obex gratiæ sanctificanti, communicans tamen, nisi eorum affectum deponat per veram pœnitentiam eorum remissionem non consequetur, nec alios Sacramenti effectus, nimirum vires animæ deperditas per concupiscentiæ ardorem non reparabit, non fiet expeditior & promptior ad currendam viam mandatorum Dei; peccata enim venialia directè pugnant contra fervorem charitatis, teporem immittunt, rerumque spiritualium fastidium pariunt.

Tertia dispositio est singularis reverentia quæ ex attentione & ex actuali devotione exurgit; *Nemo*

inquit sanctus Chrysostomus, homil. de non contemnendis Ecclesiæ mysteriis, *animo resoluto sacras illas & mysticas laudes ineat; nemo rerum ac humana vita concilia illo tempore volutet: sed omni terrenâ sorde animo pulsâ, in cœlum quisque se transferat, utpotè qui propinquiùs solio Dei cum Seraphinis volitet.*

Q. 4°. *Qua dispositio ex parte corporis requiritur?*

R. Præcepto ecclesiastico requiritur jejunium naturale, quibusdam casibus exceptis, *placuit Spiritui sancto*, inquit sanctus Augustinus, Epist. 54. aliàs 118. *ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani priùs Dominicum corpus intraret quàm exteri cibi, nam ideo per universum orbem mos iste servatur.*

Dixi 1°. *Præcepto ecclesiastico*, quia ex sancto Augustino, cit. Epist. (Dominus) *ideo non præcepit quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum; nam hoc ille monuisset, ut post cibos alios semper acciperetur, credo quòd eum morem nemo variasset.*

Dixi 2°. *Jejunium naturale*: quo excluditur quidquid per modum cibi aut potûs in stomachum trajicitur à media nocte per primum horologii pulsum designata, sive illud nutriat, sive non nutriat, ut medicina, nummus, charta, &c. quæ solvunt jejunium naturale, non ecclesiasticum. Quæ verò per modum salivæ aut respirationis in stomachum decidunt, ut sanguis, pituita è cerebro, reliquiæ vini & aquæ, quibus os abluitur, vel cibi in ore fortuitò remanentes, floccus nivis vel culex, jejunio naturali non adversantur. Secùs dicendum de saccaro, & aliis ejusmodi, quæ, si post mediam noctem liquefacta in stomachum defluant, communionem debent impedire, cùm non sumantur per modum salivæ aut respirationis.

Dixi 3°. *Quibusdam casibus exceptis*: namque 1°. Eucharistia periculosè decumbentibus ministranda est, potestque sæpiùs ministrari, si infir-

mitas sit diuturnior, quando jejuni sine gravi incommodo eam recipere non possunt. 2o. Quando celebrans loco vini incautè aquam hausit, aut ipsi deficienti post consecrationem, non potest substitui alius Sacerdos nisi pransus, aut reliquiæ consecratæ post ablutionem sumendæ sunt, quod ad formulas integras extendendum est, ubi servari non possunt, in ejusmodi casibus jejunium ad communionem non requiritur.

Concilia, Patres, & ex iis S. Thomas 3. part. quæst. 80. art. 7. ad communionem requirunt sensus quietos & liberos ab illa perturbatione quæ sequitur ex quibusdam actibus sive licitis sive illicitis : *Ex quadam congruentia impedit evagatio mentis, quæ sequitur pollutionem nocturnam, præcipuè quando cum turpi imaginatione contingit*, inquit angelicus Doctor. Et in 4. distinct. 9. art. 4. *Non esset consulendum alicui, quòd statim post peccatum mortale etiam contritus & confessus ad Eucharistiam accederet*, quoniam ista mentem deprimunt, distrahunt, tolluntque attentionem & devotionem. Idem dicendum de crapula ex hesterno cibo venialiter immoderato, inde enim prægravatur animus & difficiliùs ad supernaturalia assurgit.

Caput VI.

De necessitate Sacramenti Eucharistiæ.

Q. 1o. *Estne necessaria Eucharistiæ perceptio?*

R. Adversùs Græcos Schismaticos non est necessitate medii, quia illud Sacramentum absolutè non est necessarium necessitate medii, sine quo fideles à peccatis abluuntur, sanctificantur, efficiunturque membra Ecclesiæ; atqui fideles per Baptismum, & sine Sacramento Eucharistiæ hæc beneficia consequuntur, ut patet vel ex parvulis post Baptismum decendentibus, de quibus sic scri-

bit sanctus Augustinus, lib. de Dono perseverantiæ cap. 12. *Absit ut causam parvulorum sic relinquamus, ut esse nobis dicamus incertum utrùm in Christo regenerati, si moriantur parvuli, transeant in æternam salutem* : ergo.

Dices : Christus de Eucharistia eodem modo loquitur quo de Baptismo & Pœnitentia ; de Baptismo quidem sic ait, Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* : de Pœnitentia item, Luc. 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis.* Similiter de Eucharistia, Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Atqui priora verba innuunt Baptismum & Pœnitentiam esse necessaria necessitate medii : ergo & posteriora eamdem necessitatem Eucharistiæ exprimunt.

Distinguo majorem ; iisdem verbis diverso sensu intelligendis, concedo : eodem sensu intelligendis, nego majorem ; namque eadem verba pro varietate materiæ variam intelligentiam exigunt. Quis enim v. g. ex his Christi verbis, Joan. 13. *Si non lavero te, non habebis partem mecum*, colliget lotionem pedum esse necessariam necessitate medii, sicut Baptismum & Pœnitentiam ? Cur autem non colligitur illa necessitas, nisi quia lotio pedum non remittit peccata lethalia, non confert primam gratiam? Ergo cùm Eucharistia non sit instituta ad delendum peccatum mortale, nec ad conferendam primam gratiam, sed solùm ad eam augendam & perficiendam, necessariò concluditur eam non esse absolutè necessariam necessitate medii.

Dixi *absolutè*, nam ex dictis, adulti sine frequentiori usu tanti Sacramenti difficiliùs in gratia accepta perseverant.

Instas : sanctus Augustinus, lib. 1. de pec. mer. cap. 20. Innocentius 1. Epist. ad Patres Concilii Milevitani inter Augustinianas 182. aliàs 93. Gelasius, summus Pontifex, Ep. 7. scribunt parvulos,

nisi manducaverint carnem filii hominis, vitam æternam consequi non posse; *Neminem videmus exceptum*, inquit Gelasius, *nec aliquis ausus est dicere parvulum sine hoc Sacramento salutari ad vitam æternam posse perduci*: ergo.

Distinguo anteced. parvuli nondum baptisati vitam æternam consequi non possunt sine Eucharistiæ perceptione spirituali, & in voto implicito seu interpretativo, quod intelligitur in ipsa susceptione Baptismi, concedo: parvuli jam baptisati vitam æternam consequi non possunt sine actuali Eucharistiæ perceptione, nego ant. Ita sanctus Fulgentius in Ep. ad Ferrandum interpretatus est sanctum Augustinum, ac consequenter laudatos summos Pontifices; suadeturque ejusmodi interpretatio tum ex verbis citatis lib. de Dono perseverantiæ, tum ex scopo laudatorum Patrum; nimirum pugnant adversùs Pelagianos, qui negabant peccatum originale, atque ut eluderent Textum sancti Joannis, *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, respondebant excludi à regno Dei non esse pœnam inflictam propter aliquod peccatum, sed meram privationem alicujus eximii doni in gratiam solius Baptismi conferendi; neque propterea parvulos non baptisatos fore miseros utpotè qui habituri essent vitam æternam, quam Hæretici illi distinguebant à regno Dei. Hinc laudati Patres evincunt ex cap. 6. Joan. parvulos sine Baptismo decedentes nequidem habituros vitam æternam; verba enim Christi Domini, *nisi manducaveritis*, &c. neminem excipiunt, ac proinde parvulos qui decedunt sine Baptismo, fore miseros, quod supponit in eis peccatum. Per Baptismum autem spiritualiter manducant carnem Christi & corporis ejus fiunt participes, quatenùs fiunt membra Ecclesiæ, quæ est corpus ejus.

R. 2°. Eucharistia est necessaria necessitate præcepti tum divini, Joan. 6. *nisi manducaveritis*,

&c. tum ecclesiastici, ex can. *omnis utriusque sexûs*, qui est Concilii Lateranensis IV. & confirmatus à Concilio Tridentino, sess. 13. can. 9.

Q. 2°. *Satisfitne præcepto communionis annuæ per communionem sacrilegam?*

R. Communiter affirmarunt moderni Casuistæ, sed eorum doctrinam proscripsit Innocentius XI. uti scandalosam anno 1679. & Clerus Gallicanus, anno 1700. tanquam erroneam, impietati & sacrilegio faventem, & præcepto Ecclesiæ illudentem.

Q. 3°. *Eucharistia estne ab omnibus adultis recipienda sub utraque specie ex præcepto divino?*

R. Minimè; *si quis dixerit*, ait Concilium Tridentinum, sess. 21. can. 1. *ex Dei præcepto, vel necessitate salutis omnes & singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, anathema sit.* Constat autem Concilii definitio tum ex Scripturâ, quæ vitam promittit unam speciem panis sumentibus, *qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, Joan. 6. tum ex Traditione Ecclesiæ, quæ semper ad meram disciplinam retulit Eucharistiæ dispensationem sub una vel duabus speciebus. Primis enim sæculis, Eucharistia in specie panis domum deferebatur, ut observavimus cap. 1. Infirmis ministrabatur aliquando sub solâ specie panis, ex Eusebio, lib. 6. histor. cap. 44. aliquando sub solâ specie vini ex Concilio Toletano XI. can. 11. *quia*, inquit, *solent tanto siccitatis pondere deprimi, ut nullis ciborum illationibus possint reficí.* Apud Latinos ex more perantiquo, Sacerdos die Veneris sanctâ communicat ex præsanctificatis in sola panis specie; apud Græcos verò singulis diebus Quadragesimæ, solis exceptis Sabbatis & Dominicis diebus. Nunc quidem intengunt panem consecratum in speciebus vini, sed supponunt ignem sacro disco, ut nihil humoris remaneat. S. Hieronymus Ep. 22. meminit quarumdam Virgi-

num, quæ ita erant abſtemiæ, ut in ipſis myſteriis ſpeciem vini non ſumerent. Quin ipſimet Novatores à Calice eximunt abſtemios, & alios qui ægrè ferunt labia admovere ad calicem halitibus & ſordibus vilium hominum infectum.

Objiciunt tamen Novatores illud, Joan. 6. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, &c.* ſed malâ fide, cùm adversùs Catholicos contendant eò loci ſermonem non eſſe de Sacramento Euchariſtiæ, ſed de ſola fide in Chriſtum. Deinde cùm ſub qualibet ſpecie totus Chriſtus contineatur, fideles ſumendo ſpeciem panis, manducant Chriſti carnem, & bibunt ejus ſanguinem; in ſpiritualibus enim idem eſt manducare & bibere, juxta illud Matth. 5. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam.*

Inſtant: Chriſtus, Matth. 26. porrigens Calicem Apoſtolis ait, *Bibite ex hoc omnes.* Unde Calvinus: *En*, inquit, *edictum æterni Regis*: ergo.

Nego conſeq. quia etſi verba non ſint invitantis ſolùm, ſed etiam præcipientis, conſtat ex Traditione ea dirigi ad ſolos Apoſtolos & ad eorum in Sacerdotio ſucceſſores, qui utramque ſpeciem in Sacrificio adhibere debent & ſumere.

SECUNDA PARS.
DE MISSÆ SACRIFICIO.

Caput primum.

De Missæ notione.

Q. 1°. *Unde Missæ nomen?*

R. A verbo *mitto*, sive quia Christus nobis est hostia missa à Deo, sive quia Celebrans preces per Angelum mittit ad Deum sicut adstantes per Sacerdotem. Ita sanctus Thomas, quæst. 83. art. 4. ad nonum, sive quia, peracto sacrificio, populus dimittitur per hæc verba, *Ite, Missa est.*

Frustrà Novatores à nobis quærunt in quo scripturæ loco nomen illud, *Missa*, reperiatur, cùm nec ipsi nomen, *consubstantiale*, in scripturis reperiant, satisque sit rem nomine significatam haberi in scripturis.

Q. 2°. *Quid significatur nomine Missæ.*

R. Oblatio Deo facta Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini.

Q. 3°. *In quo scripturæ loco reperitur illa Missæ significatio?*

R. Reperitur Matth. 26. & Luc. 22. ubi Christus postquàm benedixit panem & gratias egit, sic alloquitur Apostolos: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur* ... non ait; *vobis datur*, sed *pro vobis datur*, id est, Deo Patri offertur. Similiter & de Calice dixit: *Hic est Calix, novum Testa-*

mentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur, vel *funditur*, ut in textu Græco, & apud Mattheum, *pro multis effundetur*. Pro vobis nunc funditur, pro multis verò in cruce effundetur. Sic Apoſtolus 1. Cor. 10. citatos textus intellexit: *Calix benedictionis*, inquit, *cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?* Ibi opponit Apoſtolus altare & ſacrificium Chriſtianorum altari & ſacrificio Gentilium; *Quæ immolant gentes*, inquit, *Dæmoniis immolant & non Deo... non poteſtis menſæ Domini participes eſſe & menſæ Dæmoniorum.* Menſa Dæmoniorum hîc eſt altare propriè dictum, ſicut immolatio Dæmoniis ſacrificium: ergo & menſa Domini eſt verum altare, & Calix in ea oblatus verum ſacrificium. Illud autem ſacrificium Chriſtus Dominus in ultima cœna obtulit *pro ineffabili arcanoque Sacrificii modo præoccupat impetum violentum, ac ſeſe oblationem & victimam offert pro nobis, Sacerdos ſimul & Agnus Dei.... cùm Corpus ſuum ad comedendum & ſanguinem bibendum familiaribus præbuit*, inquit S. Gregorius Nyſſenus Orat. 1. de Reſurrect. & S. Chryſoſtomus Hom. 24. in 1. ad Cor. pro brutorum cæde ſeipſum offerendum præcipit. Plura vide tom. 5. cap. 4. de Sacrificio Miſſæ.

Confirmatur: Chriſtus eſt Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech, ergo debuit offerre Sacrificium ritu Melchiſedech; Sacerdotium enim eſſentialiter ordinatur ad Sacrificium: *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis*, Heb. 5. Atqui Sacrificium Melchiſedech eſt in pane & vino, Gen. 14. ergo Chriſtus verum Sacrificium obtulit in pane & vino. *Rex Salem Sacerdos Dei altiſſimi*, inquit ſanctus Clemens Alexandrinus, Auctor ſecundi ſæculi, lib. 4. Strom. circa finem. *Vinum & panem ſanctificatum dedit nutrimentum in typum Euchariſtiæ.*

Quid sit Sacrificium propriè dictum, quomodò differat à Sacramento, & quatenus ejus definitio conveniat Eucharistiæ, exposuimus initio hujus Tractatûs.

Q. 4°. *Necessumne est ut in vera Religione existat Sacrificium propriè dictum?*

R. Affirmativè, efficaciterque probat sanctus Thomas secundâ Secundæ, quæst. 85. art. 1. quia ratio naturalis dictat ut homo exteriùs testetur suam subjectionem & reverentiam erga suum dominum; unde in omni Republica specialis honos exterior supremo Principi ità determinatus est, ut nulli alteri absque crimine læsæ Majestatis exhiberi possit. Ergo cùm Religio ad hoc sit instituta ut cultus Deo debitus reddatur, necesse est ut in omni Religione reperiatur Sacrificium propriè dictum, utpotè unicus exterioris latriæ cultus. *In qualibet ætate*, inquit angelicus Doctor, *& apud quaslibet hominum nationes semper fuit aliqua Sacrificiorum oblatio.* Nec dubitat idem sanctus Doctor quin Adamus in statu innocentiæ, licèt brevissimo, Sacrificium Deo obtulerit atque exemplo præiverit filiis suis, de quibus sanctus Augustinus, lib. 10. de Civitat. cap. 4. sic scribit: *Quàm antiquus sit in sacrificando Dei cultus, duo illi fratres Cain & Abel satis indicant.* Et cap. 19. *Sed nec ob aliud fallaces illi Spiritus* (Dæmones) *sibi hoc exigunt, nisi quia vero Deo deberi sciunt.* Porrò Christus, qui non venit legem naturalem solvere, sed adimplere, à Religione, quam instituit præstantissimam, non expunxit quæ sunt juris naturalis, ut Sacrificium: ergo Pseudo-reformati, qui omne Sacrificium exterius rejiciunt, non solùm contra fidem, sed etiam contra legem naturalem delinquunt.

Q. 5°. *Quare Sacrificium propriè dictum soli Deo offerri potest?*

R. Quia per victimæ mactationem testamur Deum esse rerum omnium auctorem & Dominum,

profitemurque nos totos divinæ ejus majestati devovere, cum victima cujus sanguinem in hujusce nostræ charitatis signum offerimus; qui sanè honos creaturæ sine sacrilegio deferri non potest, ex sancto Augustino lib. 10. contra Faustum, cap. 21. *Illo cultu, qui Græcè latria dicitur, cùm sit quædam propriæ Divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum, cùm autem ad hunc cultum pertineat oblatio Sacrificii... nulli tale aliquid offerimus aut offerendum præcipimus, vel cuiquam Martyri, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam sancto Angelo.*

Ergo sacrificium propriè dictum est in genere signi, sicut & Sacramentum, sed diverso modo; nam Sacramentum est signum quo Deus significat se dare gratiam dignè suscipientibus; Sacrificium verò est signum quo testamur exteriùs nos totos Deo per charitatem devovere. *Sacrificium*, inquit S. Augustinus, l. 10. de Civit. c. 5. *est visibile invisibilis sacrificii Sacramentum, id est, sacrum signum.* Quodnam vero sit illud invisibile Sacrificium exponit cap. 6. his verbis: *Anima ipsa, cùm se refert ad Deum, ut igne amoris ejus accensa, formam concupiscentiæ sæcularis amittat, eique tanquam incommutabili formæ subdita reformatur, fit sacrificium.* Atque in hujusce rei testificationem Sacerdotes veteris Testamenti imponebant manus super caput victimæ, & Sacerdotes novi Testamenti eas extendunt super oblatas, ut significent se & adstantes spiritualiter immolare cum victima, quam exteriùs offerunt: *Hic est Dei cultus, hæc vera Religio, hæc vera pietas, hæc tantùm Deo debita servitus*, inquit sanctus Augustinus cit. l. 10. cap. 4.

Ergo sacrificium exterius sine interiori est signum falsum, significat enim quod non est, nempe cor contritum, humiliatum, Deo totaliter debitum, & ex amore serviens. Unde S. Augustinus, cit. lib. 10. cap. 5. expendens illud Psalm. 50. *Holocaustis non delectaberis; sacrificium Deo spiritus contribu-*

latus, sic scribit : *Intuemur, quemadmodum ubi Deum dixit nolle sacrificium, ibi Deum ostendit velle sacrificium: non vult ergo sacrificium trucidati pecoris, sed vult sacrificium contriti cordis.*

Q. 6o. *Quotuplicis generis est sacrificium propriè dictum?*

R. Quadruplicis. Primum dicitur latreuticum seu holocaustum, in quo juxta ritum Aaronicum igne prorsus consumebatur victima ad recognoscendam infinitam Dei majestatem & absolutum ejus dominium in omnes creaturas; ita ut possit absque injuria & auferre concessa vitam & omne quod sumus, & negare expetita quantùmcumque nobis necessaria. Secundum dicitur Eucharisticum, seu gratiarum actionis ingrati animi testimonium erga bonitatem & misericordiam Dei, qui nos immeritos suis cumulat beneficiis. Tertium est propitiatorium, ad satisfaciendum ex sincero pœnitentiæ affectu divinæ justitiæ & placandam ejus iram quam provocarunt peccata nostra. Quartum est impetratorium & pacificum, pro novis beneficiis à Deo obtinendis.

Q. 7°. *Quatuor illa sacrificii species existuntne in Religione Christiana?*

R. Existunt eminentiori modo in Missa unico Christianorum sacrificio, quod offerunt ob quatuor illos recensitos fines; est enim latreuticum seu holocaustum eucharisticum, propitiatorium, & impetratorium. Quòd sit propitiatorium Concilium Tridentinum, sess. 22. can. 3. definiit. Et sanctus Augustinus lib. 10. de Civit. cap. 20. docet quatuor recensitas sacrificii species in illo contineri: *Hujus sacrificii*, inquit, *multiplicia variaque signa erant sacrificia prisca Sanctorum, cùm hoc unum per multa figuraretur tanquam verbis multis res una diceretur.* Et in Psalm. 39. num. 12. *Cùm datum est quod promissum est, ablata sunt verba promissiva, data sunt completiva. . . Quid est quod datum est completivum? Corpus quod nostis, quod non omnes nostis,* scilicet prop-

ter Cathecumenos, quibus hoc mysterium celabatur.

Ex his discunt fideles quâ mente & quo fine ad sacrificium Missæ convenire debeant.

Dices: Christus per sacrificium Crucis omnia nobis meruit, *una enim oblatione consummavit in æternum sanctificatos*, Heb. 10. ergo non sine injuria Passionis ejus asseritur Missæ sacrificium.

Nego conseq. 1°. Quia sacrificium Missæ ex dictis est idem cum sacrificio crucis, differtque solâ offerendi ratione. 2°. Quia sacrificium Missæ nihil addit meritis passionis Christi, sed solùm applicat quæ Christus pro nobis in Cruce meritus est. An nos ipsimet adversarii credunt se sine injuria Passionis sibi applicari per Sacramenta Baptismi & Cœnæ merita Passionis Christi? 3°. Quia Christus jussit ut Eucharistiam celebraremus in ejus commemorationem & gratiarum actionem. 4°. Quia in cruce caput sine membris, hoc est, Christus sine Ecclesia, quæ est corpus & plenitudo ejus, Eph. 1. *se solùm obtulit*; in societate verò Christianorum totus ipse, caput simul & corpus offertur conjunctim tum per ipsum Sacerdotem magnum, tum per fideles, qui tanquam ejus membra participes sunt regalis & spiritualis ejus Sacerdotii, 1. Petr. 2. ut sic holocaustum sit ex omni parte integrum, nihilque totalis victimæ remaneat, quod non igne ardentissimi amoris incendatur.

Hujusce admirabilis Mysterii Symbolum S. Cyprianus, Epist. 63. agnoscit in mixtione aquæ cum vino sacrificii; namque aqua ex Apoc. 17. populus est, & vinum Sanguinem Domini significat. Aqua sola est plebs sine Christo, neutra separatim debet esse materia sacrificii; sed mixtio utriusque fit universale Religionis Christianæ sacrificium Deo acceptissimum: *Sacerdos* (Christus) *est ipse offerens, ipse & oblatio*, inquit sanctus Augustinus lib. 10. de Civit. cap. 20. *cujus rei Sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesia sacrificium, cùm ipsius corporis ipse sit caput, & ipsius capitis ipsa sit corpus, tam ipsa per*

per ipsum, quàm ipse per ipsam suetus offerri.

Instas: per Sacramenta fructus Passionis Christi nobis sufficienter applicantur: ergo frustrà sacrificium.

Nego anteced. tum quia Sacramenta aliis non prosunt, quàm suscipientibus; tum quia adultos non disponunt, sed supponunt dispositos; aliàs non illos sanctificant, sed inquinant. At sacrificium pro omnibus offertur, omnibus prodesse potest etiam infidelibus & peccatoribus obstinatis, iisque impetrat auxilia actualia, quibus per veram conversionem & pœnitentiam ad Sacramentum Baptismi vel Pœnitentiæ præparentur: *Hujus quippe oblatione placatus Dominus*, inquiunt Patres Tridentini, sess. 22. cap. 2. *gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.*

Q. 8°. *In quâ Missæ parte sita est sacrificii essentia?*

R. 1°. Certum est non consistere in oblatione panis & vini; tum quia ejusmodi oblatio præparatoria est, ex humanâ institutione ad invocandum Spiritum sanctum, tum quia ex dictis non est hostia sacrificii cruenti & incruenti; atqui panis & vinum in cruce non sunt oblata: ergo.

R. 2°. Communio Sacerdotis offerentis non est sacrificii pars essentialis, sed solùm integrans; tum quia de fide est Christum in novissima cœna verum obtulisse sacrificium: at non ita certum est ipsum sacramentaliter communicasse, quamvis communis sit Theologorum sententia ipsum fuisse cibum & convivam; tum quia actio sacrificativa est propria Sacerdotis: atqui communio talis non est; nam & Laici communicant, & Diaconi tanquam Ministri extraordinarii Eucharistiam distribuunt; tum denique quia in sacrificiis veterum participatio victimæ non constituebat sacrificium, sed illud perfectum supponebat. Communionem tamen Sacerdotis offerentis non solùm esse præcepti divini, sed etiam pertinere ad integritatem sacrificii suadet Ec-

cleſiæ diſciplina, juxta quam, ſi contingat celebrantem repentino morbo corripi ante ſumptionem utriuſque ſpeciei, alius ſubſtituitur Sacerdos etiam non jejunus, ſi alter deſit qui utramque ſpeciem ſumat, ut perficiatur Sacramentum, inquit S. Thomas quæſt. 83, art. 3. ad ſextum, cùm ad miniſtrandum viaticum, quod eſt præcepti divini in periculo mortis, Eccleſia non permittat Sacerdotem non jejunum conficere. Hinc cap. *Comperimus*, de conſecr. diſtinct. 2. dicitur immane eſſe ſacrilegium, ſi celebrans utramque non ſumat ſpeciem. Et cap. *Relatum* habetur, *Quale erit ſacrificium, cujus neque ſacrificans particeps eſſe dignoſcitur.*

Dixi, *Sacerdotis offerentis*, quamvis enim illud ſit Eccleſiæ votum, ut fideles Miſſæ ſacrificio aſtantes ſacramentaliter communicent, ut colligitur ex Concilio Tridentino, ſeſſ. 22. cap. 6. cujus verba ſunt ponderanda: *Optaret quidem ſacroſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis fideles aſtantes, non ſolùm ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent, quò ad eos ſanctiſſimi hujus ſacrificii fructus uberior proveniret*; can. 8. anathemate percuſſit Lutheranos debacchantes adversùs Miſſas privatas, in quibus ſolus Sacerdos communicat, tanquam præcepto divino contrarias, ideoque abrogandas; ejuſmodi enim divinum præceptum neque ex Scriptura, neque ex Traditione colligi poteſt: non ex Scriptura; verba enim iſta, *Hoc facite in meam commemorationem*, diriguntur ad Apoſtolos & eorum in Sacerdotio ſucceſſores, ut jam diximus: neque etiam ex Traditione Eccleſiæ, cujus eſt Scripturam interpretari; imò ex ea contrarium evincitur; nam can. 9. Apoſtolorum excuſantur Clerici qui ex rationabili cauſa non communicant. Concilium Agathenſe anno 511. præcipit ut fideles adſint Miſſæ ſacrificio ſingulis diebus Dominicis, communicent autem ter in anno, ſcilicet in Natali Domini, Paſchate, & Pentecoſte. Denique

semper licuit intereſſe pluribus Sacris uno die, ut in Natali Domini, in quo Sacerdos ter celebrabat ex ſancto Gregorio, Hom. 8. in Evang. prohibitum verò fuit ſemper Laïcis pluries uno die communicare. Ergo Eccleſia nunquam credidit adſtantes Miſſæ ſacrificio teneri communicare ex præcepto divino; ſed cùm illud ſit convenientiſſimum, Paſtores, ut ſanctus Chryſoſtomus, graviſſimis verbis fideles increpabant, atque etiamnum increpant, qui negligunt altaris fieri participes.

R. 3°. Tota Miſſæ ſacrificii eſſentia conſiſtit in conſecratione, tria enim quæ ad veri ſacrificii eſſentiam pertinent, ſcilicet Miniſter legitimus, oblatio rei ſenſibilis, & ejus immolatio in hac actione reperiuntur. Chriſtus, ſummus Sacerdos, per Miniſtrum ſuum ſpecialiter deputatum loquitur & conſecrationem perficit: *Hoc eſt Corpus meum: Hic eſt Sanguis meus, &c.* Iſta enim profert Sacerdos in perſona Chriſti, non in ſua; cùm non ſuum, ſed Chriſti Corpus & Sanguinem demonſtret. Chriſtus quoque eſt victima per ſpecies ſenſibilis, quæ hoc ipſo offertur quo in altari ponitur. Denique Chriſtus victima in hac actione myſticè immolatur; *Chriſtus ſemel immolatus eſt in ſeipſo*, inquit ſanctus Auguſtinus: Ep. 23. *in Sacramento omni die populis immolatur*, quatenus vi verborum tanquam gladio ſpirituali ſanguis ejus à corpore ſeparatur, ad recognoſcendum ſupremum Dei dominium.

Nec dicas actu & de facto non ſeparari, quod enim per concomitantiam, ut aiunt, corpus reperiatur ſub vini ſpeciebus, illud eſt per accidens actioni ſacrificativæ, quæ per ſe eſt ſeparativa, ut diximus.

Alii & quidem graves Theologi aliter explicant, nempe ad ſacrificium commemorativum, inquiunt, non requiritur actualis immolatio; ſed ſatis eſt oblatio fiat victimæ jam immolatæ, ut patet ex ritu Aaronico, ſecundùm quem ſummus Pontifex ſemel in anno ſanguinem hirci, qui priùs immo-

latus fuerat, in sacrificium offerebat absque nova immolatione, Levit. 16. Similiter Sacerdos, vel potiùs Christus per Sacerdotem in altari jugiter offert se in cruce jam mactatum, ut fusiùs & dilucidiùs exposui, Tom. 5. 685.

Dices: Actio productiva non est destructio; atqui consecratio est actio sacramentaliter Christi productiva: ergo non potest dici sacramentaliter seu mysticè destructiva.

Distinguo majorem: Actio absolutè & simpliciter productiva, concedo: productiva mortuo quodam modo, quemadmodum producitur abortus, nego majorem, nam abortus simul producitur & destruitur. Porrò Christus per consecrationem vi verborum sistitur in altari mortuo quodam modo.

Q. 9°. *Utriusque speciei consecratio pertinetne ad essentiam sacrificii?*

R. Non conveniunt Theologi, communior tamen est, & ut videtur, longè verior sententia, utriusque speciei consecrationem requiri ad veritatem sacrificii; quia sicut in Baptismo debet fieri expressa Trinitatis professio, sic in sacrificio Missæ requiritur clarissima passionis repræsentatio, qualis non est, si repræsentetur solùm Christi Corpus, quod revera existit sub specie panis, priusquam consecretur Calix.

Caput II.

De efficacia Sacrificii Missæ.

Q. 10. *Sacrificium Missæ habetne vim producendi aliquem effectum ex se, & ex opere operato?*

R. Affirmativè, quia illud dicitur opus operatum, quod non repetitur ex dispositionibus offerentis aut ministrantis; atqui beneficia, quæ obtinentur per sacrificium Missæ, non repetuntur ex dispositionibus offerentis, nec eorum pro quibus

offertur, cùm offeratur pro infidelibus & peccatoribus à Sacerdote aliquando indigniſſimo : *Illa munda oblatio eſt*, inquit Concilium Tridentinum, ſeſſ. 22. cap. 1. *quæ nullâ indignitate aut malitiâ offerentium inquinari poteſt.* Et cap. 2. *Hujus oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.*

Q. 1°. *Quomodo ſacrificium Miſſæ operatur?*

R. Non operatur per modum ſigni, quemadmodum Sacramenta novæ Legis, quæ per ſe efficiunt gratiam, quam ſignificant; ſacrificium quippe exterius non eſt ſignum gratiæ, ſed noſtræ dependentiæ, reverentiæ & amoris erga Deum. Operatur itaque ſacrificium Miſſæ per modum impetrationis, eſt enim excellentiſſima orationis ſpecies, quæ dirigitur ad Deum cum munerum oblatione.

Q. 3o. *Sacrificium Miſſæ eſtne valoris infiniti?*

R. Diſſentiunt Theologi, ſed verior videtur ſententia affirmans, quia ſacrificium Miſſæ ex dictis idem eſt cum crucis ſacrificio: ergo ſicut ſacrificium crucis vim habet infinitam ad promerenda nobis divina beneficia; ſic ſacrificium Miſſæ ad ea nobis impetranda & applicanda, inſtitutum enim eſt ad applicanda quæ Chriſtus per paſſionem ſuam nobis promeruit. Favet praxis univerſalis Eccleſiæ, ſecundùm quam Sacerdos tenetur offerre ſacrificium pro omnibus orthodoxis vivis & defunctis, etiamſi ſtipendium ab aliquo acceperit, ut pro eo ſpecialiter offeratur. Fieret autem ei injuria, ſi ſacrificium pro pluribus oblatum, minùs ipſi prodeſſet. Ergo Eccleſia exiſtimat valorem ſacrificii non minui, dum in plures dividitur, ac proinde cenſet eum eſſe infinitum. Adde preces publicas propter quas ſimul fundendas multi confluunt ad Eccleſiam Parochialem, eſſe magis impetratorias pro ſingulis quàm ſi privatim funderentur: *Convenimus in cœtum & congregationem*, inquit Tertullianus, Apol. 39. *ut ad Deum, quaſi*

manu factâ, precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est.

Ergo, inquies, Sacerdos uno sacrificio satisfaciet in omnibus Missis, quas quotidie celebrare tenetur, frustraque plura offeruntur sacrificia pro uno & eodem beneficio obtinendo.

Nego consequentiam; namque 1°. summi Pontifices prohibuêre, ne plura stipendia pro uno sacrificio acciperentur, tum quia opposita sententia probabilitate non caret, tum quia minueretur cultus divinus, tum quia hæc sordida Sacerdotum avaritia in grave fidelium verteretur scandalum. Cùm ergo lex ecclesiastica, aut usus communiter receptus fixerit quam eleemosynam Sacerdos pro quolibet ministerio debeat accipere, peccat contra justitiam, & ad restitutionem tenetur, si plus accipiat quàm lege præfixum est, nisi ultrò offeratur ab iis qui legem noverunt.

2°. Argumentum petitum ex eo quòd plura offerantur sacrificia pro uno & eodem beneficio obtinendo, nimis probat inde enim concludere liceret Missæ sacrificium nullam habere efficaciam ex opere operato, cùm aliquando repetatur ad unum & eumdem effectum obtinendum, quia hi pro quibus offertur, obicem ponunt: *Dicendum*, inquit S. Thomas quæst. 79. art. 7. ad secundum, *quòd sicut Passio Christi prodest quidem omnibus quantùm ad sufficientiam; sed effectum non habet, nisi in illis qui Passioni Christi conjunguntur per fidem & charitatem, ita & hoc sacrificium, quod est memoriale Passionis Dominicæ.* Idem repetit, art. 5.

Q. 4°. *Quinam sunt effectus sacrificii Missæ?*

R. 1°. Est propitiatorium, valetque ad peccatorum veniam & satisfactionem. Propositio est de fide expressè definita à Concilio Tridentino, sess. 22. can. 3. Namque Heb. 5. *Omnis Pontifex.... pro hominibus constituitur... ut offerat dona & sacrificia pro peccatis*; atqui Christus est Pontifex

ſecundùm ordinem Melchiſedech : ergo ſacrificium, quod obtulit ritu Melchiſedechis, hoc eſt, in pane & vino, eſt in remiſſionem peccatorum : *In multis ſacrificiis*, inquit ſanctus Auguſtinus, quæſt 57. in Levit. *quæ pro peccatis offerebantur, unum hoc noſtrum ſacrificium ſignatur, in quo fit vera remiſſio peccatorum.*

Dices : Si per ſacrificium Miſſæ habeatur remiſſio peccatorum, fruſtrà Sacramenta Baptiſmi & Pœnitentiæ.

Diſtinguo : ſi ſacrificium Miſſæ peccata immediatè remittat, concedo : ſi remotè tantùm, & mediantibus Sacramentis Baptiſmi & Pœnitentiæ, nego. Itaque valet ſacrificium vel pro muliere prægnante, ut feliciter pariat & proles Baptiſmum conſequatur, vel pro peccatore, ut pœnitentia moveatur, & Sacramentum Pœnitentiæ ritè diſpoſitus ſuſcipiat ; ſed peccatum ſive originale, ſive actuale per ſe immediatè non remittit.

R. 2°. Reatus pœnæ temporalis per ſacrificium Miſſæ immediatè ſolvitur ſaltem ex parte ; nam ex dicendis, Miſſæ ſacrificium offertur pro defunctis in quibus ſola pœna temporalis relaxanda eſt, ad quem effectum nihil conferunt, cùm non ſint in ſtatu merendi.

R. 3°. Prodeſt juſtis viris ad gratiæ ſanctificantis augmentum, non quidem immediatè, ſicut Sacramenta, ſed mediatè, quatenus per illud impetrantur gratiæ actuales, per quas juſti eliciunt bona opera de condigno meritoria augmenti gratiæ ſanctificantis.

R. 4°. Per ſacrificium Miſſæ impetrantur bona temporalia, quæ ex Dei ordinatione conferunt ad ſalutem æternam, ut expreſsè definiit Concilium Tridentinum, ſeſſ. 22. can. 3. *Si quis dixerit Miſſæ Sacrificium ... neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus*, ET ALIIS NECESSITATIBUS *offerri debere, anathema ſit.* Conſtat enim ex univerſali Eccleſiæ praxi ſacrificium pro hujuſ-

modi neceſſitatibus temporalibus ſemper fuiſſe oblatum : *Pro infirmis*, inquit S. Chryſoſtomus, Hom. 71. in Joan. *& terræ & maris, & univerſi orbis fructibus ſacrificamus.* Et ſanctus Auguſtinus, lib. 22. de Civit. cap. 8. refert Miſſæ ſacrificio vexationem ſpirituum malignorum ceſſaſſe in quibuſdam ædibus.

CAPUT III.

De iis pro quibus licet offerre Miſſæ Sacrificium.

Q. 1°. *PRo quibuſnam offerri poteſt Miſſæ Sacrificium?*

R. 1°. De fide eſt poſſe offerri pro vivis & defunctis, ut patet ex ſuprà laudato can. 3. ſeſſ. 22. Concilii Tridentini. Sed difficultas eſt an pro omnibus vivis & defunctis poſſit offerri. Quare.

R. 2°. Pro omnibus viris juſtis & peccatoribus, niſi ſint excommunicati non tolerati, offerre licet, diverſo tamen modo. *Sacrificamus pro ſalute Imperatoris*, inquit Tertullianus, lib. ad Scapulam, cap. 2.

Dixi 1°. *Niſi ſint excommunicati non tolerati*, quia Eccleſia eos excludit à ſuis orationibus & ſuffragiis, prohibetque ne altare nominentur, cap. *Anobis*, de Sententiâ excommunic. Non tolerati autem dicuntur, qui per Sententiam Judicis nominatim ut tales fuerunt declarati. Poſſunt tamen Fideles, & ipſe celebrans pro iiſdem privatim orare.

Dixi 2°. *Diverſo tamen modo*, quia Eccleſia in orationibus publicis non ſolet nomina Infidelium, Hæreticorum & Schiſmaticorum appellare, ſed pro eis orat indirectè, quatenus ſacrificium offert pro dilatatione nominis chriſtiani, hæreſeum extirpatione & Schiſmatum extinctione, quod fieri nequit ſine converſione Infidelium, Hæreticorum & Schiſmaticorum.

R. 30, Sacrificium Missæ piè & laudabiliter offertur pro Fidelibus etiam Cathecumenis, qui in Christo mortui sunt nondum plenè purgati. Ita definiit Concilium Tridentinum, tum cit. can. 3. sess. 22. tum sess. 25. in Decreto de Purgatorio, ubi declarat animas in Purgatorio detentas *Fidelium suffragiis, potissimùm verò acceptabili Altaris Sacrificio juvari*; illudque habetur tum ex Scriptura, tum ex Traditione. 2. Machab. 12. *Fortissimus Judas.... duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri, pro peccatis mortuorum sacrificium.* Quamvis autem liber ille non sit in Canone Judæorum, ejus tamen Scriptor apud eos auctoritatem habet gravissimi Historici, ex quo constat Judæos obtulisse Sacrificia pro mortuis. Quin ex sancto Hieronymo Prologo in libros Machab. *Licèt non habeantur in Canone*, (Judæorum) *tamen ab Ecclesiâ inter divinorum voluminum annotantur historias*; & revera annotavit Concilium Trident. sess. 4. De peccato in Spiritum sanctum, ait Christus Dominus Matt. 12. *non remittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro*; quod veraciter diceretur secundùm sanctum Augustinum, lib. 21. de Civitat. cap. 24. *nisi essent quibus etsi non in isto, tamen remittetur in futuro.* Similia habent sanctus Gregorius, lib. 4. Dialog. cap. 39. & sanctus Bernardus, Serm. 66. in Cant.

Ex Traditione autem habemus ex sancto Augustino, lib. de Hæresibus, cap. 13. & ex S. Epiphanio, lib. Anacephaleosis Aërium inter Hæreticos damnatum, quòd negaret pro mortuis offerendum Sacrificium; idque contra consuetudinem universalis Ecclesiæ ab Apostolis derivatam, ut idem sanctus Augustinus testatur, lib. de Cura pro mortuis, & ante eum Tertullianus, lib. de Corona militis, cap. 3. ubi sic habet: *Oblationes pro defunctis annuâ die facimus.* Et S. Cyprianus Ep. 66. de quodam Victore, qui moriens ad tutelam Presbyterum nominarat: *Episcopi antecessores nostri*, inquit, *consue-*

runt quòd si quis hoc feciſſet, non offerretur pro eo. . . & ideo non eſt quòd pro dormitione ejus apud vos fiat oblatio.

Dices Eccleſ. 11. legitur : *Si ceciderit lignum ad Auſtrum aut ad Aquilonem. . . . ibi erit* : Ergo fictitius eſt tertius locus, quod Purgatorium dicitur, quaſi in eo purgandæ animæ detineantur ad tempus.

Nego conſeq. ſenſus enim laudati textûs eſt quòd in quo ſtatu, ſive juſtitiæ & gratiæ ſanctificantis, ſive peccati lethalis, moriatur homo, in eo manebit in æternum ; alioquin Abraham, Iſaac, Jacob, & cæteri SS. Patriarchæ & Prophetæ, qui ceciderant in Inferorum locum, qui Lymbus vocari ſolet, ibi manerent in æternum, nec Chriſtus inde eos poſt paſſionem ſuam eduxiſſet, quòd Novatores aſſerere non auderent.

Inſtas : Atqui Eccleſia Romana non vult homines in morte eſſe de ſua ſorte ſecuros, in Officio enim defunctorum precatur, ne abſorbeat eos Tartarus & ut eruantur de ore leonis : ergo diſciplina ejus manifeſtè adverſatur Scripturæ textui mox laudato.

Nego ſubſumptum ; ita enim precatur Eccleſia, quia fideles repræſentat tamquam animam exhalantes, & contra mortem conflictantes, non ſine magno periculo ſuæ ſalutis, idque ad excitandam adſtantium commiſerationem & devotionem : ſic in omnibus ferè ſolemnitatibus, quæ præterita ſunt, exhibet tanquàm præſentia, in Natalitiis Domini v. g. repræſentat Chriſtum naſcentem, & in Paſſionis ejus commemoratione ipſum quaſi actu patientem, &c.

Q. 2°. *Licetne offerre Sacrificium in honorem Sanctorum ?*

R. Licet ; eſt de fide : *Si quis dixerit*, inquit Concilium Tridentinum, ſeſſ. 22. can. 5. *impoſturam eſſe Miſſas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum interceſſione apud Deum obtinendâ, ſicut Eccleſia intendit, anathema ſit* ; omnes enim Liturgiæ Græcæ & Latinæ memoriam faciunt Sanctorum,

Non sic Martyres commemoramus, inquit sanctus Augustinus, Tract 84. in Joan. *quemadmodum alios qui in pace requiescunt, ut etiam pro iis oremus, sed magis ut ipsi orent pro nobis.*

TRACTATUS DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

Caput primum.

De ejus notione & existentia.

Q. 1°. *Quotuplici modo accipitur Pœnitentia?* R. Duplici. 1o. Pro virtute morali. 2o. Pro Sacramento novæ Legis; sicut enim Christus civilem matrimonii contractum evexit ad dignitatem Sacramenti, ita & virtutem Pœnitentiæ supernaturaliter infusam: ergo sicut Sacramentum matrimonii est prorsùs irritum, si contractus per legem sit invalidus, ita Sacramentum Pœnitentiæ est nullum, si desit vera pœnitentia supernaturalis. Dico, *supernaturalis*; quia pœnitentia seu attritio naturalis non potest esse materia hujus Sacramenti; Innocentius quippe XI. damnavit hanc quorumdam modernorum propositionem, *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modò honestam*; quam propositionem Clerus Gallicanus postmodum, hoc est, anno 1700. declaravit hæreticam. Quare operæ pretium est statuere quid sit supernaturalis virtus pœnitentiæ. Igitur

Q. 2°. *Quid est virtus supernaturalis pœnitentiæ?*

R. Est virtus moralis infusa inclinans peccatorem ad detestationem & dolorem proprii peccati, quatenus est offensa Dei, cum efficaci emendationis ac satisfactionis proposito.

Dicitur 1°. *Infusa*, juxta illud Act. 11. v. 18. *Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* Et ratio est quia vera pœnitentia est dispositio ad justificationem; atqui de fide est virtutem naturalem non posse disponere ad justificationem, id enim definiit Concilium Tridentinum, sess. 6. can. 3. Et Clerus Gallicanus anno 1700. hæreticam declaravit hanc propositionem, *Probabile est sufficere* (in Sacramento) *attritionem naturalem, modò honestam.*

Dicitur 2°. *Inclinans peccatorem ad detestationem & dolorem proprii peccati*; quia licèt ex charitate doleamus ob peccatum alterius, de eo tamen non possumus pœnitere; pœnitere quippe est resipiscere, consilium mutare, ad sanam mentem redire, quæ profectò dici nequeunt de peccato alterius, sed de proprio.

Dicitur 3°. *Quatenus est offensa Dei*, quia pœnitentia, utpotè quædam species justitiæ, est ad alterum, tendit que ad abolendam offensam illi illatam.

Ergo dolere præcisè, vel quia turpe est nos peccasse, & inde confundimur, vel quia animadversione sumus digni, nullâ ratione habitâ offensæ Dei, non est actus virtutis pœnitentiæ, sed amoris privati, quod operæ pretium est advertere.

Dicitur 4°. *Cum emendationis proposito*, de pœnitentia enim secundùm Deum ait Apostolus 2. Cor. 7. *Ecce hoc ipsum secundùm Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem... sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam?* Quibus verbis carpitur falsa eorum pœnitentia, qui ubi se lapsos advertunt, animo franguntur, gemunt desides absque ulla exurgendi sollicitudine; parvulos dicetes, qui cùm ceciderint, jacentes indulgent lacrymis, donec quis eos erigat.

Dicitur 5°. *Efficaci*, juxta illud Pſalmi 37. *Cogitabo pro peccato meo*, ſive ut legit Auguſtinus, *Curam gerere pro peccato meo*, quod expendens ſanctus Doctor ſic ſcribit: *Quid eſt curam gerere pro peccato tuo, ſi diceres curam geram pro vulnere meo, quid intelligeretur, niſi, dabo operam ut ſanetur? Hoc eſt enim curam agere pro delicto, ſemper intendere, ſemper ſtudiosè & ſedulò agere ut ſanes peccatum.*

Dicitur 6°. *Et ſatisfactionis propoſito*, juſtitia enim, quàm pœnitentia imitatur, in eo conſiſtit ut perſonæ læſæ ſatisfiat: *Impunitum non poteſt eſſe peccatum, impunitum eſſe non decet, non oportet, non eſt juſtum. Ergo quia impunitum non debet eſſe peccatum, puniatur à te, ne puniaris pro illo.* Ita S. Auguſtinus, Serm. 20. aliàs 3. ex editis à Sirmundo.

Q. 3°. *Virtus pœnitentiæ fuitne quovis tempore neceſſaria homini lapſo?*

R. Affirmant Patres Tridentini ſeſſ 14. cap. 4. imò ipſemet Chriſtus Dominus Luc. 13. v. 3. *Niſi Pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.* Quo autem tempore & quoties præceptum illud obliget, certò definiri non poteſt. Sed ſicut ſæpiſſimè eliciendus eſt actus amoris Dei ſuper omnia, ita & pœnitentiæ, cùm conſcius peccati mortalis unum ſine altero elicere nequeat; & certè videretur peccato addere Dei contemptum, ſi averſus à Deo negligeret redire in ejus gratiam.

Q. 4°. *Quomodo differt virtus pœnitentiæ à Sacramento Pœnitentiæ?*

R. Differt ſicut pars à toto, v. g. brachium à corpore, Sacramentum enim Pœnitentiæ eſt totum; virtus verò pœnitentiæ, quam vulgò contritionem vocamus, eſt pars materialis Sacramenti.

Ergo ſicut Baptiſmus non poteſt conſiſtere ſine aqua, & Sacramentum Matrimonii ſine vero contractu conjugali, ita nec Sacramentum Pœnitentiæ ſine vera pœnitentia.

Q. 5°. *Quid Sacramentum Pœnitentiæ complectitur præter virtutem pœnitentiæ?*

R. Ritum exteriorem, ac imprimis sententiam Sacerdotis, qui in hoc Sacramento officium judicis exercet, quemadmodum docet Concilium Tridentinum sess. 14. c. 2. ubi de lapsis post Baptismum sic habet: *Ante hoc Tribunal tanquam reos sisti voluit, ut per Sacerdotum sententiam . . . possent liberari.* Et cap. 6. de absolut. *Non est nudum Ministerium . . . sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso* (Sacerdote) *velut à judice Sententia pronuntiatur.*

Ergo constat apud Catholicos Sacramentum Pœnitentiæ à Christo Domino fuisse institutum in forma judicii reconciliativi, ex quo facilè intelligi potest quæ debeant esse hujus Sacramenti partes, quæve requirantur ut ritè peragatur.

Enimverò omne judicium reconciliativum quatuor partibus constat, & duo necessariò supponit.

Præsupponit 1°. offensam; sicut enim restitutio necessariò supponit debitum, ita reconciliatio offensam. 2°. Præsupponit judicem qui habeat potestatem judicii exercendi, & sententiæ ferendæ.

Ergo materia remota, non consecranda, sed abolenda Sacramenti Pœnitentiæ, sunt peccata post Baptismum commissa, circa quæ versatur Sacramentum, quemadmodum morbi expellendi, sunt materia circa quam occupatur Medicina. Peccata autem lethalia sunt materia necessaria, quia sine Sacramento saltem in voto remitti nequeunt, venialia verò sunt materia sufficiens, cùm per Sacramentum deleri possint. Ergo duplex est materia remota, nempe necessaria & sufficiens.

Partes verò ex quibus constat judicium reconciliativum seu Sacramentum Pœnitentiæ, sunt, 1°. Accusatio, quâ reus culpam suam agnoscit, eamque confitetur. 2°. Dolor & detestatio quod in ejusmodi culpam lapsus fuerit, cum proposito non peccandi de cætero. 3°. Satisfactio pro irrogata offensa. 4°. Sententia quâ judex ex potestate sibi

conceſſâ, reum ſic pœnitentem & ſic affectum abſolvit, reconciliatque cum perſona læſa.

In eo itaque differt judicium reconciliativum à judicio vindicativo, quòd in judicio vindicativo non requiratur reus crimen confiteatur, illud cum dolore deteſtetur, & pro eo ſatisfactionem offerat; ſed ſatis eſt ſi ab alio accuſetur, & idoneis teſtibus reus convincatur; judexque ſententiâ ſuâ pœnam in illum etiam renitentem decernat.

Contra verò reconciliatio nec eſſe, nec intelligi poteſt, niſi reus ſe iniquè egiſſe fateatur, inde dolere ſe teſtetur, paratuſque ſit ad eam ſatisfactionem adhibendam, quam exegerit perſona læſa.

Ergo materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ ſunt contritio, confeſſio, & ſatisfactio. Ita Concilium Tridentinum, ſeſſ. 14. cap. 3.

Q. 60. *Tres illæ partes ſuntne eſſentiales Sacramento?*

R. Contritio in qua continetur propoſitum ſatisfaciendi, & confeſſio, ſunt partes eſſentiales; quia ex mox dictis ſine iis non poteſt eſſe nec concipi reconciliatio; actualis verò ſatisfactio eſt pars integralis & minimè eſſentialis, quia perſona læſa in gratiam ſuam ita recipere poteſt pœnitentem, ut nullam ſatisfactionem exigat. Hinc pœnitentibus moribundis, & uſu rationis deſtitutis abſolutio impertitur, nullâ impoſitâ ſatisfactione.

Dices 1°. Ejuſmodi moribundi abſolvuntur etiam ſine confeſſione: ergo confeſſio non eſt Sacramento eſſentialis.

Diſtinguo antec. Sine confeſſione explicata, concedo: ſine confeſſione implicata, nego antec. Eò enim ipsò quò quis Confeſſarium petit, confitetur ſe peccaſſe. Porrò in caſu neceſſitatis confeſſio implicita ſufficit ad Sacramentum.

Dices 2°. Diſpoſitio ad Sacramentum non eſt pars Sacramenti; atqui actus pœnitentis ſunt diſpoſitiones ad Sacramentum pœnitentiæ: ergo non ſunt ejus partes.

Nego min. Sunt quidem dispositiones ad effectum Sacramenti, non verò ad Sacramentum, sed illud componunt.

Q. 7°. *Quomodo definitur Sacramentum Pœnitentiæ?*

R. Ex dictis rectè describitur, Sacramentum à Christo Domino institutum, quo per juridicam Sacerdotis absolutionem homini contrito & confesso remittuntur peccata post Baptismum commissa, competenti satisfactione injunctâ.

Dixi, *Peccata post Baptismum commissa*, quæ enim præcesserunt, huic judicio subjici nequeunt, cùm Ecclesia, ex Patribus Tridentinis sess. 14. cap. 2. in neminem judicium exerceat, qui non priùs in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus; *quid enim mihi*, inquit Apostolus 1. Cor. 5. *de iis qui foris sunt, judicare?*

Q. 8°. *Unde habemus Pœnitentiam à Christo Domino fuisse evectam ad dignitatem Sacramenti, & quidem à Baptismo distincti?*

R. Habemus 1°. ex Scriptura, Matth. 16. Christus promittit Petro se illi daturum claves regni Cœlorum, ut quodcumque ligaverit aut solverit super terram, maneat in Cœlis ligatum aut solutum. Idem promissum ad alios Apostolos extendit, Matth. 18. ac tandem illud actu & de facto confert post resurrectionem, Joan. 20 his verbis, *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

2°. Idem habemus ex constanti Ecclesiæ traditione. S. Hilarius in cap. 16. Matth. sic exclamat: *O beatus Cœli janitor . . . . cujus terrestre judicium præjudicata auctoritas sit in Cœlo.* Et S. Hieronymus Epist. ad Heliodorum, *Non solùm Sacerdotes*, inquit, *cùm regenerant, sed etiam postea condonandorum peccatorum obtinent potestatem.* Similia habent S. Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio, & S. Ambrosius lib. 10. de Pœnitentia, cap. 2. Unde

meritò Concilium Tridentinum seſſ 14. can. 2. dicit anathema asserentibus pœnitentiam non esse Sacramentum à Baptismo distinctum.

Q. 9°. *Quanam peccata per Sacramentum Pœnitentiæ remitti possunt?*

R. Omnia sive lethalia, sive venalia, post Baptismum commissa, quia Christus nullum excipit, *Quæcumque solveritis super terram*, inquit Mat. 18. *erunt soluta & in cœlo.* Jo. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ergo quidquid habet rationem veri peccati, per Sacramentum remitti potest; atqui peccata non solùm lethalia, sed etiam venialia habent rationem veri peccati: ergo per Sacramentum remitti possunt. Cùm autem addit, *& quorum retinueritis, retenta sunt*, significat peccata lethalia esse necessariam Sacramenti materiam, venialia verò solùm sufficientem, quia sola peccata lethalia simpliciter & absolutè retineri possunt, cùm venialia multis modis deleri possint sine Sacramento. Unde quando Confessarius absolutionem denegat confitenti venialia absque ullo signo doloris, & emendationis proposito, illa simpliciter & absolutè non retinet, sed secundùm quid; fictus enim hujusmodi pœnitens non tenetur illa postmodum clavibus subjicere, cùm aliis modis elui possint. Imò, quamvis in terrâ non fuerint dimissa, nihilominus non retinebuntur in cœlo, si eorum conscius moriatur immunis à peccato lethali.

Dices; Mat. 12. habetur de peccato in Spiritum sanctum, *non remittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro:* ergo sunt quædam peccata quæ per Sacramentum Pœnitentiæ remitti non possunt.

R. 1°. Argumentum illud æquè militat adversùs Sacramenta Baptismi ac Pœnitentiæ; verba quippe Christi diriguntur ad Pharisæos nondum baptisatos, qui per insignem blasphemiam in Spiritum sanctum dicebant Christum ejicere dæmonia in nomine Beelzebuth.

R. 20. Distinguendo consequens cum sancto Thoma; non remittentur impœnitentibus & malè dispositis, concedo: non remittentur verè pœnitentibus, nego conseq. Itaque qui peccant in Spiritum sanctum, cùm ex malitia directè impugnent ejus gratiam, sine qua peccata remitti nequeunt, difficilè moventur ad pœnitentiam: *illius peccati tanti tanta labes est*, inquit S. Augustinus lib. 2. *de Sermone Domini in monte*, cap. 22. *ut deprecandi humilitatem subire non possit.* Unde peccatum illud non irremissibile defectu potestatis in Ecclesia, sed defectu peccatoris non pœnitentis.

Instas: Sunt quædam peccata ex natura sua irremissibilia, ait enim S. Joannes Ep. 1. c. 5. *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis*: ergo.

Nego antec. Apostolus enim absolutè non prohibet quominus fideles orent pro eo qui peccat peccato ad mortem, sed innuit dumtaxat non ita esse certum orationis effectum ac si oratio funderetur pro alio peccatore.

Instas iterum: Heb. 6. dicitur: *Impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati ... & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam*: ergo.

Distinguo ant. impossibile est renovari per Baptismum, concedo: per Sacramentum Pœnitentiæ, subdistinguo: impossibile est renovari eâ facilitate perfectione & plenitudine quæ confertur in Baptismo, concedo: impossibile est absolutè, & quocumque modo renovari, nego ant. nam ipse Apostolus 2. Cor. c. 2. incestum absolvit.

CAPUT II.

De Contritione.

Q. 19. *Quid est Contritio?*

R. Est ipsamet virtus pœnitentiæ, quam descripsimus cap. præcedenti. Breviùs defini-

tur à Concilio Tridentino, seſſ. 14. cap. 4. *Animi dolor & deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.*

Q. 2°. *Quot ſunt in iſta definitione obſervanda?*

R. Tria. Primum eſt deteſtatio ſeu odium peccati. Secundum eſt dolor ſeu animi triſtitia de peccato. Unde Beati licèt deteſtentur peccata, actum tamen contritionis non eliciunt; quia ſummum gaudium quo perfruuntur, excludit omnem ſenſum doloris, ſine quo vera non exiſtit contritio. Tertium eſt propoſitum non peccandi, quod ex Concilio Tridentino cit. cap. eſt novæ vitæ propoſitum & inchoatio.

Q. 3°. *Qualis debet eſſe ejuſmodi dolor ſive deteſtatio?*

R. Debet eſſe, 1°. Interior. 2°. Supernaturalis. 3°. Univerſalis. 4°. Super omnia. 5°. Ex natura ſua, &, ut aiunt, in actu primo efficax.

Ac primò quidem debet eſſe interior, vocatur enim à Patribus Tridentinis dolor animi, non verò dolor ſenſûs, utpote qui nec ſit neceſſarius, nec per ſe ſufficiens, nec ſemper à voluntate pendeat, cùm ſenſus plerùmque ſpiritui reluctentur, & in gaudium propendeant, cùm voluntas luctum imperat.

2°. Debet eſſe ſupernaturalis & à Spiritu ſancto, ut ſuprà obſervavimus pag. 516. hîc conſulenda. Errant ergo qui cùm à Deo ad pœnitentiam vocantur, eam differunt, quaſi vel omnino poſitum ſit in libero eorum arbitrio pœnitere ad ſalutem, vel Deus neceſſe habeat gratiam præſtare indignis, & ejus liberalitatem faciant ſervitutem, ut loquitur Tertullianus lib. de Pœnit. cap. 8.

3°. Debet eſſe univerſalis, hoc eſt, extendi ad omnia peccata ſaltem mortalia, quia quodlibet peccatum mortale eſt mors animæ, quatenus eam ſeparat à Deo, qui eſt vita ipſius.

Ergo pœnitens, qui de omnibus peccatis mortalibus doleret, uno dumtaxat excepto, nihilhomi-

nus maneret in morte, utpote ſeparatus à Deo per illud unicum peccatum lethale; ac proinde unum peccatum lethale non poteſt remitti ſine alio, neceſſumque eſt ut dolor ſeu deteſtatio ſe extendat ad omnia & ſingula peccata lethalia.

Aliter ſentiendum eſt de peccatis venialibus, quæ cùm non ſeparent à Deo, ſed ſolùm animam inordinatè convertant ad creaturam, ut ſuprà diximus, unum remitti poteſt ſine alio, quia non repugnat voluntatem manere converſam ad unum objectum creatum, & ſimul ab alio eſſe averſam.

4°. Dolor ſeu deteſtatio debet eſſe ſuper omnia, hoc eſt, verè contritus plus debet deteſtari peccata ſua quàm malum aliud quodlibet quantumcumque grave ac horrendum, & de iis magis dolere, ſaltem appretiativè, quàm de quocumque alio malo in quod incurreret.

5°. Dolor ſeu deteſtatio debet eſſe ex natura ſua & in actu primo efficax; non enim ſufficit ad veram contritionem velleitas ſeu deſiderium inefficax melioris vitæ, ſed ea requiritur intentio quæ voluntatem determinet ad removenda impedimenta, v. g. occaſiones proximas, vitioſos habitus eradicandos, & ad conquirenda & eligenda media, ſine quibus nova vita, quam ſibi proponit contritus, conſervari nequit. Conſule quæ dicta ſunt de intentione finis, Tract. *de Actibus humanis.*

Q. 4°. *Quotuplex eſt Contritio?*

R. Duplex, perfecta quæ charitate perficitur, id eſt, ex perfectæ charitatis motivo concipitur; & imperfecta quæ vulgò attritio dicitur: *Quoniam*, inquiunt Patres Tridentini, cit. cap. 4. *vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur.*

Q. 5°. *In quo conveniunt & differunt contritio perfecta & imperfecta?*

R. 1°. Conveniunt in iis omnibus, quæ mox diximus de contritione generatim ſpectata; effatum quippe eſt Philoſophorum, ea quæ differunt

specie, conveniunt necessariò in genere: Homo v. g. & brutum necessariò convenire debent in genere animalis, adeò ut qui non habet quæ sunt de essentia animalis, is non sit verus homo. Ergo attritio sicut & perfecta contritio debet esse interior, supernaturalis, universalis, super omnia, & in actu primo efficax, alioquin non esset vera attritio.

R. 2°. Contritio peofecta & imperfecta differunt 1°. in effectu; contritio enim perfecta cum solo voto Sacramenti post modum recipiendi justificat; attritio verò minimè, ut docet Concilium Tridentinum cit. cap. 4. Differunt 2°. in motivo, namque contritio perfecta concipitur ex perfecto Dei amore, Attritio verò vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu, vel ex initiali & inchoato charitatis affectu.

Q. 6°. *Attritio, quæ concipitur ex gehennæ metu absque initiali seu inchoato charitatis affectu, sufficitne cum Sacramento ad justificationem?*

R. 1o. Nonnulli Theologi fidenter asseruerunt contra fidem Historiæ, Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 4. definiisse ejusmodi contritionem sufficere cum Sacramento; namque Cardinalis Palavicinus lib. 12. cap. 10. Historiæ ejusdem Concilii refert Patribus exhibitum fuisse delineatum decretum, in quo insertum erat sufficere ejusmodi attritionem ad Sacramenti constitutionem, quam propositionem iidem Patres delendam censuerunt; *Quamobrem* (pergit Historicus) *decretum, sicut nunc extat, reformatum est.*

Ergo certo certius est Concilium noluisse definire ejusmodi attritionem cum Sacramento sufficere.

Cùm autem hac de re nihilominus ferveret controversia, fidelesque perturbaret, Alexander VII. die quintâ Maii, anno 1667. prohibuit sub pœna excommunicationis latæ sententiæ sibi & successoribus reservatæ, ne quis sententiam asserentem aut negantem notaret aliquâ censurâ: *Donec*, inquit, *ab hac sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum*, quod hactenus non præstitit. Unde.

R. 20. Sententia asserens attritionem non sufficere cum Sacramento, nisi includat saltem initialem charitatis affectum, sola secura est & in praxi sequenda. Ita Clerus Gallicanus anno 1700. sic enim habet ubi de dilectione Dei in Sacramento Pœnitentiæ requisita: *Ne quis putet in utroque Sacramento,* (Baptismi & Pœnitentiæ) *securum se esse, si præter fidei & spei actus non incipiat diligere Deum tanquam omnis justitiæ fontem.* Et nonnullis interjectis, sic pergunt Antistites: *Placet etiam caveri à Sacramenti Pœnitentiæ administris, ne in hoc Pœnitentiæ Sacramento aliisque Sacramentis conferendis sequantur opinionem probabilem, relictâ tutiore, nevè pœnitentes ipsorum fidei animam suam committentes admonere cessent, ut in pœnitendo inchoatæ saltem dilectionis Dei ineant viam, quæ sola secura sit, graviter peccaturi in hoc salutis discrimine, vel eo solo quòd certis incerta præponant.* Quæro jam ab iis qui detorquent verba tam clara, contenduntque Gallicanos Antistites intelligendos esse de amore spei & concupiscentiæ beatitudinis, quæro, inquam, quæ ab ipsis statuatur sententia, quæ sola secura sit: an sententia asserens attritionem ex amore concupiscentiæ beatitudinis conceptam cum Sacramento sufficere? Negent ergo securam esse sententiam, quæ præter amorem concupiscentiæ requirit inchoatum charitatis affectum, affirmentque graviter peccare in hoc salutis discrimine, qui posteriorem hanc sententiam priori præponit; quod quàm absurdum sit, nemo est qui non videat.

Caput III.

De Confessione.

Q. 1°. *Quid est Confessio?*

R. Est accusatio coram Sacerdote facta à pœnitente, peccatorum quæ post Baptis-

mum commisit, ad illarum absolutionem obtinendam.

Q. 2°. *Confessio estne necessaria necessitate præcepti, non solùm ecclesiastici, sed etiam divini?*

R. De fide est necessariam necessitate præcepti divini iis qui post Baptismum prolapsi sunt, ita enim definiit Concilium Trident. adversùs pseudo-reformatos, sess. 14. can. 6. & 7. probaturque ex scriptura, Joan. 20. ubi Christus Apostolis confert potestatem remittendi & retinendi peccata: *Quorum remiseritis peccata*, inquit, *remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quibus verbis universalis Ecclesia semper intellexit & observavit peccata in Tribunali Pœnitentiæ esse sigillatim exponenda. *Constat enim*, inquiunt Patres Tridentini, sess. 14. cap. 5. *Sacerdotes judicium, incognitâ causâ, exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat & non potiùs in specie ac sigillatim sua peccata* (Pœnitentes) *declarassent.*

Dices: ex Socrate, lib. 5. cap. 19. & ex Sozomeno, lib. 7. cap. 16. Nectarius, Patriarcha Constantinopolitanus IV. sæculo, confessionem abrogavit, & ejus exemplum secuti sunt Episcopi ferè omnes, ac imprimis S. Chrysostomus ejus successor. Hinc Calvinus lib. 3. Instit. cap. 4. adversùs Theologos non confidenter modò, sed etiam contumeliosè insurgens ait, *Hîc, hic aures asini isti arrigant*: ergo confessio est dumtaxat disciplinæ ecclesiasticæ, quæ enim sunt juris divini abrogari nequeunt.

Nego anteced. Nectarius enim non abrogavit confessionem secretam, sed publicam dumtaxat, occasione quam referunt laudati Historici; nimirùm mulier incautè confessa est publicè, non sine magna adstantium offensione, se stupratam à Diacono Ecclesiæ Constantinopolitanæ: unde permotus Nectarius, ne deinceps simile scandalum contingeret, consilio Eudomenis Presbyteri ejusdem Eccle-

siæ, exauthoravit Pœnitentiarium, qui pœnitentiæ publicæ præerat, & Confessionem publicam sustulit, permisitque ut unusquisque sicut priùs pro arbitrio, & pro animi sui conscientia, ut loquitur Socrates, ad Sacramentorum communionem accederet, hoc est, seipsum probaret, & si conscium se alicujus criminis agnosceret, quem mallet Sacerdotem adiret, quemadmodum primis sæculis ante Novatiani schisma factitatum fuerat, & nunc quoque observatur. Vide historiam integram & responsiones ad objecta Novatorum, pag. 220. & seq. Theologiæ nostræ dogmaticæ.

Instas: S. Chrysost. Homil. 5. de incomprehensibili Dei natura, ait; *nam hominibus peccata tua confiteri cogo.* Et n. 9. de Pœnit. *Deo soli dic peccatum tuum, & dimittitur*: ergo in mente S. Doctoris, confessio secreta non est necessaria.

Nego conseq. quia confessio secreta solet dici à Patribus fieri Deo, licet coram Sacerdote ejus Ministro; hinc in quibusdam libris Ritualibus præscribitur hæc formula à Pœnitentibus dicenda priusquàm peccata sua exponant Sacerdoti, *Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ.* Quòd autem hæc sit mens S. Chrysostomi, patet ex lib. 2. de Sacerdotio, cap. 3. in quo sic habet, *nihil eorum relinquendum est, quod probè non excutiat atque examinet Episcopus.*

Q. 3°. *Quot sunt conditiones Confessionis Sacramentalis?*

R. Quinque. 1°. Debet esse diligens, id est, post sufficiens examen. 2°. Fidelis & vera, ita ut pœnitens nec augeat, nec minuat, quantùm fieri potest, gravitatem aut numerum peccatorum. 3°. Secreta, non enim sine scandalo infirmorum peccata quædam in eorum notitiam venirent. 4°. Obedire parata scilicet monitis & præceptis Confessarii. 5°. Integra.

Q. 4°. *Quid requiritur ad integritatem Confessionis?*

R. Pœnitens tenetur explicare sigillatim, 1°. Species

Species peccatorum. 2°. Circumstantias quæ speciem mutant, de quibus supra, pag. 228. 3°. Numerum peccatorum. Ita definiit Concilium Tridentinum adversùs Novatores, sess. 14. can. 7.

Dixi: *Circumstantias quæ speciem mutant*: De aliis quippe quæ notabiliter augent peccati gravitatem intra eamdem speciem, ut major furti quantitas, sacrilegium contra castitatem in Subdiacono aut Presbytero, Concilium nihil statuit; communis tamen est Theologorum sententia ejusmodi circumstantias esse exponendas, idque præscribunt nonnulli libri rituales.

Q. 5°. *Secretum Confessionis sacramentalis ligatne strictiùs Confessarium quàm secretum merè naturale?*

R. Affirmativè; quia ex S. Thoma, secundâ Secundæ, quæst. 70. art. 1. secretum naturale non obligat in præjudicium boni communis: at secretum Confessionis numquam violare licet, etiamsi ex silentio Confessarii gravia imminerint Reipublicæ incommoda, aut ipse Confessarius mortem aliter declinare non posset.

Q. 6°. *Quænam sigilli secreto clauduntur?*

R. Ea omnia quæ per Confessionem sacramentalem deteguntur, scilicet peccata sive gravia, sive levia, socii criminis, tentationes, rustici mores, & alii defectus naturales, denique quidquid revelatum Pœnitenti molestiam faceſceret, & confessionem redderet odiosam.

Q. 7°. *Duo Sacerdotes, qui idemtidem excipiunt alicujus confessionem, possuntne consilii captandi causâ, inter se colloqui de peccatis illius?*

R. Non possunt, absque libero illius consensu.

Q. 8°. *Licetne Sacerdoti sermonem habere cum ipsomet pœnitente de iis quæ in confessione aperuit?*

R. Quamvis non violet secreti sigillum, extra confessionem tamen non licet, nisi priùs ab ipso obtentâ veniâ, quia hæc agendi ratio pœnitentibus molesta est.

Dixi, *extra Confessionem*, quia in confessione Confessarius potest, quandoque etiam debet, objicere pœnitenti in eadem peccata lapso quòd satis sibi non caveat.

Caput IV.

De Satisfactione.

Q. 1°. *Quid est Satisfactio?*

R. Est pœnæ à Confessario injunctæ acceptatio & voluntaria perpessio ad compensandam injuriam Deo illatam.

Q. 2°. *Remanetne pœna luenda post demissam culpam?*

R. Constat remanere, tum ex lib. 2. Reg. cap. 22. ubi David perfectè contritus audivit à Propheta, *Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris, verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur:* tum ex doctrina de Purgatorio, quod est ad eluenda peccata jam dimissa quoad culpam.

Q. 3°. *Sacerdotes acceperuntne à Christo potestatem imponendi in Tribunali Pœnitentiæ opera satisfactoria?*

R. Affirmativè, à Christo enim habent potestatem ligandi & retinendi peccata: ligant autem & retinent, cùm non absolvunt Pœnitentes, nisi acceptent pœnitentiam quam ipsis imponunt: & ita universalis Ecclesia semper & ubique intellexit, & hactenus observavit Christi verba, *quæcumque solveritis, &c. quorum retinueritis peccata*, &c.

Ergo Confessarii tenentur ex præcepto divino injungere satisfactiones convenientes, utpote partes integrantes Sacramenti, alioquin Sacramentum mutilarent, ac consequenter pœnitentes ex eodem præcepto debent acceptare & implere ejusmodi satisfactiones.

Ergo audiendi non sunt qui satisfactionem peccatis suis debitam volunt remittere ad Purgatorium, cùm enim Christus instituerit satisfactionem ut partem Sacramenti, certo certius est Deum velle ut in hac vita sibi satisfiat.

Q. 40. *Satisfactio ab uno Confessario imposita potestne mutari ab alio Sacerdote?*

R. Si sit salutaris & conveniens, non potest; peccatque pœnitens, si nolit eam acceptare, quia præceptum est divinum, ut quæcumque Sacerdos præcipit, clave non errante, ea à pœnitente observentur: *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo.*

Sed si pœnitentia non sit conveniens, sive ab initio, sive ex superveniente circumstantia, mutari potest ab alio Sacerdote in sacramentali tantùm Confessione, & quidem auditis peccatis propter quæ fuit imposita.

Q. 50. *Quotuplex est genus bonorum operum quibus satisfit Deo?*

R. Triplex, nempe eleemosyna, & jejunium, quo intelliguntur omnes carnis afflictationes. Ita Concilium Tridentinum, sess. 14. can. 13.

Q. 60. *Quandonam pœnitentia est imponenda & implenda?*

R. Est imponenda ante absolutionem, implenda verò juxta Ecclesiæ disciplinam, & eo tempore quo præcepit Confessarius. Prioribus sæculis, absolutio impertiebatur post expletam pœnitentiam; sed cùm nullum hac de re in Scriptura extet præceptum, ne ratio Sacramenti postulet, ut satisfactio ante absolutionem impleatur, Sixtus IV. anno 1478. & Alexander VIII. anno 1690. meritò proscripserunt doctrinam quâ nonnulli asserebant consuetudinem quæ à pluribus sæculis obtinuit, ut conferatur absolutio priusquam impleta sit pœnitentia, non esse legitimam, sed merum abusum.

Q. 70. *Quid attendere debet Confessarius ut convenientem pœnitentiam imponat?*

R. Duo attendat necesse est. Primum, ut illa sit in novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum. Secundum, ut sit pœna & castigatio ob præterita delicta. Ita Concilium Tridentinum, sess. 14. cap. 8. his gravissimis verbis: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantùm spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum & pœnitentium facilitate, salutares & convenientes satisfactiones injungere, ne si fortè peccatis conniveant & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio quam imponunt non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum criminum vindictam & castigationem: nam claves Sacerdotum non ad solvendum dumtaxat sed & ad ligandum concessas etiam antiqui Patres credunt & docent; nec propterea existimarunt Sacramentum Pœnitentiæ esse forum iræ & pœnarum.*

Ergo duplex distinguenda est pœnitentia; alia est pœnalis ad puniendum peccatorem; alia medicinalis ad adjuvandum & roborandum infirmum, ne rursùs prolabatur. Prior est præcepti dumtaxat divini quidem: posterior est insuper necessaria necessitate medii: illa tolli potest per indulgentias; ista minimè. Unde summi Pontifices in suis Bullis pro Jubilæis expressè monent Sacerdotes ut imponant salutares pœnitentias, dum potestatem ipsis faciunt absolvendis à pœnis injunctis.

Q. 8°. *Quid observandum circa hanc Concilii doctrinam?*

R. Quatuor.

Primum; juxta Concilii doctrinam conveniens & proportionata satisfactio est juris divini, adversùs quod nulla consuetudo præscribit.

Secundum; quantitas satisfactionis ita arbitrio Sacerdotis relinquitur ut eam decernat, non pro libito & ad nutum, sed secundùm prudentiæ re-

gulas, *Quantùm Spiritus & prudentia suggesserit*, inquiunt Patres; & S. Thomas in supplemento, q. 18. art. 4. ad primum: *Dicendum*, inquit, *quòd arbitrium illud debet esse divino instinctu regularum.*

Tertium; Sacerdos non debet solummodò spectare peccatorum gravitatem & multitudinem, sed etiam pœnitentium facultatem; *Pœnæ satisfactoriæ*, inquit S. Thomas, cit. art. 4. *medicinæ sunt; sicut ergo Medicus aliquando prudenter non dat medicinam ita efficacem quæ ad morbi curationem sufficiat, ne propter debilitatem naturæ, majus periculum oriatur, ita Sacerdos divino instinctu motus non semper totam pœnam quæ uni peccato debetur injungit, ne infirmus aliquis ex magnitudine pœnæ desperet, & à pœnitentiâ totaliter recedat.* Et ideo Sacerdos tanquam prudens Medicus, *negligit minus damnum, ut majus evitet*; verba sunt ejusdem angelici Doctoris in quartum, distinct. 20. quæst. 1. art. 2.

Cùm autem relapsus sit maximum damnum, & præ cæteris timendum, imprimis curabit Confessarius ut pœnitentia sit efficax ad vitæ novæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, valeatque ad eradicandos vitiosos habitus, cautiorem & vigilantiorem pœnitentem efficiat, piisque exercitationibus saltem facillimis, (si graviores non ferat Pœnitentis infirmitas) animum ejus intentum teneat virtutibus comparandis. Ita ferè Concilium Trident. sess. 14. c. 8.

Ergo pro infirmitate Pœnitentis, minuenda est peccati vindicta, sed præsentiora adhibenda sunt remedia, quò major est ejus infirmitas.

Quartum; in laudato Concilii textu ponderanda sunt illa verba, *Ne, si fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant ..... alienorum peccatorum participes efficiantur.* Quibus verbis significatur Sacerdotem reum se gravis peccati constituere, si ab expositis per Concilium regulis, timore, favore, aut negligentiâ notabiliter recedat.

Dices; quæ ſunt juris divini, non poſſunt ſolvi ab Eccleſia; atqui Eccleſia per Indulgentiarum conceſſionem abſolvit à ſatisfactionibus in Sacramento Pœnitentiæ impoſitis: ergo ejuſmodi ſatisfactiones non ſunt juris divini, ſed diſciplinæ dumtaxat eccleſiaſticæ.

Diſtinguo majorem; non poſſunt ſolvi ab Eccleſia ſine cauſa, concedo: cum cauſa, nego maj. namque Eccleſia cauſis exigentibus, abſolvit à vinculo voti & juramenti, quod tamen eſt juris divini. Quòd autem non concedat Indulgentias ſine cauſa, perſpicuum fiet ex capite ſequenti.

Caput V.

De Indulgentiis.

Q. 1°. *Quid eſt Indulgentia?*

R. Eſt remiſſio pœnæ temporalis, quæ poſt dimiſſam culpam luenda ſupereſt, extra Sacramentum, facta ab eo qui poteſtatem habet diſpenſandi ſpiritualem theſaurum Eccleſiæ.

Dicitur 1°. *Remiſſio pœnæ*, non culpæ, *temporalis*, non æternæ, quæ remittitur cum culpa per Sacramentum.

Dicitur 2o. *Extra Sacramentum*, ut diſtinguatur illa pœnæ remiſſio ab ea quæ fit virtute Sacramenti Pœnitentiæ, in quo majori vel minori pœnitentium præparatione, plus vel minus minuitur reatus pœnæ temporalis.

Dicitur 3o. *Ab eo qui habet poteſtatem diſpenſandi, &c.* quia bona Communitatis propria, & Reipublicæ theſaurus, diſpenſari nequeunt niſi ab eo, vel auctoritate illius qui præeſt Communitati ſeu Reipublicæ.

Ergo ſoli Epiſcopi jure ordinario & divino ſunt diſpenſatores Indulgentiarum, quia ad Apoſtolos ſolùm & eorum ſucceſſores dictum eſt: *Quacumque*

solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Summus quidem Pontifex potest dispensare in tota Ecclesia; Episcopi verò in sua Diœcesi tantùm. Concilium tamen Lateranense IV. cap. *Cùm ex eo*, tit. de Pœnit. & Remiss. detraxit de Episcoporum potestate, ex eo quòd plures Episcopi abuterentur, in detrimentum ecclesiasticæ disciplinæ, per indiscretas & superfluas indulgentias, permittitque solùm ut indulgentias quadraginta dierum concedant, aut ad summum unius anni, cùm dedicatur Basilica.

Q. 2°. *Quis est ille thesaurus Ecclesiæ?*

R. Sunt bona spiritualia, quorum dispensatio credita est Ecclesiæ: bona autem illa sunt merita tum Christi, qui ex Apostolo 2. Cor. 8. *Propter vos egenus factus est, cùm esset dives, ut illius inopiâ vos divites essetis*, tum omnium Sanctorum etiam in terris degentium, ut docet Clemens VI. in Extravag. *Unigenitus*, tit. de Pœnitent. & remiss. anno 1350.

Q. 3°. *Quare in hoc thesauro reponuntur merita Sanctorum?*

R. Non reponuntur, ut aliquid addant meritis Christi; tum quia merita Christi sunt infinita, tum quia in Christo & per Christum vivimus, meremur & satisfacimus, inquit Concilium Tridentinum, cit. sess. 14. c. 8. Quemadmodum igitur in ordine naturali causæ secundæ cum omnipotentia Dei conjunctæ, non sunt quid intensivè majus & efficacius quàm ipsa omnipotentia solitariè spectata, cùm ex ea omnem vim & actum recipiant; similiter omnia Sanctorum merita cum meritis Christi conjuncta non sunt quid majoris pretii & æstimationis quàm merita Christi ab iis separata; illa quippè sunt emanationes à Christo, qui tanquam caput fidelibus membris suis tribuit spiritum, motum & meritum.

Reponuntur ergo, ut denotetur Communio Sanctorum in Ecclesia, quæ est Corpus Christi, & plenitudo ejus, ut loquitur Apostolus, Eph. 1. v. 23.

Cùm autem membra pro se invicem sint sollicita, fideles mutuò juvant orationibus, bonis operibus, & satisfactionibus, ex quibus partim conflatur thesaurus Ecclesiæ.

Q. 40. *Extatne in Ecclesia potestas, dispensandi illum thesaurum, & ex illo concedendi Indulgentias?*

R. De fide est extare, sic enim definiit Concilium Constantiense, sess. 15. adversùs Vvicleſum, & Concilium Tridentinum, sess. 25. adversùs Pseudoreformatos.

Probatur tum ex Scriptura, tum ex Traditione, Matth. 18. *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo*: hâc potestate usus est Apostolus, 2. Cor. 2. in gratiam incesti Pœnitentis, cui pœnam remisit *in persona*, id est, auctoritate Christi, *ne*, inquit, *abundantiori tristitiâ absorberetur*. S. quoque Cyprianus cum Collegis suis in Concilio Africano colligit ex citato c. 18. Matth. Apostolos & eorum successores accepisse potestatem ralaxandi ex legitima causa pœnas Pœnitentibus impositas aut imponendas, *cùm permiserit ipse qui legem dedit*, inquit, cap. 1. l. 4. ad S. Cornelium summum Pontificem, *ut ligata in terris, etiam in cœlis ligata essent: solvi autem possent illic quæ hîc priùs in Ecclesia solverentur, &c.* Et Ep. 13. ad eumdem S. Cornelium refert indulgentias solere concedi precibus Martyrum seu Confessorum, qui in carceribus pro fide detinebantur, libellosque supplices Episcopis offerebant pro pœnitentibus.

Q. 50. *Remittunturne per indulgentias pœnæ temporales justitiæ divinæ debitæ, & in futuro sæculo luendæ?*

R. Remittuntur. *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta* ET IN COELO, Matth. 18. Leo X. in sua Bulla contra articulos Lutheri, hunc inter cæteros perstrinxit, *Indulgentiæ his qui eas veraciter consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud divinam*

justitiam ; & hanc rationem affert sanctus Thomas in Supplem. quæst. 25, art. 1. nimirum, *Ecclesia ejusmodi indulgentias faciens magis damnificaret quàm adjuvaret, quia remitteret ad graviores pœnas, scilicet Purgatorii, absolvendo à pœnitentiis injunctis* (quibus expungitur reatus pœnæ longè acerbioris in altera vita luendæ) *Et ideo aliter dicendum quòd valent, & quantùm ad forum Ecclesiæ, & quantùm ad judicium Dei ad remissionem pœnæ residuæ post contritionem, confessionem & absolutionem, sive sit injuncta, sive non*, hoc est, sive injungenda per Canones.

Q. 60. *Valentne Indulgentiæ sine causa legitima concessæ?*

R. Conveniunt omnes Theologi Indulgentias sine legitima causa concessas, non esse ratas coram Deo, nec expungere reatum pœnæ in Purgatorio luendæ ; quia dispensatio sine causa, in iis quæ sunt juris divini, ut in votis, est prorsus irrita ; atqui pœna temporalis, quæ dimissâ culpâ supereſt, jure divino est expianda : ergo.

Q. 70. *Quæ requiruntur dispositiones, ut quis Indulgentiæ fructum consequatur?*

R. Requiritur 1o. immunitas ab omni peccato lethali, unde in Bullis pro Jubilæo, Indulgentiæ conceduntur *Contritis & Confessis.* Imo ut quis totum plenariæ Indulgentiæ fructum obtineat, necesse est ut purgatus sit ab omni culpa veniali, quia cuilibet peccato etiam levissimo debetur pœna, quæ remitti non potest remanente culpâ & affectu ad illam. 2o. Requiritur observatio eorum omnium quæ præscribuntur in Bulla, seu in concessione indulgentiæ : & quidem intra tempus præscriptum, v. g. intra unam hebdomadam, nisi Confessarius differendam censuerit absolutionem.

Q. 80. *Status gratiæ requirituine tanquam conditio necessaria ad ritè perficienda opera in Bullis injuncta.*

R. Sufficit ut impleantur animo verè pœniten-

ti & ab effectu peccati lethalis libero, dummodò ultimum opus sit ab homine contrito & confesso.

Q. 9°. *Estne certum plenariam indulgentiam eum fuisse consecutum, qui contritus & confessus accuratè præstitit quæ præscribuntur in Bulla?*

R. Minimè; graves enim Theologi, ut S. Antonius, Adrianus VI. & Cajetanus ante Concilium Tridentinum, Dominicus Soto & Joannes Hesselius, qui interfuerunt eidem Concilio, & post Concilium Navarrus, Estius, Sylvius, & alii recentiores non pauci, quin & plures Episcopi, ut Catalaunensis, Agennensis & Montis-Pessulani, in suis Catechismis de indulgentiis, docent indulgentias esse supplementum infirmitatis humanæ; non fomentum inertiæ, nec Prodesse nisi iis qui curant facere fructus dignos pœnitentiæ, alioquin enervaretur ecclesiastica disciplina, & Fideles procliviores ad peccandum redderentur, ut ait Sixtus IV. in Extravag. *Quemadmodum*, illudque illustrat Cajetanus exemplo accommodato in suo opere de Indulg. *In qualibet bene ordinata Republica*, inquit, *quantùmcumque rationabilis adesset quandoque causa dispensandi communem thesaurum in cives gravatos ære alieno, negligentes tamen solvere, indigni censerentur adjutorio thesauri; ex eo enim quod possunt de suo solvere & non curant, indignos se reddunt tali sublevamine.* Sanctus Cyprianus, Ep. 13. non vult ut Martyres pro hujusmodi dent libellos supplices, sed pro iis dumtaxat, *quos ipsi videtis, quos nostis, quorum pœnitentiam satisfactioni proximam conspiciitis.* Clemens VI. in citata Extravag. *Unigenitus*, docet indulgentias concedi ut cunctorum Fidelium augeatur devotio, fides splendeat, spes vigeat, charitas vehementiùs incalescat. Et Joannes Hesselius 2. Part. Catechismi, cap. 46. *Si plenariam*, inquit, *indulgentiam acciperet omnis qui utcumque contritus est & confessus, qui est in statu gratiæ, malè diceret Bonifacius VIII. Extravag.* Antiquorum,

quòd unusquisque plus mereretur & efficaciùs consequeretur indulgentias, qui Basilicas ipsas ampliùs & devotiùs frequentaret. Quare non est putandum, ut quidam docent, quòd quicumque indulgentiarum particeps fuerit, si statim moreretur, absque ulla pœna continuò ad Cœli gaudia transiturus sit. Nec propterea *aliquid adimitur efficaciæ indulgentiarum*, inquit Cajetanus, *sicut nihil adimitur efficaciæ Sacramentorum, ex hoc quòd oportet accedentes ad illa esse dispositos.*

Q. 100. *Quotuplicis generis sunt indulgentiæ?*

R. Aliæ conceduntur pro vivis, aliæ pro defunctis: aliæ partiales ad relaxandam dumtaxat partem pœnæ debitæ; aliæ plenariæ pro tota pœnæ remittenda. Et hæ sunt duplicis generis: aliæ vocantur simpliciter plenariæ; aliæ Jubilæus, vel ad Jubilæi instar, ut quæ conceduntur in summi Pontificis inauguratione & magnis Ecclesiæ calamitatibus. Jubilæus autem secundùm vim nominis Hæbraici idem est ac remissio, sive libertas.

Q. 110. *Differuntne indulgentiæ pro mortuis concessæ, ab aliis indulgentiis?*

R. Affirmativè; indulgentiæ enim pro vivis dantur per modum absolutionis & solutionis; pro defunctis verò per modum suffragii, quia Ecclesiæ in eos Jurisdictionem non habet. Responsio illustratur exemplo Regis, qui ex ærario suo sumit ad solvendos captivos, quorum alii in ejus carceribus detinentur, alii in carceribus alterius Principis. Priores Jurisdictionem exercet, eosque solvit propriâ auctoritate: posteriores verò suis solùm suffragiis juvat apud Principem, si fortè oblatam pro iis pecuniam velit accipere, ac liberos eos dimittere.

Q. 120. *In quo differunt indulgentiæ ad instar Jubilæi concessæ, ab aliis indulgentiis plenariis?*

R. Differunt solùm in quibusdam privilegiis, namque in præcipuo effectu qui est integra pœnæ debitæ remissio, prorsùs conveniunt.

Q. 13°. *Quænam sunt illa privilegia?*

R. In indulgentiis quæ sunt ad instar Jubilæi, 1°. Liberum est cuique eligere quem maluerit ex approbatis ab Episcopo Confessarium. 2°. Quivis Confessarius ab Episcopo approbatus potest absolvere ab omnibus peccatis, & censuris etiam reservatis sive Episcopo, sive summo Pontifici: (dico à *Censuris*, non verò ab irregularitatibus) & commutare vota, vel in iis dispensare (exceptis votis Religionis & castitatis perpetuæ) modò tamen sit causa sufficiens.

Dixi: *In indulgentiis quæ sunt ad instar Jubilæi*; nam in Jubilæo anni sacri Sacerdotes non possunt absolvere à casibus Episcopo reservatis, nisi ab ipso facultatem acceperint, sed tantùm à reservatis summo Pontifici; deinde ad effectum illius Jubilæi, non sufficit generalis Episcopi approbatio, sed requiritur specialis deputatio.

Caput VI.

De forma Sacramenti Pœnitentiæ.

Q. 1°. *Quænam est forma Sacramenti Pœnitentiæ?*

R. Sunt verba Sacerdotis: *Ego te absolvo in nomine Patris, &c.*

Ergo nec scriptis dari potest absolutio, quia scripta non sunt propriè verba, nec absenti, quia pronomen, *te*, supponit personam præsentem loquenti.

Q. 2°. *Singula verba suntne de essentia Sacramenti?*

R. Ista hæc duo verba, *te absolvo*, sufficiunt; quia satis exprimunt effectum Sacramenti; reliqua tamen ex præcepto sunt proferenda.

Dices: Forma Baptismi esset irrita & prorsùs nulla omissis his particulis, *in nomine Patris, &c.* ergo & forma Sacramenti Pœnitentiæ.

Nego conseq. & paritatem. Disparitas est quòd Christus ipse jusserit baptisandum, *in nomine Patris, &c.* At neque ex Scriptura, neque ex Traditione Ecclesiæ habemus in forma absolutionis necessariò exprimendum esse mysterium Trinitatis. Addi potest ratio convenientiæ ut aiunt, nempe quòd Baptismus, non verò Pœnitentia, sit solemnis professio Religionis Christianæ, cujus sanctissima Trinitas est primarium mysterium.

Q. 30. *Essetne valida forma enunciata modo deprecatorio?*

R. 1°. Græci eâ etiamnum utuntur, nec ea de re Latini unquam adversùs eos quæstionem moverunt; quin Clemens VIII. anno 1595. Græcis Romæ degentibus permisit usum formæ deprecatoriæ.

R. 2°. Apud Latinos à pluribus sæculis non valet, ut S. Thomas opusculo 22. multis probat, ac præsertim auctoritate Theologorum Parisiensium, qui ipsius ætate ita sentiebant. Sed & Patres Tridentini, sess. 14. cap. 3. disertè docent formam hujus Sacramenti positam esse in illis verbis, *Ego te absolvo*, præcesque iis adjuncta nequaquam pertinere ad ejus essentiam. Et ratio est quia ex dictis, de Sacramentis in genere, Christus non determinavit in specie omnium Sacramentorum formas, sicut materias.

Q. 40. *Quis est illorum verborum sensus?*

R. Tres sunt sententiæ.

Prima, eaque hæretica, in Concilio Tridentino damnata, sess. 14. can. 9. est Pseudo-reformatorum qui potestatem absolvendi à peccatis reponunt in nuda Evangelii prædicatione, quòd credentibus promittit peccatorum remissionem.

Secunda est Magistri Sententiarum, lib. 4. distinct. 18. & aliorum veterum, qui, ut supponunt ad Sacramentum Pœnitentiæ perfectam contritionem prærequiri, ideoque peccata jam esse remissa priusquam subjiciantur clavibus Ecclesiæ, concludunt eum esse sensum horum verborum, *Ego te*

absolvo, nempe, *Ego tanquam Judex à Christo constitutus, juridicè declaro peccata tua esse remissa.* Verùm, quamvis hæc sententia non sit damnata à Concilio Tridentino, quemadmodum asserunt Vega, Soto, Salmeron, qui Concilio interfuerunt, & Cardinalis Palavicinus in Historia ejusdem Concilii, lib. 10. cap. 12. est nihilominus notata à Facultate Parisiensi, anno 1638. ut temeraria & erronea. Et meritò quidem, namque ejusmodi sententia detorquet Christi verba: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, in sensum alienum; aliud quippe est remittere peccata, aliud declarare peccata esse remissa. Quare.

Tertia sententia cui adhærendum est, asserit eum esse horum verborum sensum, *Ego Sacramentum absolutionis tibi impendo*; ita sanctus Thomas, vel *ego do tibi, quantùm in me est, gratiam reconciliativam, seu peccatorum remissivam*, sicque vera est forma, etiam respectu illius qui priùs Deo reconciliatus, peccata clavibus subjicit, tum quia ille recipit gratiam peccati ex natura sua remissivam, tum quia ampliùs cum Deo reconciliatur & crescit in ejus amicitia, tum quia ipsi remittitur aliquid pœnæ temporalis.

Dices: Ex S. Augustino, Serm. 67. aliàs 8. de verbis Domini, Sacerdotes non solvunt pœnitentem à peccatis, nisi priùs vitam spiritalem à Christo exceperit, quemadmodum Apostoli non solverunt Lazarum nisi jam suscitatum & vivum: *Qui Confiteor*, inquit, *foràs prodit, foràs prodire non posset, nisi viveret: vivere non posset, nisi resuscitatus esset.* Et concio 2 in Psalm. 101. *Meritò per Ecclesiam peccatorum solutio dari potest: suscitari autem ipse mortuus, nonnisi intùs clamante Domino, potest.* Similia habet S. Gregorius, Homil. 26. in Evangelia. Et S. Hieronymus, in cap. 16. Matth. scribit: Sacerdotes non purgare à peccatis, sed purgatos pœnitentes pronunciare, sicut in veteri Lege leprosum non mundabat Sacerdos, sed mundatum declarabat: ergo.

Distinguo anteced. Nisi priùs vitam spiritualem acceperit, vitam, inquam, inchoatam, seu vitales motus pœnitentiæ, concedo: nisi acceperit vitam perfectam, quæ consistit in gratia sanctificante & charitate, per quam anima unitur Deo, qui est vita ipsius, nego anteced. Itaque resurrectio Lazari & resurrectio pœnitentis in altero conveniunt, & in altero discrepant. In eo ambæ conveniunt quòd nec Lazarus, nec pœnitens suscitari potuerint, nisi vivificam vocem Domini audivissent: discrepant verò quatenus Lazarus vocem Domini percipere non potuit, nisi postquam ejus anima iterum unita est corpori, à quo recesserat; nam ante ullam unionem, in qua essentialiter & divisibiliter consistit vita corporalis, corpus est planè mortuum, caretque omni sensu & motu vitali. Contra verò peccator priusquam infundatur gratia sanctificans, & per charitatem uniatur Deo, interiùs audit vocem Domini per gratias actuales, quæ sunt actus vitales, utpote illustrationes mentis, & piæ voluntatis affectiones, quibus movetur ad contritionem, & prodit foras per confessionem quodammodo vivus, propter ejusmodi actus vitales, ac tandem à peccatis solvitur manu apostolicâ. Nec aliud docet S. Hieronymus citato loco, ibi enim carpit supercilium quorumdam Sacerdotum, qui arbitrabantur se pro nutu posse damnare innocentes, & solvere noxios, cùm Sacerdos pro officio suo, *Postquam audierit peccatorum varietates*, exploraritque confitentium affectus & dispositiones, judicare debeat quis sit solvendus, quisve ligandus, quemadmodum Sacerdotes in veteri Lege discernebant inter lepram & lepram, mundum & immundum, & per sacrificia in lege præscripta leprosum sanatum solvant ab immunditia legali, & societati, ex qua ejectus fuerat, restituebant.

Q. 5o. *Quibus impertienda est aut neganda absolutio?*

R. 1o. Generatim loquendo, iis statim imper-

tienda est quos Confessarius prudenter judicat verè esse contritos, quia illi habent jus ad absolutionem; confessio quippe fit ad eam obtinendam, si nihil obstet ex parte confitentis, & Confessarius eam excipit hâc tacitâ conditione.

Dixi: *Generatim loquendo*, quia si Pœnitens versetur in morali ac veluti proximo labendi periculo, quantùmcumque contritus appareat, differenda tamen est absolutio, donec removerit peccandi occasionem, v. g. fornicariam emiserit controversiam, inimicitiarum causam diremerit.

R. 2°. Iis neganda est absolutio, quos moraliter certus est Confessarius, aut esse potest & debet per indigens examen, carere sufficienti contritione, quia numquam licet, sub quolibet necessitatis prætextu, celebrare Sacramenta alio ritu, & in alia materia quàm Christus instituit, v. g. Eucharistiam conficere alio pane quàm triticeo, baptisare alio liquore quàm aquâ; nam præterquàm quòd irritum esset Sacramentum & planè nullum, Minister reum se gravissimi sacrilegii constitueret; atqui vera contritio est à Christo instituta essentialis materia Sacramenti Pœnitentiæ: ergo nefas est illud administrare, si evidenter desit vera contritio. Unde meritò Innocentius XI. anno 1679. & Clerus Gallicanus, anno 1700. proscripserunt hanc propositionem: *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra Legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, & si emendationis spes nulla appareat, nec est deneganda, nec differenda est absolutio, dummodò ore proferat se dolere & proponere emendationem.*

Atque hæc ratio probat etiam denegandam absolutionem iis qui, etiamsi non sint conscii nisi peccatorum venialium, ea confitentur absque ullo sensu doloris & emendationis propositi, quia deest materia essentialis, sine qua non potest stare Sacramentum.

Ergo iis deneganda est absolutio, 1°. qui cum proximo inimicitias exercent, nec cum eo recon-

ciliari volunt, nec odium deponere, nec ſincerâ dilectione eos proſequi.

2°. Qui cùm æs alienum detineant, aut proximi famam læſerint, reſtituere vel ſatisfacere detrectant.

3°. Qui ſumptibus ſuperfluis debita contrahunt, quibus ſolvendis pares non ſunt, aut ſi pares, debita ſolvere negligunt, unde creditores, artifices, mercatores grave patiuntur detrimentum.

4°. Qui artes illicitas & prohibitas profitentur, ut uſurarii, & quicumque artibus quidem per ſe licitis utuntur ad illicita, ut Pictores qui pingunt tabellas, & Bibliopolæ qui divendunt libellos ad libidinem provocantes.

5°. Qui verſantur in proxima peccandi occaſione, ſive ex natura ſua inducat ad peccatum, ſive ex pœnitentis infirmitate. *Falſa ſit pœnitentia*, inquit Concilium generale Lateranenſe 2. can. 22. *cùm pœnitens ab officio vel curiali, vel negotiali non recedit* (adde paſtorali) *quòd ſine peccato agi nullâ ratione prævalet.*

6°. Qui ex negligentia culpabili ignorant prima fidei documenta, ut myſteria ſanctiſſimæ Trinitatis & Incarnationis. Ita Innocentius XI. anno 1679. & Clerus Gallicanus, anno 1700.

R. 3°. Iis differenda eſt abſolutio, (excepto caſu neceſſitatis) de quorum contritione & ſincera confeſſione meritò dubitare debet Confeſſarius, quia in Sacramentis conficiendis non licet uti materiâ dubiâ, præſertim ubi haberi poteſt certa; atqui contritio, de cujus veritate meritò dubitatur vel dubitari oportet, eſt materia neceſſaria Sacramenti Pœnitentiæ: ergo abſolutio tunc eſt differenda. Unde ſanctus Auguſtinus Enchir. cap. 65. *Quia*, inquit, *plerùmque dolor alterius cordis occultus eſt alteri, neque in aliorum notitiam* PER VERBA, *aut quæcumque ſigna procedit ... rectè conſtituuntur ab iis qui Eccleſiis præſunt, tempora pœnitentiæ, ut fiat ſatis etiam Eccleſiæ.* Et Yvo Carnotenſis epiſt.

228. *Rationis ordo hoc exigit, ut internus Judex* (nempe Deus) *tantò remittat celeriùs quantò solus magis viget interiùs: Judex verò, qui tantùm videt in facie usque adeò delinquentes sub peccati pœna, detineat, donec per* MANIFESTUM *pœnitentiæ fructum, quis sit pœnitentis affectus intelligat.*

Dixi: *Excepto casu necessitatis*, quia in extremis periculis Medicus cui desunt remedia indubitata, utitur dubiis, quibus spes salutis utcumque affulgere potest; melius enim est periclitantem ægrotum aliquâ spe recreari, quàm omnino desperare.

Porrò contritio debet esse dubia Confessario, quando pœnitens peccandi occasione implicatus profert in testificationem suæ conversionis, non preces fusas cum lacrymis, non opera, non mores emendatiores, sed verba dumtaxat, quibus pollicetur, sicut fortè in aliis confessionibus frustrà jam pollicitus est se ampliùs non peccaturum.

CAPUT VII.

De effectibus Sacramenti Pœnitentiæ.

Q. 10. *Quinam sunt effectus Sacramenti Pœnitentiæ?*

R. Quinque numerantur. 1°. Remissio peccati & pœnæ æternæ. 2°. Imminutio pœnæ temporalis, pro majori vel minori dispositione pœnitentis. 3°. Redintegratio amicitiæ cum Deo per peccatum violatæ. 4°. Restitutio & reviviscentia (ut loquuntur) virtutum ac meritorum quæ per peccatum fuerant deperdita. 5°. Auxilia actualia, seu jus ad illa accipienda tempore opportuno, quibus peccator justificatus possit deinceps vitare peccata, & in bono proficere ac perseverare. Hîc consulenda quæ dicta sunt de justificatione, tom. 2. pag. 375. ut intelli-

gat Confessarius quàm mira mutatio fieri debeat in corde peccatoris ad obtinendam remissionem peccatorum, colligatque ex effectibus quæ vera, quæve falsa sit pœnitentia?

Q. 2°. *Merita reviviscuntne in eodem perfectionis gradu?*

R. Gratia sanctificans, virtutum dona, & bonorum operum merita subsequente peccato mortificata, per absolutionem reviviscunt pro majori vel minori peccatoris pœnitentiâ, ita ut si pœnitentia ejus fuerit vehemens & intensa, per absolutionem recuperet quidquid meriti per peccatum amiserat: si verò fuerit admodum remissa, parum vel etiam nihil reparet. Ita sanctus Thomas, 3. parte, quæst. 84. art. 2. & art. 5. ad tertium, colligiturque ex Concilio Tridentino, sess. 14. cap. 2. ubi expressè docet lapsos post Baptismum nonnisi magnis fletibus & laboribus resurgere ad integram sanitatem.

Q. 3°. *Si quis post absolutionem iterum labatur, reviviscuntne similiter peccata per Sacramentum remissa?*

R. Non reviviscunt formaliter, quia Deus non potest restituere peccatum deletum, sicut restituit virtutes per peccatum subsequens extinctas, alioquin esset auctor peccati; sed reviviscunt virtualiter seu æquivalenter, quatenus lapsus recidivus ex peccatis per absolutionem remissis contrahit specialem malitiam graviori pœnâ plectendam, quemadmodum in judiciis humanis fur jam mulctatus, si furtum iteret, pejor judicatur, nec virgis dumtaxat cæditur, sicut priùs, sed laqueo suffocatur. *Dicendum*, inquit S. Thomas, 3. parte, quæst. 88. art. 2. *quòd peccata demissa per pœnitentiam redire dicuntur: in quantùm reatus eorum, ratione* INGRATITUDINIS, *virtualiter continetur in peccato sequenti.*

Caput VIII.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

Q. 1°. *Quis est Minister Sacramenti Pœnitentiæ?* R. Solus Sacerdos; dictum est enim solis Sacerdotibus, Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

Dices: Habetur Jac. 5. *Confitemini alterutrum peccata, & orate pro invicem, ut salvemini*: ergo.

Nego conseq. quia in laudato textu, vel non agitur de sacramentali Confessione, vel de eâ agitur. Si primum, textus non est ad propositum: si secundum, ut verisimilius videtur, sensus est, confitemini homines hominibus, non quibuslibet, sed Presbyteris, de quibus Apostolus immediatè præmiserat: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, ut orent super eum.... & si in peccatis sit, remittetur ei.* Ex quibus verbis statim infert Apostolus: *Confitemini alterutrum, &c.*

Instas: Constat ex Magistro Sententiarum, lib. 4. distinct. 17. & ex S. Thomas in hanc distinctionem, Laïcos excepisse confessiones in casu necessitatis.

R. Ex iisdem auctoribus, Confessio illa non erat sacramentalis: *Et ideo*, inquit S. Thomas, Supplem. quæst. 8. art. 2. ad tertium, *oportet quòd iterum confiteatur Sacerdoti, cùm copiam habere potuerit.*

Instas iterum: S. Cyprianus, Epist. 11. permittit Diaconis, absente Presbytero, Pœnitentes infirmos etiam absolvere, exceptâ eorum confessione.

Distinguo: absolvere à pœnis canonicis, eosque Ecclesiæ communioni restituere, ut sic ad Dominum proficiscantur, concedo: absolvere sacramentaliter à peccatis, nego.

Q. 2°. *Quilibet Sacerdos poteſtne eſſe Miniſter Sacramenti Pœnitentiæ?*

R. Non poteſt, niſi habeat juriſdictionem vel ordinariam, vel delegatam. Ordinaria eſt propria Sacerdotum qui curam habent animarum, ut Epiſcopi & Parochi: delegata, quæ à Prælatis conceditur quibus ex officio non incumbit cura animarum. Ita Concilium Lateranenſe IV. canone 21. & Concilium Tridentinum, ſeſſ. 14. cap. 7. his verbis: *Quoniam igitur natura & ratio judicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur, perſuaſum in Eccleſia Dei ſemper fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem.*

Dices 1°. In ſacra Ordinatione Epiſcopus manus imponens cuilibet Presbytero ordinato, ait: *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata, remittuntur eis.* Ergo quilibet Sacerdos habet poteſtatem abſolvendi à peccatis.

Diſtinguo conſeq. Habet poteſtatem incompletam, concedo: completam, nego conſeq. Sic qui donatur laureâ doctorali, accipit poteſtatem docendi, regendi & judicandi, quam tamen exercere non poteſt, niſi Beneficium aut Officium obtineat, vel mandatum accipiat.

Dices 2°. Sacerdos ſine juriſdictione validè baptiſat & infirmos ungit, quamvis illicitè: ergo & pœnitentes abſolvit.

Nego conſeq. & paritatem. Diſparitas eſt quòd forma aliorum Sacramentorum non ſit actus judicialis ſicut abſolutio: actus autem judicialis juriſdictionem neceſſariò ſupponit in Miniſtro.

Inſtas: Quilibet Sacerdos abſolvere poteſt à peccatis venialibus abſque juriſdictione: ergo.

Nego anteced. Contrarium enim declaravit Congregatio Cardinalium ſub Innocentio XI. anno 1679. his verbis: *Ne venialium Confeſſio fiat ſimplici*

Sacerdoti non approbato ab Episcopo aut Ordinario. Si Confessarii etiam Regulares, aut quicumque alii Sacerdotes secùs egerint, sciant Deo optimo-maximo se rationem reddituros esse, neque defuturam Episcoporum Ordinariorum justam & rigorosam animadversionem in contra facientes.

Q. 30. *Quis delegare potest ad audiendas confessiones?*

R. Juxta vulgare effatum, quivis habens jurisdictionem ordinariam delegare potest: Sed cùm ex ordinata delegatione multi orientur defectus & magna confusio non sine animarum pernicie, nempe Parochi nonnumquam delegabant vagos Sacerdotes, flagitiosos & incapaces: quin Regulares, etiam aliquando apostatæ sub prætextu privilegiorum Sedis apostolicæ, retinentibus aut insciis Pastoribus, indiscriminatim peccatores absolvebant, Concilium Tridentinum occurrit tantis malis saluberrimo hocce Decreto, sess. 23. cap. 13. de Reform. *Quamvis Presbyteris*, inquit, *in sua Ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen sancta Synodus nullum etiam* REGULAREM *posse confessiones* SECULARIUM, *etiam* SACERDOTUM, *audire, nec ad id idoneum deputari, nisi aut* PAROCHIALE BENEFICIUM, *aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat:* PRIVILEGIIS *& consuetudine quâcumque etiam immemoriali non obstantibus.*

Ex hoc itaque Decreto,

1°. Nullus Parochus potest ullum Sacerdotem delegare ad audiendas confessiones suorum Parochianorum, nisi ille fuerit ab Episcopo approbatus.

2°. Nequidem Sacerdotes seculares possunt absolvi à Sacerdote, qui nec habet Beneficium cum cura animarum, nec ab Episcopo est approbatus: contrariam doctrinam proscripserunt Alexander VII. anno 1665. & Clerus Gallicanus, anno 1700. Parochi tamen possunt sibi eligere quem voluerint

Confessarium, modò ille sit approbatus ab Episcopo; ita enim habetur cap. *Ne pro dilatione*, tit. *de Pœnit. & Remiss.*

3°. Revocata sunt hocce Decreto privilegia Regularium, si quæ antea habebant, absolvendi sine licentia Episcopi, sic enim habet, *Privilegiis & consuetudine quâcumque non obstantibus.* Ita declararunt summi Pontifices Pius IV. Constitutione, *In Principis Apostolorum*: S. Pius V. in Bulla, *Romani Pontificis*; Gregorius XIII. in Bulla, *In tanta negotiorum molle*; Clemens X. Constitutione, *Superna.* Ac tandem Rex Christianissimus Ludovicus XIV. uti canonicarum Sanctionum vindex, anno 1668. solemniori Edicto in toto Regno suscepto, sanxit ut circa approbationem servarentur quæ Concilium Tridentinum, Pius IV. S. Pius V. Gregorius XIII. Clemens VIII. Paulus V. Gregorius XV. Urbanus VIII. & Alexander VII. mandarunt, scilicet nullum Regularem idoneum esse ad audiendas Secularium confessiones, nisi obtentâ Episcopi approbatione, quam limitare & revocare possit absque eo, quòd revocationis causam aperire teneatur.

4°. In illo Decreto non comprehenduntur confessiones Regularium, quas proinde Sacerdos non approbatus ab Episcopo excipere potest cum consensu legitimo Superiorum Regularium.

Nomine autem Regularium hîc non intelliguntur Moniales, nam ex Constitutione, *Inscrutabili* Gregorii XV. nequidem Regulares possunt absolvere Moniales sibi subditas, etiam exemptas, absque approbatione Episcopi, & Clerus Gallicanus, anno 1700. hancce propositionem damnavit ut falsam, & à Concilii Tridentini mente alienam: *Religiosæ exemptæ possunt absolvi à Sacerdote non approbato ab Episcopo, sive Sacerdos ille sit Secularis, sive Regularis.*

5°. Decretum Concilii non spectat habentes Beneficium, cui cura animarum annexa est; Parochus enim eò ipso censetur approbatus ad excipien-

das confessiones suorum Parochianorum, quò Episcopus Beneficium pastorale ipsi contulit; sed si dimiserit Beneficium, indiget approbatione.

Dixi: *Suorum Parochianorum*, quia ad excipiendas exterorum confessiones, satis non est ut habeat proprii Parochi consensum, sed requiritur approbatio Episcopi saltem tacita. Est autem tacita, cùm Episcopus non contradicit consuetudini quodammodo necessariæ, secundùm quam vicini Parochi, etiam diversæ Diœceseos, sese mutuò juvant ad sustinenda pastoralia onera.

Q. 4°. *Quid si Parochus, stante illâ consuetudine, prohibeat ne Parochiani apud alium Parochum peccata deponant?*

R. Si prohibitio illa sit potiùs in destructionem quàm in ædificationem, recurrendum est ad Episcopum; neque enim Episcopi in Concilio Lateranensi IV. quidquam à sua auctoritate detraxerunt, cùm canone, *Omnis utriusque sexûs*, sanxerunt sine licentia proprii Sacerdotis, qui est Parochus, alienum Sacerdotem non posse solvere nec ligare. Unde meritò Joannes XXII. damnavit propositionem Joannis de Poliaco Theologi Parisiensis, qua asserebat statuto canone, *Omnis utriusque sexûs*, nec Episcopum, nec Papam efficere posse, ut confessio facta alieno Sacerdoti sine consensu proprii valeret. Similem propositionem perstrinxit Clerus Gallicanus, anno 1655. Enimverò quis crederet Regem, stante Edicto, quo sanxit omnes cives jus suum prosecuturos coram Judice, quem in Provincia eis constituit, non posse ex speciali gratia, nec debere ex causa alium Judicem nonnullis constituere?

Q. 5°. *Qui Religionis causâ ex diversis Diœcesibus peregrinantur ad sacras quasdam Ædes, possuntne ibi à peccatis absolvi?*

R. Si malâ fide & primariò illuc proficiscantur, ut disciplinam suæ Diœceseos declinent, absolvi nequeunt: si verò bonâ fide & Religionis causâ primariò

mariò illuc peregrinentur, absolvi possunt, Sacerdotes enim illius loci tacitè sunt approbati. Idem dicendum de Parochiano, qui cujusdam negotii causâ, diversaretur ad tempus in aliena Parochia; secùs, si sine consensu expresso vel tacito ad eam proficisceretur, ut ibi peccata deponeret. Ita declarat Concilium Senonense, anno 1524. *Interrogent Sacerdotes*, inquit, *pœnitentes ad confessionem accedentes, an sint Parochiani; quia non debent absolvere nec audire in confessione nisi suos Parochianos.*

Q. 6°. *Quot modis limitari potest approbatio?*

R. Quatuor 1o. Quando locum, quomodo solent approbari Vicarii Parochorum, scilicet ut audiant confessiones in Parochia dumtaxat ipsis designata. Consultò tamen Episcopi addere solent, *& in vicinia*, propter frequentes quæ occurrunt occasiones ferendi opem vicinis Parochis & Parochianis. 2°. Quoad personas, putà Seculares; Moniales enim non comprehenduntur in approbatione generatim concessa, sed specialis requiritur ad earum confessiones excipiendas, ut constat tum ex laudata Bulla Clementis X. *Superna*, tum ex universali praxi Ecclesiæ Gallicanæ. 3°. Quoad tempus, v. g. ad annum, in quo non censetur comprehendi tempus Paschale; in generali enim concessione Prælatus non censetur derogare juri communi, nisi exprimat. 4o. Quoad casus, quos sibi reservant summus Pontifex & Episcopi.

Q. 7°. *Quot requiruntur ut casus in individuo censeatur reservatus?*

R. Quatuor 1o. Ut actus sit lethaliter malus, cùm enim peccata venialia non sint materia Sacramenti Pœnitentiæ necessaria, retineri aut reservari nequeunt; unde si confessarius advertat peccatum pœnitentis non pertingere ad malitiam moralem defectu sufficientis consensûs aut propter levitatem materiæ, poterit illum absolvere. Idem dicendum in dubio probabili peccaveritne lethaliter, vel non. 2o. Actus debet esse exterior. 3o. Satis non est ut ex

corde exierit, ſed inſuper requiritur ut peccatum ſit conſummatum, niſi aliter in lege ſeu ſtatuto expreſſum fuerit, quemadmodum provocatio ad duellum & ejus acceptatio, etiamſi non ſequatur conflictus, lege communi reſervantur, & in quibuſdam Diœceſibus tactus impudici, & alia obſcœna confeſſarium inter & pœnitentem, etiam ſeclusâ copulâ carnali. 4°. Requiritur ut peccatum ſit à pubere commiſſum; pubertas autem incipit in maſculis ab anno decimo-quarto completo, & in fœminis à duodecimo completo.

Q. 8°. *Quis poteſt abſolvere à caſibus reſervatis?*

R. 1°. Generatim qui eos ſibi reſervavit, & quos ipſe ſpecialiter delegavit.

R. 2°. In articulo mortis quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus, poteſt abſolvere ab omnibus peccatis & cenſuris, ſi deſit alter Sacerdos approbatus; ita Concilium Tridentinum, ſeſſ. 14 cap. 7.

R. 3°. Epiſcopi juxta declarationem Concilii Tridentini, ſeſſ. 24. cap. 26. de reformatione, abſolvere poſſunt ab omnibus peccatis & cenſuris ſummo Pontifici reſervatis, ac irregularitatibus, non quidem ex defectu, ſed ex delicto, (homicidio voluntario excepto) modò illa deducta non ſint ad forum contentioſum.

R. 4°. Regulares nullum habent privilegium à Sede Apoſtolica abſolvendi à caſibus Epiſcopo reſervatis; ita Clemens X. in ſua Bulla *Superna*, anno 1670. Præiverant Clemens VIII. anno 1601. Urbanus VIII. anno 1628. Alexander VII. anno 1659. in ſuo Brevi ad Epiſcopum Andegavenſem, in quo damnat propoſitionem quorumdam Regularium, aſſerentium id ſibi competere ex privilegio, tanquam falſam Epiſcoporum auctoritati & Apoſtolicæ ſedi injurioſam.

Q. 9°. *Sic abſolutus in articulo mortis à peccatis & cenſuris reſervatis, ſi convaluerit, teneturne ſe ſiſtere coram ſuperiore ſub pœna reincidentiæ, ut aiunt, in ſimiles cenſuras?*

R. 10. Non tenetur, si absolutus est in articulo mortis, nec peccata habeant annexam censuram. Dico, *In articulo mortis*, quia si ex alia necessitate fuerit absolutus à non habente potestatem absolvendi à casibus reservatis, putà quia absque infamia & scandalo non potuit remitti ad superiorem, tenetur ad eum postea recurrere; & ratio discriminis est, quòd in articulo mortis omnis Sacerdos, deficiente altero, specialiter approbato, directè absolvit à peccatis & censuris, utpotè quin in illo extremo casu jurisdictionem habeat ab Ecclesia; in casu autem alterius necessitatis indirectè solùm absolvat à peccatis reservatis, cùm non sit ad id specialiter approbatus.

R. 20. Si in articulo mortis absolutus est à censuris reservatis, ex Bonifacio VIII. in Sexto, tit. de Sententia Excommunicationis, ipso jure reincidit in similem censuram, si ad superiorem recurrere negligat: verùm canon ille non est ubique in Gallia receptus. Quare quisque consulere debet librum Ritualem suæ Ecclesiæ.

Q. 10°. *Sacerdos qui non habet potestatem absolvendi à reservatis, auditâ pœnitentis confessione, potestne eum absolvere à non reservatis, & remittere ad superiorem pro reservatis?*

R. Affirmarunt S. Antonius, Dominicus Soto, Cajetanus, & alii quamplurimi ex veteribus, atque ex iis S. Carolus Borromæus, quartâ parte Actuum Mediolanensium; sed hodierna praxis est omninò contraria & sequenda. Quin laudati Pontifices S. Clemens VIII & Urbanus VIII. declararunt ejusmodi absolutiones esse irritas & prorsùs nullas, nisi concessæ fuerint in casu necessitatis ad vitandam infamiam pœnitentium, ut jam dictum est.

Q. 11o. *Qui confessus est habenti potestatem absolvendi à reservatis, sed vel oblitus est aliquod peccatum reservatum, vel confessio ejus fuit nulla defectu sufficientis contritionis, teneturne iterum adire superiorem?*

R. 10. Qui in Jubilæo omnia præstitit ad lucrandas indulgentias, & verè pœnitens confessus est, potest absolvi à quolibet Sacerdote approbato, si postea recordetur se ex oblivione inculpabili non declarasse aliquod peccatum reservatum, quia summus Pontifex Jubilæi gratiâ expresse tollit omnem peccatorum & censurarum reservationem. 2°. Si confessio fuit nulla defectu sufficientis contritionis, peccata ejus manent reservata, tam ea quæ confessus est, quàm ea quæ fuit oblitus; quia gratia Jubilæi non conceditur nisi verè pœnitentibus. Idem à fortiori dicendum de eo qui sine debita contritione confessus est superiori, quia superior non tollit reservationem nisi sacramentaliter absolvendo, vel ad inferiorem remittendo. 3°. Si confessio facta superiori fuit rata ac valida, plures ex modernis asseruerunt sublatam esse reservationem peccati omissi ex oblivione inculpabili, sed absque fundamento: afferunt nonnullas rationes, quas *convenientias* vocant; sed quis nesciat ex iis solis nihil certò concludi?

Caput IX.

De necessitate Sacramenti Pœnitentiæ.

Q. 1°. *Sacramentum Pœnitentiæ estne necessarium?*

R. 1°. Constat ex dictis esse necessarium necessitate tum medii, tum præcepti divini; quia illud est necessarium necessitate medii, sine quo non potest obtineri remissio peccatorum, nec proinde salus æterna; scriptum est enim, Apoc. 21. *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum*; atqui sine Sacramento Pœnitentiæ, saltem in voto, non potest obtineri remissio peccatorum quæ post Baptismum commissa sunt: *Quorum retinueritis* (peccata) *retenta sunt*, ait Dominus, Joan. 20. ergo. Porrò

quæ ex Dei instituto necessaria sunt necessitate medii, ea quoque sunt necessaria necessitate præcepti divini. Cùm autem Deus non determinaverit, sed Ecclesiæ determinandum reliquerit, quando lapsi post Baptismum ad Sacramentum Pœnitentiæ recurrere debeant.

R. 2°. Præcepto ecclesiastico fideles adulti tenentur peccata sua confiteri saltem semel in anno; sic enim habetur can. Concilii Lateranensis 4. ubique recepto, & confirmato à Synodo Tridentina, sess. 14. cap. 5. & can. 8. verba Concilii Lateranensis sunt: *Omnis utriusque sexûs fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere... alioquin & vivens ab Ecclesiæ ingressu arceatur, & moriens christianâ careat sepulturâ.*

Plura circa hunc Canonem diligenter sunt notanda.

1°. Hâc lege tenentur omnes fideles, sive masculi, sive fœminæ, cùm ad annos discretionis pervenerint, etiamsi nondum judicentur satis idonei, quibus Eucharistia conferatur. Prudens autem illa ætas accedit aliis citiùs, putà 6. & 7. anno, aliis tardiùs, v. g. anno 8. Quapropter à sexto anno offerendi sunt Sacerdoti, & ab ipso probandi num sint capaces absolutionis. Ita S. Carolus Borromæus in Instit. ad Confessarios.

2°. Proprius Sacerdos qui, aut ex cujus consensu, fideles confiteri debent, intelligitur in hoc Canone is à quo Eucharistiam tempore Paschali teneatur recipere, qui in omnium sententia est Parochus; ita tamen ut non excludantur summus Pontifex & Episcopi, ut jam observavimus.

3°. Canon non determinat quo anni tempore fideles confiteri debeant, sed ex usu assignatur tempus Quadragesimæ. *Quem morem*, inquiunt Patres Tridentini, citato cap. 5. *hæc sancta Synodus maxi-*

mè probat & amplectitur tanquam pium & ... retinendum. In Ecclesia verò Gallicana determinatur tempus Paschale, scilicet à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis inclusivè. Ita Clerus Gallicanus, anno 1625, 1635, & 1640.

4°. Cùm Lateranense Concilium novam Legem non statuerit, quemadmodum observant Patres Tridentini cit. cap. 5. sed prohibuerit ne fideles præceptum divinum ultra annum implere differrent; qui non est confessus tempore Paschali, tenetur quamprimùm confiteri, peccatque quandiù sine causâ procrastinat, sicut debitor qui non solvit termino præscripto, liber non est à debito, sed tenetur quantò citiùs solvere.

5°. Pœna interdicti non est latæ sententiæ, sed ferendæ dumtaxat. Quare Parochus non potest arcere ab ingressu Ecclesiæ, nec privare ecclesiasticâ sepulturâ Parochianum qui in Paschate non est confessus, nisi priùs intervenerit sententia superioris.

Q. 2°. *Qui conscii non sunt nisi peccatorum venialium, teneturne præcepto?*

R. Dissentiunt Theologi. Plures negant, alii affirmant, ut S. Bonaventura in quartum dist. 17. part. 2. art. quæst. 2. & S. Thomas eadem dist. quæst. 3. art. 1. quæstiuncula 3. ad tertium, ubi sic habet: *Ex vi Sacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri, sed ex institutione Ecclesiæ, quando non habet alia quæ confiteatur.*

Q. 3°. *Satisfitne præcepto per confessionem irritam & nullam?*

R. Minimè; tum quia contraria opinio proscripta est ab Alexandro VII. anno 1665. & à Clero Gallicano, anno 1700. tum quia debitor non satisfacit per nummum adulterinum & nullius valoris.

Q. 4°. *Qui tempore Paschali confitetur Sacerdoti approbato, sed sine licentia proprii, satisfacitne præcepto?*

R. Si adsit consensus tacitus Episcopi, ut in Diœcesibus in quibus non urgetur executio, Canonis

Omnis utriusque sexûs, satisfacit : secùs si eam Episcopus urgeat, ut in Rhemensi, Catalaunensi & Virdunensi, in quibus ejusmodi confessio declaratur irrita & iteranda, ut habetur cit. Canone.

Q. 5°. *Licetne Parocho copiam facere petentibus Parochianis adeundi quos voluerint ex Sacerdotibus ab Episcopo approbatis?*

R. Licet, si benè sint morati; secùs, si malè, videanturque petere in fraudem disciplinæ.

Dices : In tuto est illius conscientia qui prudenter agit; atqui prudenter agit Pastor qui oves sibi creditas iis committit quos Prælatus peritos & idoneos judicavit; ergo.

Distinguo min. Si aliundè non constet obreptivè obtentam approbationem, concedo; si constet, nego min. Prælatus enim ipse suam sententiam rescindit, ubi sibi obreptum comperit. Nempè aut imperitos judicavit peritos falso aliorum testimonio deceptus; aut cùm essent periti, ad nutum ejus in examine responderunt, & in praxi laxiores & pernicioſas sequuntur opiniones; aut sanæ sunt doctrinæ, sed melioris indolis, & ad omnem auram versatilis. Ejusmodi autem vitia, non in examine, sed solâ experientiâ & usu deprehendi queunt. Porrò Parochus qui in propria causa non staret judicio sui Prælati per obreptionem contra se lato, stabit in causa Christi, in qua agitur de æterna salute ovium quas proprio sanguine redemit: Absit.

Sed esto, extranei confessarii omnes sint peritissimi, sanæ doctrinæ, & strenui vindices legis divinæ & ecclesiasticæ, adhuc timendum est ex parte ficti pœnitentis, nisi mittatur ad probatos confessarios, qui ex publica fama illum noverint; is quippè cùm nulla sit illi religio in multis offendere, v. g. usuras exercere, contractus injustos inire, suo officio in gravioribus deesse, certo certiùs confessario etiam prudentissimo obrepet ignotus.

TRACTATUS DE SACRAMENTO EXTREMÆ-UNCTIONIS.

Q. 1°. *Extrema-unctio eſtne Sacramentum propriè dictum, à Chriſto Domino inſtitutum?*

R. Affirmativè, idque fide divinâ credendum definiit Concilium Tridentinum, ſeſſ. 14. can. 1. de Extremâ-Unctione. Probaturque ex Scriptura, Jacob. 5. ſic habet Apoſtolus: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum; & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Ex quibus verbis ſic conficitur argumentum. Tria ſunt neceſſaria & ſufficiunt ad Sacramentum novæ Legis propriè dictum 1°. Signum ſenſibile divinitus inſtitutum. 2°. Promiſſio gratiæ hinc ſigno annexa. 3°. Mandatum obſervandi ejuſmodi ſignum; atque hæc tria habentur in laudatis verbis Apoſtoli: ergo.

Minor probatur quoad ſingulas partes.

1°. Unctio & oratio ſunt ſignum ſenſibile & quidem à Chriſto inſtitutum, à ſancto autem Jacobo dumtaxat promulgatum; virtus enim humana efficaciam tribuere non poteſt ejuſmodi unctioni, quam Apoſtolus illi aſſerit.

2°. Promiſſio gratiæ huic ſigno annexa eſt: *Oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Ergo tres ſunt effectus hujus Sacramenti. Primus eſt ſanitas corporis, *Oratio fidei ſalvabit infirmum*, ſi tamen

ſaluti animæ expediat, ad quam Sacramenta ſunt primariò inſtituta. Unde ſanctus Thomas in quartum, diſt. 23. quæſt. 1. art. 2 *Quia*, inquit, *operans numquam inducit ſecundarium effectum, niſi ſecundùm quod expedit ad principalem; ideò ex hoc Sacramento non ſequitur corporalis ſanatio ſemper, ſed quando expedit ad ſpiritualem ſanationem, tum ſemper eam inducit dummodò non ſit impedimentum ex parte recipientis.* Secundus effectus iſque primarius, eſt allevatio animæ abſtergendo peccati reliquias. Tertius eſt peccati etiam mortalis remiſſio, quia ex ſancto Thoma, lib. 4. contra gentes, cap. 73. *Contingit quòd homo omnium peccatorum quæ commiſit notitiam vel memoriam non habet, ut poſſit per pœnitentiam ſingula expurgare, ſicut etiam quotidiana peccata, ſine quibus præſens vita non agitur, à quibus oportet hominem in ſuo exitu per hoc Sacramentum emundari.* Unde meritò Sacramentum Extremæ-Unctionis dicitur à Patribus Tridentinis pœnitentiæ conſummativum.

Q. 20. *Quid per reliquias peccatorum intelligitur?*

R. Humani defectus & infirmitates ex peccato contractæ, ut torpor animi, mœror & anxietas, quæ morti vicinum magis vexare ſolet & diffidentiam provocat: *Allevatur*, inquit Catechiſmus Romanus, *& erigitur ægri animus divinæ bonitatis ſpe, eaque corroboratus morbi incommoda omnia fert leviùs, ac ipſius Dæmonis calcaneo inſidiantis artificium & calliditatem faciliùs eludit.*

Ergo materia remota hujus Sacramenti eſt oleum, *Ungentes eum oleo*, & quidem olivarum; quod eſt oleum ſimpliciter dictum, ſicut aqua naturalis dicitur ſimpliciter aqua, & panis triticeus, ſimpliciter panis.

Ergo materia proxima eſt ipſa unctio, ſicut ablutio in Baptiſmo, *Ungentes eum*, ait Apoſtolus. Ad Sacramenti autem veritatem una ſufficit unctio; ex præcepto verò Eccleſiæ multiplex adhibetur pro cu-

juſque Diœceſeos diſciplina conſulenda, ſi per tempus liceat.

Ergo forma hujus Sacramenti eſt oratio quæ unctionem comitatur, *Orent ſuper eum ungentes.*

Ergo miniſter eſt ſolus Sacerdos, *Inducat Presbyteros Eccleſiæ.*

Ergo ſubjectum eſt infirmus baptiſatus & adultus, *Infirmatur quis in vobis.?* Græci tamen ungunt ſanos & infirmos; quia, inquiunt, etſi ſanctus Jacobus dicat ungendos infirmos, ſanos tamen non excludit.

Dixi: *Adultus*, pueri enim non ſunt ungendi ante uſum rationis, cùm in iis nulla peccata ſint abſtergenda, nullæve peccatorum reliquiæ.

Q. 3°. *Eſtne de neceſſitate Sacramenti ut oleum ſit ab Epiſcopo benedictum?*

R. Diſſentiunt Theologi. In Eccleſia Orientali Presbyteri benedicunt oleum quo inungunt infirmos. Quare ſi Sacerdos advertat incautè ſe adhibuiſſe oleum Cathecumenorum aut Chriſma pro oleo infirmorum, obſervabit Decretum Innocentii III. cap. *Paſtoralis*, tit. *de Sacramentis non iterandis: In talibus nihil eſt iterandum, ſed cautè ſupplendum quòd incautè fuerat prætermiſſum*; quia in Sacramentis conferendis non licet ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, ex Decreto Innocentii XI. anno 1679. & ex Clero Gallicano, anno 1700.

Q. 4°. *Quid aget Parochus quando oleum benedictum deficit?*

R. Priuſquam totaliter deficiat, admiſcebit non conſecratum, ex cap. *Quod in dubiis*, tit. *de Conſecratione Eccleſiæ.*

Q. 5°. *Poteſtne iterari illud Sacramentum?*

R. Poteſt, ſi ſtatus morbi ſit diverſus, & infirmus per aliquod tempus ex morbo revera convaluerit, quia illud Sacramentum non imprimit caracterem. Iterari autem non debet eodem morbo permanente, quia datur per modum medicinæ per ſe efficacis ad expellendum illum morbum.

Q. 6°. *Quanam requiritur dispositio in suscipiente illud Sacramentum?*

R. Per se requiritur status gratiæ, quia est Sacramentum vivorum; per accidens autem sufficit attritio, nempè si ægrotus non confessus amisit usum rationis.

Q. 7°. *Quid observabit Sacerdos cui constat infirmum ante delirium peccasse mortaliter, nec ullæ pœnitentiæ signa dedisse?*

R. Observabit num per tempus potuerit doluere de peccato, in qua hypothesi Sacramentum ministrabit; in extremo enim periculo satius est Sacramentum exponere quàm hominis salutem, propter quam institutum est. Sed si constat impœnitentem amisisse usum rationis, ut si præ nimia crapula eâque lethali, rationis factus impos animam exhalaturus sit, Sacramentum ministrare non debet.

Q. 8°. *Intentio estne necessaria in suscipiente Sacramentum Extremæ-Unctionis?*

R. Interpretativa sufficit. Habetur autem hujusmodi intentio, quando quis, etsi Sacramentum priùs non expetierit, nec de eo fortè cogitaverit, præsumitur illud fore experiturum, si rationis esset compos.

Q. 9°. *Extatne præceptum divinum recipiendi illum Sacramentum?*

R. Non conveniunt Theologi; de eo tamen idem dicendum videtur quod de Sacramento Confirmationis suprà diximus, nempè jure divino & ecclesiastico esse præceptum; sicut enim Confirmatio est perfectio Baptismi, sic Extrema Unctio in omnium mente est perfectio & consummatio pœnitentiæ; illa quidem ut sanum adversùs Religionis christianæ hostes corroboret; ista ut infirmum confirmet adversùs Dæmonis tentationes, quæ in vitæ exitu solent esse acriores.

Q. 10°. *Estne præceptum administrandi Sacramentum Extremæ Unctionis?*

R. Pastores saltem ad id tenentur jure divino &

ecclesiastico, sunt enim dispensatores mysteriorum Dei; infidelis autem est dispensator, qui bona Domini in commodum aliorum accepta non erogat. Adde Sacramentum Extremæ Unctionis posse per accidens esse necessarium necessitate medii, ut contingit quando infirmus lethali peccato gravatus, nec perfectè contritus, non est capax alterius Sacramenti.

Quæ strictim hîc percurrimus, fusiùs exposita habentur, tom. 6. omnino consulenda, ut pateat quanti faciendum sit illud Sacramentum.

TRACTATUS DE SACRAMENTO ORDINIS.

CAPUT PRIMUM.

De nomine, definitione, & existentia Sacramenti Ordinis.

Q. 1°. *Quare Sacerdotium vocatur Ordo?*

R. Quia Ordo generatim est dispositio superiorum & inferiorum rerum quæ inter se ita aptatæ sunt, ut una ad alteram referatur; sic Congregationes Monachorum & Monialium Ordines vocitari solent, sunt quippe conflatæ ex personis aptè inter se dispositis ad serviendum Deo speciali & distinctâ quâdam vivendi ratione; atqui Sacerdotium conferat homines, & in distinctis ho-

norum gradibus aptat ad celebrandum Euchariſtiæ Sacrificium, & ad obeunda ſpiritualia miniſteria erga plebem : ergo meritò dicitur Sacramentum Ordinis.

Ritus autem quo conſecrantur hujuſmodi perſonæ eſt Sacramentum, ut ſtatim dicetur, non verò earum ſtatus : Sacramentum quippe Ordinis non eſt quid permanens, ſed eſt actio tranſiens, quæ in ipſa conſecratione conſiſtit, & ex qua efflorescit ſtatus ſacerdotalis ſeu clericalis.

Q. 2°. *Ordo eſtne Sacramentum novæ Legis propriè dictum* ?

R. Affirmativè, & eſt de fide ; ſic enim definiit Conc. Trident. ſeſſ. 23. can. 3. *Si quis dixerit Ordinem ſive ſacram Ordinationem non eſſe verè & propriè Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum.... anathema ſit.* Probatur ex Scriptura, 2. Tim. 1 v. 6. *Admoneo te ut reſſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* In his verbis tria notantur ad verum Sacramentum requiſita. 1°. Signum externum, nempe impoſitio manuum. 2°. Gratia huic ſigno annexa. 3°. Divinum mandatum. Apoſtoli enim & eorum ſucceſſores non ſine divino mandato illum ritum gratiæ productivum obſervarunt.

Q. 3°. *Quomodo definitur Sacramentum Ordinis* ?

R. Definitur Sacramentum novæ Legis, quo ſpiritualis poteſtas tribuitur homini baptiſato ad Euchariſtiam conficiendam, & ad omnia eccleſiaſtica miniſteria ritè & ex ordine obeunda.

Dicitur 1°. *Sacramentum novæ Legis*, ut denotetur genus in quo ordinatio convenit cum aliis Sacramentis.

Dicitur 2°. *Quo ſpiritualis poteſtas tribuitur ad Euchariſtiam, &c.* quæ verba locum obtinent differentiæ ; Ordo quippe à cæteris Sacramentis eſſentialiter diſtinguitur, quatenus totus eſt primariò ad ſacrificium Corporis & Sanguinis Domini ritè offerendum : *Cùm autem divina res ſit tam ſancti-*

Sacerdotii ministerium, inquiunt Patres Tridentini, sess. 23. cap. 2. *consentaneum fuit, quò dignius & majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesia ordinatissima dispositione plures & diversi essent Ministrorum Ordines, &c.*

Ergo gradus honoris qui cernuntur in statu ecclesiastico, non sortiuntur nomen & rationem Ordinis ac Sacramenti, nisi quatenus referuntur ad Eucharistiæ sacrificium.

Ergo Archiepiscopatus & primatus summi Pontificis non sunt Ordines nec Sacramenta, quia præcisè sumpti non spectant sacrificium, sed regimen Ecclesiæ. Nec Episcopatus esset Ordo distinctus à presbyteratu, nisi speciali modo referretur ad sacrificium, ut suo loco explicabitur.

Dicitur 3°: *Homini baptisato*, tum quia sine baptismali caractere nullus est capax aliorum Sacramentorum; tum quia mulieres jure divino arcentur à sacris ministeriis, 1. Cor. 14. *Turpe est mulierem loqui in Ecclesia.* Hinc Diaconissæ de quibus frequens fit mentio apud scriptores ecclesiasticos, non ordinabantur ad Sacerdotium nec ad ullum ministerium circa altare, sed imperitas mulieres docebant. Neophytas ad sacrum Baptismatis fontem immergendas exuebant, & eductas suscipiebant, viduis ministrabant.

Dicitur 4°. *Et ad omnia ecclesiastica ministeria, &c.* ut distinguatur regimen ecclesiasticum à politico; Sacerdotes enim administrant solùm spiritualia, Reges verò & Principes temporalia, juxta illud Osii Episcopi Cordubensis ad Constantium Imperatorem: *Ne te misceas Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potiùs ea à nobis disce; tibi Deus imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit.*

Ergo si summus Pontifex & nonnulli Episcopi res etiam temporales administrant, (quod Christus non vetuit) illud habent ex dono & munificentia Principum, non ex institutione divina, nec vi sui Sacerdotii.

Ergo in Ordine duplex est potestas. Prima spectat Corpus Christi reale, seu sacrificium, dicitur-que potestas Ordinis. Secunda ordinatur ad regendum Corpus Christi mysticum, seu fideles, vocaturque potestas jurisdictionis, quia per eam confertur jus docendi & regendi fideles ad vitam æternam.

Potestas autem jurisdictionis, sicut & potestas Ordinis, habet distinctos honoris gradus, ex quibus exurgit hierarchia ecclesiastica, seu sacer principatus.

Definitur autem hierarchia, personarum sacrarum ordinata potestas debitum in subditos retinens principatum, & quidem jure divino, ut definiit Concilium Tridentinum, sess 23. can. 6. his verbis: *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam divinâ ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris & Ministris, anathema sit*, Christus enim ad consummationem Sanctorum, & in ædificationem Corporis sui mystici, ut loquitur Apostolus, Ephes. 4. instituit Episcopos, Presbyteros & Diaconos in diversis gradibus ad regendam suam Ecclesiam.

Ergo jurisdictionis potestas magis circumscripta est in minoribus Prælatis, hoc est Parochis, quàm in Episcopis: sed amplissima est in summo Pontifice, ut omnes Ecclesiæ Ministri inter se divinitùs aptari & connexi per omnem juncturam submini-strationis, (verba sunt Apostoli, cit. cap. 4.) Ecclesiam exhibeant velut terribilem castrorum aciem ordinatam, advèrsùs quam portæ inferi non prævalebunt.

Dices: Diaconi, ut fert eorum nomen, sunt ad ministrandum Episcopo & Presbytero: ergo nullum habent principatum, nec proinde sunt hierarchici.

Nego conseq. Mandata enim ita accipiunt ab Episcopo & Presbytero, ut ea cum potestate exequantur circa plebem sibi subditam; quemadmodum Præfecti Provinciarum & Urbium in iis principatum exercent, dum mandata à Rege accepta observari curant.

Q. 4°. *Potestas Ordinis & potestas jurisdictionis simulne semper conferuntur?*

R. Minimè, Christus enim in ultimâ Cœnâ, in qua Apostolos constituit Sacerdotes contulitque potestatem Ordinis, non dedit eis potestatem jurisdictionis, nisi post Resurrectionem, Joan. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*; nunc quoque plures inaugurantur Presbyteri quibus non confertur potestas jurisdictionis, utpote qui non ordinentur ad Beneficium Pastorale, ac proinde accipiunt potestatem Ordinis absque potestate jurisdictionis. Contrà verò Clericus institutus ad Beneficium Pastorale, necdum Presbyter, habet potestatem jurisdictionis sine potestate ordinis.

Q. 5°. *Utra potestas est nobilior?*

R. Potestas Ordinis, quia nobilius habet objectum & præstantiores effectus; tota enim est; ut Deo debitus cultus exhibeatur, & sacrificium, ad quod imprimis Religio instituta est, ritè offeratur, transmutat panem in Corpus Christi reale, peccata remittit; atqui isthæc omnia longè præstantiora sunt actibus potestatis jurisdictionis, quæ spectat solùm regimen fidelium.

CAPUT II.

De Ordinis divisione.

Q. 1°. *Suntne plures Ordines?*

R. Fide divinâ credendum statuit Tridentinum Concilium, sess. 23. can. 2. his verbis: *Si quis dixerit præter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines & majores & minores, per quos velut per gradus quosdam in Sacerdotium tenditur, anathema sit.*

Q. 2°. *Quomodo dividuntur Ordines?*

R. Generatim dividuntur in majores, qui dicuntur sacri, & minores. Patet ex laudatis Concilii.

verbis, capite autem 2. Subdiaconatum majoribus & sacris Ordinibus, scilicet Presbyteratui & Diaconatui accenset. Ergo tres sunt majores Ordines.

Q. 3°. *Cur tres illi Ordines dicuntur majores & Sacri?*

R. Ratio in promptu est pro Presbyteratu & Diaconatu, quia cùm propiùs inserviant sacrificio à quo singuli Ordines accipiunt honoris & dignitatis gradum, illos duos Ordines cæteris majores & sacratiores Ecclesia semper habuit.

Sed difficultas est de Subdiaconatu, qui inter sacros & majores Ordines nondum numerabatur ætate Magistri Sententiarum, hoc est duodecimo sæculo, licèt votum continentiæ ipsi esset annexum saltem à sæculo sexto, & Subdiaconi à primis sæculis ordinati fuerint per contractum calicis vacui, ut constat ex Concilio IV. Carthaginensi, quod celebratum est quarto labente sæculo; ac proinde subdiaconatus non recensetur inter majores Ordines propter votum continentiæ, nec propter concessam Subdiaconis facultatem contingendi vasa sacra. *Canones*, inquit Magister Sententiarum, lib. 4. distinct. 24. *duos tantum sacros Ordines appellari censent, Diaconatus & Presbyteratus, quia hos solos primativa Ecclesia legitur habuisse, & de his solis præceptum Apostoli habemus .... Subdiaconos verò & Acolythos, procedente tempore, Ecclesia sibi constituit.* Idem ferè habet Hugo à sancto Victore, lib. 2. part. 2. cap. 13.

Vera itaque ratio cur Subdiaconatus recensetur inter majores Ordines repetenda est ex dispositione Ecclesiæ, quæ decimo-tertio sæculo sub Innocentio III. Subdiaconatûs Ordinem inter majores reposuit, cap. *A multis*, de ætate & qualitate & ordine præficiendorum, & cap. *Miramur*, de servis non ordinandis. Occasionem dedisse videtur Urbanus II. qui undecimo sæculo indulsit ut Subdiaconi in Episcopos eligi possent, cùm antea nullos nisi Diaconus ad illud honoris culmen evehe-

retur. Hujus Pontificis Decretum refertur cap. *Nullus*, distinct. 60.

Q. 4°. *Quot sunt Ordines?*

R. Ex antiqua & constanti Ecclesiæ Latinæ traditione septem recensentur, tum ab Eugenio IV. in Decreto pro Armenis, tum à Concilio Tridentino, sess. 23. cap. 2. scilicet Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolythatus, Exorcistatus, Lectoratus, & Ostiaratus.

Dixi: *Ecclesiæ Latinæ*, nam apud Græcos à mille annis & ampliùs quatuor tantùm Ordines numerantur, scilicet Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, & Lectoratus.

Q. 5°. *Nonne Episcopatus & Tonsura clericalis sunt Ordines distincti?*

R. 1° Sanctus Thomas, cùm junior scriberet in quartum Sententiarum, censuit Episcopatum non esse Ordinem distinctum, sed extensionem dumtaxat caracteris Sacerdotalis ad novum officium, & ampliorem potestatem ac dignitatem, ita ut Episcopatus aliud non sit quàm Sacerdotium perfectum.

R. 2°. Communior tamen sententia est ordinationem episcopalem esse Ordinem distinctum, novumque imprimere caracterem; quia Episcopus habet supra Presbyterum potestatem non solùm jurisdictionis, sicut summus Pontifex supra Episcopos, sed etiam Ordinis; confirmat enim Neophytos, consecrat Diaconos, Presbyteros & Episcopos, quod nullatenus potest Presbyter: atqui specialis illa potestas est caracter & Ordo distinctus; ergo.

Dices 1°. Si Episcopatus esset Ordo distinctus, agnoscendi essent octo Ordines; atqui illud repugnat Decreto Eugenii IV. & Concilio Tridentino: ergo.

Distinguo maj. Essent octo Ordines specie infimâ, concedo; specie subalternâ, nego maj. Itaque Ordo generatim sumptus immediatè dividitur in septem species, quarum prima, nempè Sacerdotium, subdividitur in Episcopatum & Presbyteratum, quem-

admodum animal immediatè dividitur in rationale & irrationale; sed irrationale, utpotè species subalterna, subdividitur in plures species infimas. Et eâ ratione explicatur Concilium Tridentinum, ubi decernit esse septem novæ Legis Sacramenta; nam Sacramentum Ordinis subdividitur in plures Ordines, qui, ut placet non paucis Theologis, singuli sunt Sacramenta; sicque in eorum sententia sunt tredecim Sacramenta specie infimâ.

Dices 2°. Ordo ex dictis essentialiter refertur ad sacrificium: atqui Episcopatus nullum habet specialem ordinem ad sacrificium, sed solùm ad plebem regendam; ergo non est Ordo.

Nego minorem; Episcopatus enim constituit Eucharistiæ ministros, iisque Leges præscribit ut cum dignitate ac majestate augustissimum illud mysterium peragant.

R. 3°. Tonsura clericalis non est Ordo, quidquid contra sentiant Canonistæ, nulla enim competit functio nullumve ministerium simplici Clerico.

Q. 6°. *Quid est igitur Tonsura clericalis?*

R. Est cæremonia ab Ecclesia instituta, per quam Laïcus baptisatus, & Sacramento Confirmationis consignatus, sacro ritu in Clerum adscribitur.

Dicitur 1°. *Ab Ecclesia instituta*; quia Tonsura clericalis non est institutionis divinæ, cùm Ecclesia Græca eam non observet, & in Latina nullum ejus inveniatur vestigium tribus primis sæculis.

Dicitur 2°. *Per quam Laïcus baptisatus, &c.* 1°. Quia soli Ecclesiæ filii gaudere debent ejus honoribus: atqui per Baptismum nascuntur Ecclesiæ filii; ergo 2°. Quia Neophytus nondum Confirmationis signaculo munitus dicitur à SS. Patribus semi-Christianus, parvulus in Christo, qui, ut adversùs hostes Ecclesiæ decertare valeat tanquam gregarius miles, sacro Chrismate roborandus est ac perficiendus: ergo à fortiori ut inter duces hujus spiritalis militiæ adscribatur: *Primâ Tonsurâ non initientur qui Sacramentum Confirmationis non susceperint*,

inquiunt Patres Tridentini, seſſ. 23. cap. 4. *de reformat.*

Dicitur 3o. *Sacro ritu*, Eccleſia enim pro Clerico ordinando præſcripſit ſolemnes ritus à ſolo Epiſcopo peragendos, ut vel hinc fideles intelligant quanti facienda ſit Tonſura clericalis.

Dicitur 4°. *In Clerum adſcribitur*, per illam quippè cæremoniam evehitur quis è ſtatu Laïcorum ad Ordinem eccleſiaſticum, atque eo titulo gaudet honoribus & privilegiis Eccleſiaſticorum.

Q. 7°. *Quæ ratio movit Eccleſiam ut ſacram hanc cæremoniam inſtitueret?*

R. Sacramenti Ordinis dignitas ac eximia ſanctitas, ad quod Tonſura clericalis eſt quædam præparatio, ſicut Catechumenatus ad Baptiſmum ex Catechiſmo Romano, & Novitiatus ad Profeſſionem monaſticam, ex Halliero & aliis paſſim Theologis; cùm enim Sacerdotium ſit res planè divina, nec ad ejus munia, ut par eſt, obeunda, ſatis ſit ſtudium acquirendæ perfectionis, quemadmodum ſufficit ad Profeſſionem monaſticam, ſed requiratur ipſa perfectionis adeptio; æquum fuit ut Eccleſia ſuos Candidatos, qui ſigna divinæ vocationis & bonæ ſpei præ ſe ferunt, priùs rudimentis diſciplinæ Sacerdotalis imbuendos curaret, quàm ad ullum Ordinem admitteret.

Quemadmodum igitur ut quis cenſeatur idoneus ad Profeſſionem monaſticam emittendam, depoſito priùs ſeculari habitu, comâ & quidquid redolet pompam mundanam diſciplinæ regularis tyrocinium ponit, ſic Eccleſia à ſuis Novitiis exigit, 1°. Ut habitum ſæcularem abjiciant. 2o. Caput attondeant. 3o. Veſtem Clericorum propriam aſſumant deferantque cum eâ quæ decet modeſtiâ. 4o. Profiteantur ſanctioris vitæ diſciplinam, & ex Concilio Tridentino, ſeſſ. 23. cap. 6. *de reform.* in Seminario inſtituantur juxtà Eccleſiaſticas leges, niſi ſtudiorum causâ, *in aliqua ſchola, de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad majores Ordines ſuſcipiendos verſen-*

tur, ſub cura tamen alicujus probatæ perſonæ, ut mores eorum inſtituto conveniant.

Quæ cùm ita ſint, quiſquis Eccleſiam diligit, miſeratione commoveatur neceſſe eſt, ob fœdum & ſacrilegum Tonſuræ clericalis in pleriſque abuſum, in quibus non eſt ſanctioris vitæ profeſſio, ſed ſimulatio, adeo ut Tonſura hodie uſurpetur eo ferè modo quo Novitiatus in iis Ordinibus religioſis, in quibus collapſa eſt regularis obſervantia. Enimverò ſicut in ejuſmodi Ordinibus ſatis eſt ad Novitiatum, ut quis inſcribatur tanquam cupiens profiteri, geſtetque exteriorem habitûs religioſi notam, quam cautè accommodat ad morem ſæculi, tegitque, ubi erubeſcit videri Monachus, interim arbitrio ſuo vivit, tritam ſæculi viam ambulat, donec elapſo tempore à ſacris Canonibus pro Novitiati præſcripto, vovet, quod implere idoneus non eſt, ſcilicet ſtudium acquirendæ perfectionis, ex quo vitiato fonte fluunt in hujuſmodi Ordines regulares probra ac dedecora, quæ ipſos Laïcos offendunt. Similiter plerique Tonſuram ſeu Novitiatum Sacerdotii ſuſcipiunt, nomen dant Clero, & ſæcularium mores ſectari non deſiſtunt, impetum juvenilis ætatis ſequuntur ſibimet relicti, vitioſos habitus contrahunt, in obſcœnis voluptatibus ſæpè volutantur. En ſelecta Dei portio & præclarum munus quod ſi offertur à filiis Iſraël; tale tyrocinium ponitur ad magiſterium virtutis. Non miremur quicumque præſentem Eccleſiæ ſtatum miſeramur, quòd adeo in pluribus jaceat clericalis diſciplina; ſed mirandum potiùs quòd in tanta rerum perturbatione ſtet in paucis quos Deus ſibi ſervavit. Plura vide, tom. 7. Appendice de Tonſura clericali.

Caput III.

De definitione, officio, materia & forma cujuſque Ordinis ſeorſim ſpectati.

DE OSTIARIATU.

Ostiariatus definitur, Ordo quo præficitur Clericus ad Eccleſiæ & ſacræ ejus ſupellectilis cuſtodiam, vindicandamque reverentiam domui Dei debitam.

Quinque ſunt ejus officia. Primum, Eccleſiæ januas dignis aperire & indignis claudere. Secundum, curare ne quis Laïcorum propiùs ad altare accedat. Tertium, pulſare campanam, & populum fidelem ſtatis horis convocare ad divinum Officium. Quartum, ſervare vaſa ſacra & omnem Eccleſiæ ſupellectilem. Quintum, invigilare ut omnes in Eccleſia reverenter ſe gerant. Ita Concilium Mediolanenſe II. tit. *de Oſtiario.*

Forma Oſtiariatûs ſunt verba quæ profert Pontifex tradendo claves, ipſa autem clavium traditio eſt materia eſſentialis, pulſus verò campanæ, obſeratio & apertio januæ cenſentur materia accidentalis, utpotè quæ non adminiſtretur à Pontifice ſed ab Archidiacono.

DE LECTORATU.

Lectoratus eſt Ordo quo traditur poteſtas legendi in Eccleſia Scripturam ſacram utriuſque Teſtamenti, & ſcripta ſanctorum Patrum.

Quinque ſunt ejus officia. Primum, legere 1o. Scripturam ſacram. Hugo Victorinus excipit lectionem Librorum evangelicorum, ſed Concilium Laodicenum, can. 59. & Carthaginenſe IV. can. 47.

nullum Librum excipiunt. 20. Doctorum orthodoxorum ſcripta ex citato can. 47. Concilii Carthaginenſis. Secundum, tradere fidei rudimenta eaque explanare ſive Cathecumenis, ſive baptiſatis rudioribus. Tertium, Epiſcopo prædicanti legere eam Scripturæ partem, quam ille expoſiturus eſt. Quartum, divinas laudes decantare & præeſſe Pſalmiſtis ſeu Cantoribus. Quintum, Lector antiquitùs novos fructus benedicere conſueverat, ut colligitur ex Pontificali Romano in gradatione Lectoris.

Forma Lectoratûs ſunt verba à Pontifice prolata cùm tradit librum de quo initiandus lecturus eſt; materia verò unica eſt ipſa libri traditio.

DE EXORCISTATU.

DEfinitur Ordo quo datur poteſtas expellendi Dæmones à corporibus, ſive baptiſatorum, ſive Cathecumenorum.

Unum Exorciſtæ Officium tribuunt Veteres, ut Concilium Laodicenum, Carthaginenſe IV. & Pontificale Romanum, nempè adjurare Dæmones: *Hodie etiam*, inquit S. Cyprianus, Epiſt. 45. *geritur, ut per Exorciſtas voce humanâ & poteſtate divinâ flagelletur & curatur, ut torqueatur Diabolus.* Propter frequentes abuſus qui in Exorciſmis aliquando irrepsêre, ex hodierna Eccleſiæ diſciplina, nequidem Presbyteri adjurare debent Dæmones, inconſulto Epiſcopo.

Materia Exorciſtatûs eaque unica eſt traditio libri Exorciſmorum; forma ſunt verba Pontificis.

DE ACOLYTHATU.

AColythatus eſt Ordo quo datur poteſtas miniſtrandi Subdiacono & Diacono in Miſſæ Sacrificio; Acolythus enim ſecundùm vim nominis Græci, eſt famulus ac veluti pediſſequus.

Tria ſunt Acolythatûs officia. Primum ac præcipuum eſt parare vinum & aquam in urceolis, quos deinde exhibet Subdiacono. Unde Acolythatus eſt Ordo nobilior præcedentibus, cùm propiùs inſerviat Miſſæ ſacrificio. Secundum, deferre lumina dum Evangelium ſolemniter cantatur à Diacono. Tertium, luminaria Eccleſiæ accendere & aſſervare, propter quod Acolythi dicuntur Eccleſiæ mancipati, quia illud officium majorem in Eccleſia aſſiduitatem requirit.

Duplex eſt materia Acolythatûs, nempe traditio urceoli vacui, & candelabri cum cereo. Sed Paludanus in quartum diſtinct. 24. & Sylvius ad quæſt. 37. art. 5. Supplem. S. Thomæ, exiſtimant traditionem urceoli eſſe unicam materiam eſſentialem, quia non Pontifex, ſed Archidiaconus antiquitùs tradebat candelabrum, ut conſtat ex Concilio Carthaginenſi IV. Amalario, Yvone, Magiſtro Sententiarum, quibus favet S. Thomas, cit. art. *In datione urceoli*, inquit, *imprimitur Acolytho caracter.* Forma ſunt verba Pontificis prolata cum ipſa traditione urceoli.

DE SUBDIACONATU.

Definitur, Ordo ſacer, quo datur poteſtas miniſtrandi Diacono & Sacerdoti in Miſſæ ſacrificio.

Quinque ſunt ejus officia. Primum, calicem & patenam in uſum Sacrificii Diacono offerre, & in altari ponere. Secundum, Sacerdoti ſacra facienti aquam fundere ad extrema digitorum abluenda. Tertium, oblationes à populo ſuſcipere, & ex iis quantùm ſatis eſt ad adſtantium communionem in altari ponere. Quartum, legere Epiſtolam. Quintum, pallas altaris, corporalia & purificatoria abluere cum cautione in Pontificali præſcripta, ubi Pontifex ordinandos monet quid in hiſce Myſteriis intelligere debeant.

Forma

Forma Subdiaconatûs ſunt verba Pontificis, dum porrigit inſtrumenta.

Materia eſſentialis eſt calix vacuus, ex Concilio Carthaginenſi IV. traditio libri Epiſtolarum recens eſt, ejus non meminêre Concilium Carthaginenſe, nec Sacramentarium S. Gregorii, nec Hugo Victorinus, nec Magiſter Sententiarum, nec etiam S. Thomas. Vulgò etiam creditur traditionem urceoli, mantilis & manutergii eſſe materiam accidentariam tantùm, cùm iſta non à Pontifice, ſed ab Archidiacono non porrigantur.

DE DIACONATU.

DEfinitur, Ordo ſacer, quo datur ſpiritualis poteſtas inſerviendi proximè Sacerdoti ſacra facienti.

Tria ſunt ejus officia: *Diaconum*, inquit Pontifex, *oportet miniſtrare ad altare, baptiſare & prædicare.* Quàm autem latè pateat hujuſce vocis *prædicare*, ſignificatio, pergens Pontifex, aperit initiandos ſic alloquens, *quia in miniſterium Tabernaculi teſtimonii, id eſt Eccleſiæ Dei, eligimini in Levitico officio, quæ ſemper in procinctu poſita, inceſſabili pugnâ contra inimicos dimicat.... quam Eccleſiam Dei, veluti Tabernaculum* PORTARE ET MUNIRE DEBETIS ORNATU SANCTO, PRÆDICATU DIVINO, EXEMPLO PERFECTO. Quibus verbis magnificis & numquam è memoria delendis, comprehenditur quidquid veteres de variis Diaconorum officiis tradiderunt. Baptiſant autem ſolemniter Diaconi, ſed nonniſi ex juſſu Sacerdotis, quia ſunt tantùm extraordinarii miniſtri Baptiſmatis, ut ſuo loco diximus.

Materia Diaconatûs eſt manûs impoſitio, ſic enim ordinati ſunt primi Diaconi: forma ſunt verba Pontificis dum manum imponit. Traditio libri Evangeliorum videtur accidentaria, tum quia primi Diaconi abſque illa traditione fuerunt ordi-

nati, cùm nondum exaratus esset liber Evangeliorum, tum quia Græci solâ manûs impositione Diaconos ordinant; nec aliam materiam usurpavit Ecclesia Latina per decem prima sæcula, ut constat ex Concilio Carthaginensi IV. Nicæno II. Meldensi, & ex omnibus Sacramentariis & Scriptoribus rerum Liturgicarum, ut Alcuino, Amalario.

DE PRESBYTERATU.

PResbyter Græcè id significat quod Latinè senior. Presbyter ergo secundùm etymologiam est nomen ætatis, secundùm verò acceptionem est nomen officii ac præfecturæ; Magistratus enim & in Republica Præfecti seniores vocari solent, ut denotetur morum gravitas, quæ eis competit, & in senibus magis elucet. Hinc Diaconi & alii Clerici inferiores numquam Presbyteri appellantur, quia ipsorum est ministrare; præesse autem cùm sit Episcopi & simplicis Sacerdotis, Episcopus in Scripturis nonnumquam Presbyter appellatur, ut Epist. 2. & 3. sancti Joannis, & 1. Tim. 4. v. 14. Quin nomen Episcopi, quod Latinè est superintendens, in Scripturis indiscriminatim tribuitur minoribus & majoribus Prælatis, ut in Epist. ad Tim. & ad Tit. & Act. 20. v. 17. Sed usus obtinuit ut minores Prælati simpliciter dicantur Presbyteri, & majores, Episcopi.

Definitur Presbyteratus, Ordo sacer quo datur potestas consecrandi Corpus Christi & remittendi peccata.

Quinque sunt ejus officia ex Pontificali Romano, in quo sic habetur: *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, præesse, prædicare, baptisare.*

Materia Presbyteratûs apud Latinos duplex est, scilicet impositio manuum, & porrectio calicis cum vino & aqua, & patenæ cum pane: forma sunt verba quæ tum profert Pontifex.

Communior nunc obtinet opinio solam manuum impositionem esse materiam essentialem; tum quia Græci hactenus aliam nec adhibuerunt, adhibent, nec & tamen rata est eorum Ordinatio; tum quia Ecclesia Latina per decem sæcula solâ manuum impositione Presbyteros consecravit Apostolorum exemplo, 1. Tim. cap. 4. & 5. Ergo porrectio calicis est materia dumtaxat accidentalis; nam ex Concilio Tridentino, sess. 21. cap. 2. Ecclesia nihil mutare potest circa substantiam Sacramentorum.

Dices: Eugenius IV. in Decreto pro Armenis sic habet: Presbyteratus traditur per calicis cum vino & patenæ cum pane traditionem, Diaconatus verò per libri Evangelii dationem: ergo.

Nego conseq. nam præterquàm quod Decretum illud editum sit soluto Concilio Florentino, postquam recesserunt Græci, non spectat universalem Ecclesiam, sed Armenos dumtaxat, quibus summus Pontifex exponit ritus Romanæ Ecclesiæ, non quidem omnes, sed eos maximè in quibus discrepabant Armeni; nullam enim facit mentionem ritûs quo consecrantur Episcopi, libri Epistolarum in Ordinatione Subdiaconi, & impositionis manûs in Ordinatione Diaconi, quæ tamen semper & ubique adhibita est. Denique Concilium Tridentinum nedum adhæsit huicce Decreto, tanquam necessariæ Ordinationum regulæ, quin diserte docet sess. 14. cap. 3. de Extrema-Unctione, Presbyteros ritè ordinari per impositionem manuum Presbyteri, nullâ facta mentione instrumentorum.

Sed difficultas est quænam manuum impositio sit materia essentialis, duplex enim vel etiam triplex adhibetur manûs impositio in Ordinatione Presbyteri. 1°. Pontifex, & post illum Presbyteri, manus imponunt initiando absque ulla verborum prolatione. 2°. Nullâ interjectâ morâ, tam Pontifex quàm alii Presbyteri tenent manus extensas super initiandum, adeoque istæc manuum impositio videtur esse eadem cum præcedente continuata; interim

verò Pontifex fundit preces pro initiando, quæ habent rationem formæ. 3°. Et ultima manuum impositio fit post Communionem cum ista verborum formula, *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, &c.*

Alii Theologi statuunt secundam impositionem, quæ una est cum prima, esse integram materiam Presbyteratûs, utpote quæ in utraque Ecclesia, Latinâ scilicet & Græcâ, semper fuerit usurpata, cùm ultima non sit in usu apud Græcos nec apud Latinos adhibita nisi à quadringentis annis.

Alii existimant ultimam manûs impositionem pertinere ad substantiam Sacramenti, contenduntque Presbyterum ante ejusmodi impositionem non habere potestatem remittendi peccata.

Nec refert quòd non sit admodùm antiqua apud Latinos, nec usurpetur apud Græcos, quia Ecclesia potuit uno vel diverso ritu utramque potestatem conferre, scilicet offerendi & peccata dimittendi. Quod autem separatim nunc conferatur, magis congruit exemplo Christi, qui in ultima Cœna Apostolis primò contulit potestatem offerendi, deinde post resurrectionem potestatem remittendi peccata, Joan. 20.

Cæterùm propter diversas opiniones circa materias Ordinum, cautè observandum est quidquid præscribitur in Pontificali Romano, & si quid fuerit incautè omissum, illud supplendum est, ut docent Innocentius III. & Gregorius IX. suprà laudati; quia ritus integer necessarius est saltem necessitate præcepti.

DE EPISCOPATU.

DEfinitur Ordo supremus, quo datur Presbytero potestas conferendi Sacramenta Confirmationis & Ordinis, regendique Ecclesiam sibi commissam, hoc est Clerum & Plebem.

Dicitur 1°. *Ordo supremus*; quia Episcopatus est apex & fastigium Sacerdotii. *Quid est Episcopus*, inquit sanctus Augustinus lib. quæst. in vetus & no-

vum Teſtam. quæſt. 101. *niſi primus Presbyter, hoc eſt ſummus Sacerdos?* Et ſanctus Ignatius, Epiſt. ad Smyrnenſes, *Honora Epiſcopum ut Principem Sacerdotum.*

Dicitur 2o. *Quo datur Presbytero*, quia nequit eſſe Epiſcopus qui Preſbyter non fuerit.

Dicitur 3o. *Poteſtas conferendi, &c.* quibus verbis deſignatur poteſtas Epiſcopi propria: quia confirmare Neophytos & ordinare Eccleſiæ Miniſtros, ſunt actus Ordinis, nec ad eos exercendos ſufficit poteſtas juriſdictionis, quam habet Capitulum ſede vacante, & Epiſcopus nondum conſecratus.

Dicitur 4o. *Et regendi Eccleſiam ſibi commiſſam*, ut denotetur poteſtas juriſdictionis; juriſdictio quippè eſt poteſtas gubernandi ſubditos jus dicendo, ferendo leges, coërcendo refractarios & puniendo tranſgreſſores.

Ergo Epiſcopus jure divino eſt ſuperior Preſbytero, tum poteſtate Ordinis, tum poteſtate juriſdictionis. Primum expreſsè definiit Concilium Tridentinum, ſeſſ. 23. can. 7. ſecundum neceſſariò & evidenter colligitur ex can. 6. ejuſdem ſeſſionis, ubi Concilium decernit in Eccleſia Catholica eſſe hierarchiam divinâ ordinatione inſtitutam, eamque conſtare ex Epiſcopis, Presbyteris & Miniſtris.

Dices: S. Hieronymus in caput 1. Epiſtolæ ad Tit. & Epiſt. 85. ad Evagrium, multis probat Epiſcopos humano tantùm jure eſſe Presbyteris ſuperiores; ait enim poſt ſchiſma ortum Corinthi, ubi alter dicebat, ego ſum Pauli, alter, ego Apolo. *In toto orbe decretum eſt ut unus de Presbyteris electus ſuperponeretur cæteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, & Schiſmatum ſemina tollerentur*: Ergo.

Nego antec. Quomodo enim ſanctus Doctor aſſereret Presbyterum ſine nova inauguratione conſtitutum fuiſſe Epiſcopus, quemadmodum Diaconum conſtituitur Archidiaconus, qui tam diſertè docet Presbyterum non poſſe Neophytos confirmare nec Eccleſiæ Miniſtros ordinare: *Quid facit*, inquit, *excepta*

ordinatione, *Episcopus*, *quod non faciat Presbyter*? Agnoscit ergo sanctus Doctor potestatem ordinandi in Episcopo, quæ non competit Presbytero. De Confirmatione etiam idem agnoscit Dialogo contra Luciferianos, in quo sic habet: *Quòd si hoc loco quæris, quare in Ecclesia baptisatus, nisi per manus Episcopi accipiat Spiritum sanctum . . . . . Disce hanc observationem ex auctoritate* (Scripturæ) *descendere . . . . . si Scriptura auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obineret.* Quoad verò præeminentiam jurisdictionis Episcopalis, multa evincunt S. Hieronymum eam divinæ institutioni ascribere; laudata enim Epist. 85. scribit Episcopos id esse in Ecclesia quod Aaron in Synagoga & Presbyteros filiis Aaron, qui erant simplices Sacerdotes, respondere: atqui Aaron jure divino erat superior simplicibus Sacerdotibus; ergo. Deinde in Epist. ad Tit. *Episcopi*, inquit, *noverint se magis consuetudine quàm dispositionis dominicæ veritate. Presbyteris esse majores.* Ergo in mente S. Hieronymi, Episcopi majores sunt Presbyteris, partim institutione divinâ, partim consuetudine Ecclesiæ, quæ ut dissentionum plantaria evellerentur, ut loquitur S. Doctor, mutavit disciplinam, decrevitque ut deinceps ad Episcopum *omnis Ecclesiæ cura pertineret*; cùm ante Corinthianum schisma esset communis Episcopo & Presbyteris, sed in diverso gradu.

Episcopi officia numerantur septem in Pontificali Romano, his verbis: *Episcopum oportet judicare, interpretari* (scilicet verbum Dei & ejus legem) *consecrare, ordinare, offerre, baptisare, & confirmare.*

Materia est manuum impositio, hoc enim ritu Apostolus Timotheum consecravit Ephesinum Episcopum, præcepitque ut Episcopos ita consecraret. Hanc materiam assignat Concilium Carthaginense IV. meminitque impositionis libri Evangeliorum super caput & scapulas consecrandi; sed eam materiam non adhibent Græci, nec erat universaliter

receptus ille ritus nono sæculo in Ecclesia Latina, ut constat ex Amalario. Forma autem sunt verba que proferunt Pontifex consecrans & duo Episcopi assistentes, dum manus capiti consecrandi imponunt.

DE ROMANO PONTIFICE.

Q. 10. *Estne amplior & superior Jurisdictionis potestas in Romano Pontifice quàm in cæteris Episcopis, idque jure divino?*

Negant Græci schismatici, contenduntque Primatum, quo gaudet Romanus Pontifex, ipsi ab Ecclesia fuisse concessum cùm Urbs Roma, esset caput imperii. In hoc errore versantur Lutherani, Calviniani, & omnes Hæretici, adversùs quem.

R. De fide est Romanum Pontificem jure divino esse Episcopis superiorem, & caput totius Ecclesiæ; ita enim definiit Concilium Lateranense 4 anno 1215. *Romana Ecclesia*, inquit, DISPONENTE DOMINO, *super omnes alias ordinatæ potestatis obtinet Primatum, utpote mater omnium fidelium & magistra.* Et Concilium Florentinum, in quo convenerunt Græci cum suo Imperatore, & Latini, Præside Eugenio IV. anno 1439. *Definimus sanctam apostolicam Sedem & Romanum Pontificem in universum orbem tenere principatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri, Principis Apostolorum, & verum Christi esse Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem & Doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi, & regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam*, A DOMINO NOSTRO JESU-CHRISTO PLENAM POTESTATEM TRADITAM ESSE.

Tria in hac definitione imprimis sunt notanda & probanda.

Primum, quod S. Petrus fuerit Princeps Apostolorum, habetur è Scriptura, Matth. 16. v. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Eccle-*

ſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam, & tibi dabo claves regni cœlorum. Per claves autem deſignatur ſuprema poteſtas, atque in ejus rei ſignum Regi urbem ingredienti offeruntur claves civitatis. Quod hîc Petro promiſerat Chriſtus, illud contulit poſt Reſurrectionem, Joan. 21. his verbis: *Paſce agnos meos*, & iterum, *paſce oves meas*, id eſt, interprete ſancto Epiphanio, Hæreſi 76. paſce matres & filios, paſtores & plebem. Hâc poteſtate ſtatim uſus eſt poſt Aſcenſionem Chriſti beatus Apoſtolus, Act. 1. v. 15. ubi unum à Diſcipulis eligendum in locum Judæ proditoris decrevit tanquam *chori Princeps*, *& is cui à Chriſto grex commiſſus eſt*, inquit S. Chryſoſtomus, Hom. 3. in Act. Apoſt.

Secundum, quòd Romanus Pontifex ſit ſucceſſor S. Petri, conſtans eſt Eccleſiæ tum Græcæ, tum Latinæ traditio.

Origenes apud Euſebium, lib. 7. Hiſtor. cap. 12. ſic habet: *Petrus ad ultimum in Urbe Roma commoratus, ibi & crucifixus eſt deorsùm capite demerſo, quod ipſe ita fieri precatus eſt, ne exequari Domino videretur.* Similia habent S. Athanaſius, Apolog. pro ſua fuga, S. Chryſoſtomus Hom. 32. in Epiſt. ad Romanos.

Ex Latinis verò Tertullianus, lib. de Preſcript. cap. 36. *Felix iſta Eccleſia*, inquit, *cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt, ubi Petrus Paſſioni Dominicæ adæquatur.* Et S. Hieronymus, Epiſt. ad Damaſum ſummum Pontificem: *Cum ſucceſſore Piſcatoris*, inquit, *& diſcipulo Crucis loquor.*

Tertiùm, quòd in Romanum Pontificem tanquam ſancti Petri ſucceſſorem tranſmiſſus ſit Primatus & Principatus ejuſdem Apoſtoli, neceſſariò & evidenter ſequitur ex præcedentibus; quemadmodum enim alii Apoſtoli tranſmiſerunt ad ſuos ſucceſſores, (nempè Epiſcopos) eam quam acceperant à Chriſto poteſtatem gubernandi Eccleſiam, ita & beatus Petrus,

Dices 1°. Definiri non potest tempus quo Petrus Romam profectus sit, nec quomodo ibi per viginti annos sederit, nam certum est ipsum adfuisse Concilio Hierosolymitano, Act. 15. quod celebratum est anno 18. à Passione Domini, & per septem annos Ecclesiam Antiochenam rexisse: ergo.

Nego anteced. Et dico Petrum mansisse quidem quinque circiter annis in Judæa, quo tempore Paulus potuit eum invisere, Galat. 1. anno quinto perrexisse Antiochiam, per illos autem septem annos, quibus dicitur illam Ecclesiam rexisse, Pontum, Asiam, Cappadociam & Bythiniam peragrare potuisse, tum rediisse Hierosolymam circa annum undecimum à passione Domini, quo tempore fuit ab Herode in carcerem conjectus, sed miraculo solutus Romam petiit, ibique mansit usque ad annum nonum Imperii Claudii Cæsaris, quo Judæos Româ expulit, atque eâ occasione Petrus rediit Hierosolymam, ubi præfuit Concilio. Mortuo autem Claudio, Petrus rursùs Romam profectus est, Nerone imperante, à quo tandem crucifixus est anno decimo-quarto, & ultimo ejus imperii.

Dices 2°. Episcopus Antiochenus est potiùs successor sancti Petri, cùm beatus Apostolus hanc Ecclesiam primò fundaverit & rexerit: ergo.

Nego anteced. Namque sanctus Petrus Antiochiâ commigrans non abdicavit primatum & apostolatum suum, quemadmodum Episcopus hoc ipso quo sedi Episcopali renunciat, auctoritate & jurisdictione Episcopali spoliatur. Quis enim crederet sanctum Petrum creato Episcopo Antiocheno, omni potestate regendi Ecclesias fuisse destitutum? Apostolatum ergo & primatum non deposuit nisi in morte, ac proinde si Episcopus Romæ non fuisset usque ad mortem, ut contendit Calvinus contra omnium veterum fidem, Romanus Pontifex non esset Petri successor, nec primatu ejus gauderet.

Dices 20. Primatus fuit privilegium ſpecialiter ſancto Petro conceſſum; atqui falſum eſt ſanctum Petrum tranſmiſiſſe ad ſucceſſores privilegia ſibi conceſſa; quis enim niſi perabſurdè contenderet Romanum Pontificem confirmatum eſſe in gratia, habere poteſtatem ſuſcitandi mortuos, ſanandi infirmos ſuâ umbrâ, quemadmodum refertur de ſancto Petro? ergo.

Diſtinguo min. Falſum eſt ſanctum Petrum tranſmiſiſſe ad ſucceſſores privilegia perſonalia, quemadmodum ſanctus Carolus, v. g. non tranſmiſit in ſucceſſorem eximias virtutes & ſanctitatem, quibus ornatus erat, concedo; falſum eſt tranſmiſiſſe privilegia regimini Eccleſiæ neceſſaria, & in ejus gratiam primariò conceſſa, nego min. Itaque duplicis generis privilegia beato Petro fuere conceſſa; alia perſonalia ad propriam ejus ſanctificationem & perfectionem, ut gratia ſanctificans, & confirmatio in eadem gratia; alia in gratiam aliorum & totius Eccleſiæ, & hæc rursùs fuerunt duplicis generis; alia ad tempus neceſſaria, ut miraculorum dona, alia quovis tempore neceſſaria, ut poteſtas clavium. Privilegia primi & ſecundi generis non tranſierunt ad beati Petri ſucceſſores, ſed ea dumtaxat quæ ſunt tertii generis.

Ergo ſicut cæteri Apoſtoli in ſuos ſucceſſores, nempe Epiſcopos, ex Chriſti ordinatione tranſmiſerunt poteſtatem ſolvendi & ligandi, ita Princeps Apoſtolorum in Pontificem Romanum legitimum ſucceſſorem ſuum tranſtulit primatum quo ſuprà cæteros Apoſtolos præeminebat, cùm ſine eo ſtare nequeat Eccleſiæ unitas & integritas, ut patet ex Eccleſiis Schiſmaticis, quæ velut membra à capite ſeparata, ſtatim contabuerunt vel computruerunt. Quid referam abſurda & propudioſa in quæ veteres Schiſmatici, ut Donatiſtæ, Eutichiani, &c. prolapſi ſunt, ubi à Sede apoſtolica abſceſſerunt, cùm Pſeudo-reformati quotidie funeſta exempla ſuppeditent, ſalutem chriſtianæ Reipublicæ abſ-

que communione cum Sede apostolica non posse consistere ?

Instas : Satis est ad unitatem Ecclesiæ quòd sit fundata in Christo, eumque habeat pro capite, namque ex ipso Apostolo, Ephes. 1. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam quæ est corpus ipsius & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur.*

Nego anteced. namque omnes Hæretici & Schismatici Christum agnoscunt ut caput Ecclesiæ, neque propterea Sectæ eorum in unum corpus coalescunt ; alia est enim Secta Nestorianorum, alia Socinianorum, alia Lutheranorum & Calviniſtarum.

Itaque præter caput invisibile, quod est Christus, necessarium est caput visibile & ministeriale, in quo omne regimen hierarchicum seu ecclesiasticum conveniat : *Primatus datur Petro*, inquit S. Cyprianus, lib. de Unit. Eccles. *ut Ecclesia una monstretur.*

Q. *Regimen Ecclesiæ estne Monarchicum ?*

R. Cum Cardinali Bellarmino, lib. 1. de Rom. Pontif. est Monarchicum Aristocratico temperatum.

Duplex itaque est regimen monarchicum, aliud purum, in quo omnia administrantur unius nomine & auctoritate, ut in Francorum regno, in quo Provinciarum Præfecti & Civitatum Magistratus Rempublicam administrant, non suo, sed Regis nomine, tanquam ab ipso delegati. Aliud Aristocratiâ admixtum, ut Romanum Imperium, in quo Imperator ita est supremus Monarcha ut subse habeat plures Principes qui suo nomine dominentur singuli in sua ditione ac principatu, & quamvis subdantur Imperatori, teneanturque communibus Imperii legibus, regunt tamen sibi subditos propriâ auctoritate & propriis legibus, quas Imperator non potest solvere, nisi communi Imperii bono adversentur.

Sic in hierarchia ecclesiastica Pontifex Romanus præest singulis Episcopis tanquam caput & supremus Monarcha, jus ipsis dicit, & in singulos cu-

juscumque gradûs & dignitatis vim habet coactivam, ubi agitur de communi Reipublicæ christianæ bono, ac de receptis Ecclesiæ universalis legibus. Sed sacra ejusmodi Monarchia temperatur Aristocratiâ, nam Christus Dominus alios à beato Petro instituit Apostolos, quibus succedunt Episcopi, & septuaginta duos Discipulos, quibus etiam jure divino succedunt ii Presbyteri, quibus ex officio curam animarum incumbit, ut Parochis. Episcopi igitur à Christo sunt instituti tanquam Principes, suas Diœceses non vicariâ, sed propria auctoritate gubernant, novas leges condunt pro subditorum necessitate & utilitate. Parochi verò non tantâ auctoritate præsunt suis Parœciis, utpote quæ non sint communitates perfectæ, sed partes & veluti membra Diœceseos; ideoque non habent forum externum, nec possint condere leges, ut latè prosecuti sumus, tom. 3. tract. *de Legibus*, & tom. 7. secundâ parte, cap. 6. quo fit ut Episcopus immediatam habeat jurisdictionem non solùm in ipsos, sed etiam in plebem subditam, ut declaravit Facultas Theologica Parisiensis anno 1664. in censura quarumdam propositionum Jacobi *de Vernant*, quibus asserebat Parochos non esse à Christo institutos: *Hæ sex propositiones*, inquit sacra Facultas, *quatenus asserunt vel inferunt potestatem jurisdictionis Curatorum non esse immediatè à Christo, quantùm ad institutionem primariam, falsæ sunt, & Decretis sacræ Facultatis contrariæ*: Salva semper immediata Episcoporum et Prælatos minores, seu Curatos, et plebem subditam auctoritate.

Caput IV.

Utrùm singuli Ordines sint Sacramenta propriè dicta.

Nullus Catholicorum negare potest Presbyterarum esse Sacramentum propriè dictum; de fide enim est Ordinationem in genere esse unum è-

Sacramentis novæ Legis : illud ita definiit Concilium Tridentinum, seſſ. 23. ut ſolius Preſbyteratûs expreſsè meminerit can. 1. quæſtio itaque ſolummodò poteſt eſſe de aliis ordinibus, ad quam.

R 1°. Probabilius eſt minores Ordines & Subdiaconatum non eſſe Sacramenta, tum quia non ſunt à Chriſto inſtituti, tum quia ſolus Epiſcopus ex dicendis eſt miniſter Sacramenti Ordinis; atqui nonnulli Abbates ex privilegio conferunt minores Ordines, ex C. *Requiſivit*, tit. *de Ordinatis ab Epiſcopo*, & ex Concilio Tridentinò, ſeſſ. 24. cap. 1. *de reform.* Subdiaconorum verò Ordinationem Concilium Antiochenum, Nicænum 11. permittunt Chorepiſcopis, id eſt, Vicariis Generalibus Epiſcoporum, qui ex ſua inſtitutione non erant Epiſcopi.

R. 2°, Diaconatus & Epiſcopatus ſunt Sacramenta propriè dicta; ſunt enim ſigna ſenſibilia à Chriſto inſtituta & in Eccleſia perpetuò obſervata, quibus annexa eſt promiſſio gratiæ, Concilium namque Tridentinum, ſeſſ. 23. can. 4. dicit anathema aſſerentibus per ſacram ordinationem non dari Spiritum ſanctum, ac proinde fruſtrà Epiſcopos dicere, *Accipe Spiritum ſanctum* : atqui illud proferunt in Ordinatione tum Diaconi, tum Epiſcopi.

Dices : Diaconi electi ſunt ad miniſtrandum menſis profanis, unde S. Hieronymus vocat eos menſarum Miniſtros, Epiſt. 85. & Synodus quini-ſexta, anno 692. definiit ſeptem prioribus Diaconis, Act. 6. concreditum non fuiſſe miniſterium ſacrum, ſed profanum dumtaxat : ergo.

Nego anteced. Quamvis enim murmur Græcorum adversùs Hebræos, cujus fit mentio cap. cit. fuerit occaſio eligendi Diaconos, qui curam gererent viduarum, & menſis præficerentur, conſtat tamen tum ex Scriptura, tum ex Traditione, Diaconos ad auguſtiora miniſteria fuiſſe ab Apoſtolis ordinatos; ait enim Apoſtolus de Diaconis 1. Tim. 4. *Habentes myſterium fidei in conſcientia pura... miniſtrent nullum crimen habentes.* Stephanus &c

Philippus ambo ex septem Diaconis, sacra munia post ordinationem suam obierunt; Stephanus quidem Hierosolymis verbum Dei prædicabat, Act 6. & Philippus baptisabat, Act. 8. S. Hieronymus Epist. ad Heliodor. Diaconos collocat in tertio Sacerdotii gradu, & lib. contra Luciferianos scribit Diaconos ex Episcopi jussione habere jus baptisandi. Ita igitur eos vocat Ministros mensarum ad comprimendum fastum, quo nonnulli in Romana Ecclesia suprà Presbyteros se erigebant, ut non neget sublimiora eorum munia. Sic herus animi cæcitatem in domestico increpans, animal simpliciter eum nominat, ex parte scilicet quæ in ipso est vilior, sed nobiliorem, putà rationem, non excludit. Synodus verò Quini-sexta præterquàm quòd ad apostolica Sede fuerit rejecta, duplicis generis vult esse Diaconos, alios Eleemosynarios, qui curam pauperum gerant & res temporales administrent; alios sacros, qui divinis mysteriis serviunt, statuitque priores non esse assumendos ex ordine sacrorum Ministrorum.

CAPUT V.

De Ministro Sacramenti Ordinis.

NOn agitur hîc de Ministro Ordinationis in genere, jam enim diximus Presbyterum posse esse Ministrum extraordinarium quatuor Ordinum minorum & Subdiaconatûs, idque supponit Eugenius IV. in suo Decreto: atque inde colligimus ejusmodi Ordines non esse Sacramenta. Quare

Q. 1°. *Quis est Minister Sacramenti Ordinis?*

R. De fide est solum Episcopum hujus Sacramenti esse Ministrum; ita enim definiit Concilium Tridentinum, sess. 23. can. 7.

Probatur definitio tum è Scripturâ quæ jus ordinandi aliis non tribuit quàm Apostolis, quarum

ſucceſſores ſunt Epiſcopi ; Apoſtolus 1. Tim. 3. & 5, tit. cap. 1. hiſce Diſcipulis quos Epiſcopos ordinaverat, præſcribit quibus debeant manus imponere, tum ex univerſalis Eccleſiæ Traditione adeo conſtanti, ut Aërius quarto ſæculo habitus fuerit hæreticus, quòd Preſbyteros Epiſcopis æquaret, iiſque jus ordinandi tribueret, ex ſancto Epiphanio Hæreſ. 55.

Q. 2°. *Sacramentum Ordinis poteſtne conferri à quovis Epiſcopo?*

Poteſt validè, quia ex dictis in Tractatu de Sacramentis in genere, Sacramenta ab hæretico & excommunicato collata, rata ſunt nec iteranda ; non poteſt autem licitè niſi à proprio Epiſcopo aut ſine ejus conſenſu, ex cap. *Eos*, tit. *de tempore Ordinationis*, & ex Concilio Tridentino, ſeſſ. 23. cap. 8. *de reform.*

Q. 3°. *Quis eſt proprius Epiſcopus?*

R. Proprius Epiſcopus triplex eſt, nempe originis, beneficii & domicilii. Ita Bonifacius VIII. cap. *Cùm nullus*, tit. *de tempore ordinat.* in Sexto. Unde Synodus Senonenſis, anno 1528. declarat à quolibet ex tribus illis Epiſcopis licere Ordines ſuſcipere. Cavendum tamen eſt ne per fraudem beneficium obtineatur, putà ut Clericus examini proprii Epiſcopi ſe ſubducat. Præſumitur autem fraus quando Beneficium eſt tenuiſſimi reditûs ; veriſimileque eſt Beneficiarium nolle ſe tenere mancipatum obſequio Diœceſis in qua ordinatur, tuncque incurrit pœnas in eos latas qui ab alieno Epiſcopo ordinantur, nimirum eſt ſuſpenſus ab officio Ordinis ſic ſuſcepti, & ſi in eo miniſtraverit, irregularitatem contrahit, ex declaratione Cardinalium, anno 1662. Hinc Clerus Gallicanus in Comitiis Generalibus, anno 1657. ad vitandas frequentes fraudes, cenſuit neminem ordinandum ſine conſenſu Epiſcopi originis, quod religiosè obſervant, exceptis caſibus neceſſitatis, putà ſi difficilior ſit recurſus ad Epiſcopum originis, vel ſedes ejus

vacet, & beneficium ratione cujus ordinant reſidentiam poſtulet.

Q. 4°. *Poſſuntne plures Ordines eâdem die conferri?*

R. 1°. Duo majores Ordines unâ die licitè conferri nequeunt, ex Concilio Tridentino, ſeſſ. 23, cap. 13. *de reform.* & Innocentius III. cap. *Litteras*, tit. *de tempore Ordinat.* ſuſpendit Epiſcopum qui uno die contulerat Diaconatum & Preſbyteratum, & ordinatum ab executione officii Sacerdotalis vult manere ſuſpenſum. Unde colligunt Canoniſtæ & Theologi ſic ordinatum non eſſe ſuſpenſum ab officio Ordinis quem primo loco ſuſcepit, putà Diaconatûs, quia ad illum legitimè eſt promotus.

R. 2°. Proprius Epiſcopus in regionibus in quibus conſuetudo obtinuit ut minores Ordines uno die cum Subdiaconatu conferantur, poteſt eos omnes ſimul conferre. Colligitur ex cap. *De eo*, tit. *de Temp. Ordin.* & ex cap. *Cùm Lator*, tit. de eo qui furtivè Ordines ſuſcepit. Sed plures Canoniſtæ, ut Oſtienſis, Panorminatus, Tonſuram cum quatuor Minoribus unâ die conferri poſſe negant, fortè hac ratione ducti quòd Tonſura diſpoſitio ſit ad Ordines, ac proindè neceſſe ſit aſſignare temporis intervallum quo clericus ad eos præparari poſſit. Noſtri tamen Prælati oppoſitæ ſententiæ adhærent.

CAPUT VI.

De ſubjecto Ordinis.

JAm diximus ſolum maſculum baptiſatum eſſe ſubjectum Ordinis. Tria autem requiruntur ut ſit idoneus ad Ordines ſuſcipiendos. 1°. Ut ſit maturæ ætatis, infantes enim ordinari nequeunt. 2°. Sit munitus ſufficienti titulo, ſive clericali, ſive

patrimoniali, ad majores Ordines ſuſcipiendos. 3°. Non ordinetur per ſaltum, hoc eſt, non aſcendat ad ſuperiorem, inferiore prætermiſſo.

Q. 1°. *Quæ ætas requiritur ad ſuſcipiendos Ordines?*

R. Jure novo nulla determinata eſt ætas pro minoribus Ordinibus, de quibus Patres Tridentini hæc ſolummodò ſtatuunt, ſeſſ. 23. c. 11. *de reform. Minores Ordines iis qui ſaltem latinam linguam intelligant... conferantur.* De majoribus verò ſic pronuntiant, cap. 12. *Nullus in poſterum ad Subdiaconatûs Ordinem ante 21. ad Diaconatûs ante 23. ad Presbyteratûs ante 25. ætatis ſuæ annum promoveatur.* Sufficit autem ex uſu recepto, ut anni in hocce Decreto præfixi ſint incœpti.

Q. 2°. *Qui ante præſcriptum tempus ordinati ſunt, ſuperveniente ætate, poſſuntne legitimè exercere functiones Ordinum præmaturè ſuſceptorum?*

R. Non poſſunt ſi malâ fide fuerint ordinati, quia ex Bulla Pii II. *Cùm ex ſacrorum*, ipſo facto ſunt ſuſpenſi; & ſi durante ſuſpenſione aliquod miniſterium ſuorum Ordinum obeant, fiunt irregulares.

Dixi: *Malâ fide*, qui enim bonâ fide exiſtimat ſe habere legitimam ætatem, abſque peccato Ordinem ſuſcipit, nec proinde ſuſpenſionis pœnam incurrit, inquit Sylvius ad quæſt. 26. Supplem. art. 2. ubi pro hac ſententiâ laudat Barboſam, Navarrum, Sanchez, &c.

Q. 3°. *Incurruntne aliquam cenſuram qui ordinantur abſque titulo?*

R. 1°. Nullam incurrunt, nec peccant ſi ordinantur ex conſenſu proprii Epiſcopi.

R. 2°. In quibuſdam Diœceſibus decernitur pœna ſuſpenſionis, aut etiam excommunicationis ipſo facto incurrendæ ab iis qui fictum titulum proferunt.

Fictus autem eſt titulus, ſi initiandus celet litigioſum eſſe Beneficium aut exigui & nullius ferè redditûs; ſi taceat oppignoratum eſſe patrimonium;

si pensio sit ab eo concessa qui secundùm leges dare non potuit ; denique si initiandus cum donatore pactum inierit quòd numquam utetur bonis in titulum concessis. Sed controversia est utrum jure communi ejusmodi fraudulenti sint suspensi. Quare.

R. 3°. Tutior est &, ut videtur, communior sententia, cui adhærent Navarrus, Suarez, & Fagnanus, ejusmodi fraudulentos esse jure communi suspensos, idque probat idem Fagnanus in cap. *Cùm secundùm*, tit. *de Prabend.* confirmatque suam sententiam declaratione sacræ Congregationis.

Q. 4°. *Quid sentiendum de iis qui ordinantur per saltum ?*

R. Graviter peccant, & suspensi sunt ab officio Ordinis per saltum suscepti ; non verò ab officio Ordinum antea susceptorum, valida tamen est eorum ordinatio. Ita Innocentius III. cap. *Tua litteræ*, tit. *de Clerico per saltum promoto* ; & Concilium Tridentinum, cap. 14. sess. 13. *de reform.* sic habet : *Cùm promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare.*

Excipiendus tamen est Episcopatus, qui non potest conferri ei qui non sit Presbyter.

CAPUT VII.

De effectibus Sacramenti Ordinis.

Q. 1°. *Quotuplex est effectus Sacramenti Ordinis ?*

R. Triplex, scilicet caracter, gratia sanctificans, & gratia sacramentalis.

Q. 2°. *Quid est caracter Sacerdotalis.*

R. Est caracter Sacerdotii Christi, definirique potest, signum in anima indelebiliter impressum quo initiatus distinguitur à Laïcis, efficiturque idoneus ad functiones ecclesiasticas obeundas. Singulas definitionis partes, & cætera quæ ad caracterem

pertinent, exposuimus tract. de Sacramentis in genere.

Q. 3o. *Quæ gratia sanctificans confertur per Sacramentum Ordinis?*

R. Non prima, quâ deletur peccatum mortale, cùm Sacramentum istud sit vivorum; sed secunda, hoc est, augmentum primæ & ejus plenitudo, quia *ad idoneam executionem Ordinum*, inquit S. Thomas, 3. part. quæst. 64. art. 6. ad tertium, *non sufficit bonitas qualiscumque, sed bonitas* EXCELLENS, *ut sicut illi qui Ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu Ordinis, ita & superiores sint gradu sanctitatis.* Alioquin, ait S. Bernardus Epist. 17. *si altiorem quàm meliorem esse delectat, non præmium, sed præcipitium expectamus.*

Q. 4o. *Isthæc gratiæ plenitudo confertur ne semper in Ordinatione?*

R. Confertur dumtaxat iis qui à Deo vocantur ad sacerdotale munus, & ad illud ritè sunt præparati, quia Sacramenta novæ Legis, etsi per se efficacia, pro dispositione tamen suscipientium plùs vel minùs gratiæ conferunt: *Deus thesauro suo provident, nec sinit obrepere indignos*, inquit Tertullianus, lib. *de Pœnitentia*, cap. 6. Rem egregiè illustrat sanctus Gregorius, lib. 4. in cap. 10. lib. 1. Regum, exemplo Davidis & Saülis, qui ambo vocati à Deo fuerant ad Regnum: *Quid est*, inquit, *quòd lenticulâ olei* (parvo vase) *Saül ungitur, nisi quia in fine reprobatur? velut enim lenticulâ olei parum habuit, qui spiritalem gratiam projiciendus accepit. Quod in Rectore quoque sanctæ Ecclesiæ convenienter accipitur, plerùmque enim culmen Prælationis accipiunt qui in charitate Dei & proximi perfecti non sunt; quædam namque affectum charitatis habent,* (nota) *sed plenitudinem non habent. Illa ergo rudis & imperfecta affectio quid est nisi lenticulæ olei? nam dum ungit caput & non replet, tota quidem effunditur, sed parum exhibet.* Pro unctione verò Davidis, quem Deus invenerat secundùm cor

ſuum, præcipitur Prophetæ, cap. 16. ut impleat oleo non lenticulam, ſed cornu ſuum. Quod expendens idem ſanctus Doctor ſic habet : *Quando ergo electi promoventur ; pleno cornu unguntur, quia ad altitudinem Ordinis proficiunt virtute perfectionis.*

Q. 50. *Quid eſt gratia ſacramentalis?*

R. Eſt jus fundatum in gratia ſanctificante per Sacramentum Ordinis collatâ ad accipienda à Deo auxilia ſupernaturalia ſeu gratias actuales, quibus initiatus illuſtratur & accenditur ad ea quæ ſunt muneris Sacerdotalis ſanctè ac utiliter peragenda ; quia ex S. Thoma in Supplem. quæſt. 35. art. 1. *Dei perfecta ſunt opera*, ut dicitur Deuteron. 32. *& ideo cuicumque datur potentia aliqua divinitùs, dantur etiam ea per quæ executio illius potentiæ poſſit congruè fieri... ſicut autem gratia gratum faciens eſt neceſſaria ad hoc quòd homo dignè Sacramenta recipiat, ita etiam ad hoc quòd homo dignè Sacramenta diſpenſet.* Et S. Leo, ſerm. 1. in die ſuæ Aſſumptionis, *Qui mihi honoris eſt Auctor*, inquit, *ipſe mihi fieri adminiſtrationis adjutor : & ne ſub magnitudine gratiæ ſuccumbat infirmus, dabit virtutem qui contulit dignitatem.*

CAPUT VIII.

De diſpoſitionibus ad Ordines.

Q. 1°. *Quot requiruntur diſpoſitiones ad Ordines ritè ſuſcipiendos?*

R. Septem. 1°. Dei vocatio. 2°. Canonica electio. 3°. Sanctitas. 4°. Donum perpetuæ continentiæ. 5°. Scientia competens. 6°. Genius Sacerdotalis, gallicè, *L'eſprit clérical ou ſacerdotal*, quod dicitur à ſancto Ambroſio cor Sacerdotale. 7°. Immunitas ab omni cenſura & irregularitate.

Q. 2°. *Quid eſt vocatio?*

R. Eſt actus providentiæ ſupernaturalis, quo

Deus aliquos præ aliis eligit præparatque dotibus congruis ad ſacra miniſteria dignè & laudabiliter obeunda.

Ergo cùm nullus niſi Epicureus negaverit divinam providentiam, neceſſariò agnoſcenda eſt iſthæc Dei vocatio, utpotè quæ ſit præcipuus divinæ providentiæ actus & maximè neceſſarius ad promovendos homines ad ultimum finem.

Q. 30. *Dei vocatio eſtne neceſſaria?*

R. Eſt omninò. Probatur 1o. ex ſcriptura, Joannis 10. *Qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro.* Et v 7. *Ego ſum oſtium ovium*, ait Chriſtus. Caveant ergo Oſtiarii (Paſtores intelligo) ne iis aperiant quos Princeps mundi ambitione & cupiditate ad pulſandum incitat, quia gregem Chriſti non ita devaſtare poteſt ac per Paſtores non vocatos & mercenarios, Heb. 5. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.*

Probatur 2o. Quia ex Dei vocatione tanquam ex radice ſeu fundamento pendet gratiarum ſeries cujuſque ſtatus propria. *Qui mihi honoris eſt auctor, ipſe mihi fiet adminiſtrationis adjutor*, inquit ſanctus Leo, Serm. 1. in die aſſumptionis ſuæ. Et S. Thomas, 1. part. quæſt. 22. art. 3. *Quaſcumque cauſas aliquibus effectibus præfecit, dedit illis virtutem ad illos effectus producendos.*

Tolle ergo Dei vocationem, idem eſt ac ſi convellas fundamentum quo nititur ædificium, obtutes fontem ex quo rivus emanat, & exſcindas radicem per quam arbor trahit ſuccum & alimentum; *Numquid ex ſpinis colligunt uvas*, ait Chriſtus, Matth. 7. cùm enim ſpinæ ad hujuſmodi fructum producendum non ſint creatæ, virtutem illius producendi non acceperunt à ſuo conditore, ſic aptitudinem non accepit ad munia eccleſiaſtica laudabiliter obeunda, qui non eſt ad ea formatus à Deo. Plura eaque graviſſima, vide tom. 7. part. 3. parag. 1. 2. & 3. ubi exponuntur ſigna divinæ voca-

tionis, quorum alia sunt falsa, alia æquivoca & dubia, alia moraliter certa.

Q. 40. *Præter Dei vocationem requiriturne canonica electio?*

R. Affirmativè, constat enim ex Epistolis S. Pauli ad Tim. & Tit. neminem habitum fuisse Diaconum, & Presbyterum aut Episcopum, nisi qui fuisset probatus & ordinatus ab Apostolis aut ab iis quos ipsi Ecclesiis regendis præfecerant. *Eis qui sunt in Ecclesia Presbyteris obedire oportet, iis qui successionem habent ab Apostolis*, inquit S. Iræneus, lib. 4. cap. 43.

Sed cùm in electione tria sint spectanda, 1°. Postulatio, ut quis præ aliis assumatur ad munus sacerdotale. 2°. Suffragia & consensus in illum qui postulatur. 3°. Consecratio, quâ quis actu & de facto constituitur minister Ecclesiæ: certum est ex dictis solum Episcopum esse ministrum consecrationis seu ordinationis. Circà postulationem verò & suffragium varia fuit Ecclesiæ disciplina; nam ad duodecimum sæculum in electionibus præsertim Episcoporum, ut plurimum, expectabantur vota ac suffragia cleri & plebis: *Sacerdos*, inquit, sanctus Cyprianus, Epist. 68. *plebe præsente, sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur.* Et Hincmarus, Episcopus Rhemensis nono sæculo, in Epistola ad Carolum Calvum scribit, *Ab omnibus debet eligi cui debet ab omnibus obediri.*

Dixi, *ut plurimum*; nam tumultus qui identidem electiones turbabant, mutationis occasionem præbuerunt. Hinc Concilium Laodicenum IV. sæculo sic statuit, can. 13. *Non est permittendum turbis electionem eorum facere qui sunt ad Sacerdotium promovendi.* Sanctus Gregorius solus elegit sanctum Augustinum Anglorum Episcopum. Apostoli quoque & eorum Discipuli præfecerunt Diaconos, Presbyteros & Episcopos absque postulatione & electione plebis. Unde meritò Concilium

Tridentinum, seſſ. 23. can. 7. anathemate percuſſit Pſeudo-reformatos aſſerentes irritas eſſe ordinationes eorum qui ſine populi vel poteſtatis ſæcularis conſenſu aut vocatione conſecrantur.

Q. 5°. *Quid ſi Epiſcopi ordinent quem Deus æternâ ſuâ vocatione non elegit?*

R. Sic promotus eſt quidam coram Deo intruſus, nihilominus valida eſt ejus ordinatio; ita declaravit Concilium Conſtantienſe, ſeſſ. 8. contra Vviclefum & Joannem Hus; cùm enim interna Dei vocatio non ſit omnibus manifeſta, magna foret perturbatio in Eccleſia, ſi exterior & miniſterialis Paſtorum vocatio non ſufficeret ad conſtituendos Eccleſiæ Miniſtros.

Q. 6o. *Quæ ſanctitas in initiandis requiritur?*

R. Requiritur ut ſacris Ordinibus initiandus vel à Baptiſmo innocenter vixerit, vel peccati maculas deinceps contractas longâ pœnitentiâ eluerit, quâ ſolutus ab omnibus vitioſis habitibus, & in caſtitate cæteriſque virtutibus radicatus extra morale relabendi periculum cenſeatur. De Diaconis ait Apoſtolus, 1. Tim. 3. *Habentes myſterium Fidei in conſcientia pura; & hi autem probentur primùm, & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes.* Quod autem ad ejuſmodi probationem ſatis non ſit candidatum in ſeceſſu per aliquot dies piis operibus vacaſſe, addit Apoſtolus, *non Neophytum, ne in ſuperbiam elatus in judicium incidat Diaboli*, id eſt non recens converſum; non in virtute rudem ac novitium, ne pereat, inſtar Luciferi, qui Neophytus in Cœlo ſuperbiit, ideoque damnatus eſt, inquit ſanctus Chryſoſtomus. Unde Concilium Sardicenſe, anno 347. ſic ſtatuit can. 20. *Conveniens non eſt, nec ratio vel diſciplina patitur, ut temerè vel leviter ordinetur aut Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui Neophytus eſt .... ſed hi quorum per longum tempus examinata ſit vita, & merita fuerint comprobata.*

Dixi, *extra morale relabendi periculum cenſeatur*,

quia etsi militia sit vita hominis super terram, & quilibet sanctus in aliquo semper versetur peccandi periculo, dicente Apostolo, 1. Cor. 10. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Attamen qui piis & diuturnis exercitationibus virtutis habitum comparavit, & appetitum sub imperto rationis per longum tempus continuit, qui dudum expertus est munitum se continentiæ dono & charitate flagrat, leviſſima quæque peccata pro virili evacuans, multam perseverandi fiduciam concipit, & aliis injicit. Quomodò verò se gerere debeat Confessarius erga pœnitentem, quia ad Ordinationem admissus est, cùm tamen habitus vitiosos contraxerit, necdum eradicaverit per contrarios, nullumque signum præ se ferat accepisse se à Deo continentiæ donum, diximus tom. 7.

Q. 7°. *Scientia estne necessaria initiandis?*

R. Affirmativè; *Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus*, ait Dominus, Malach. 2. *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi*, Osee 4. & Christus, Matth. 23. *Væ vobis, duces cæci.* Concordat Jus canonicum, cap. *Illiteratos*, Epist. 16. *Litteris carens sacris non potest esse aptus officiis.* Et cap. ultimo de temp. Ordin. in Sexto, suspenditur ad annum Episcopus à collatione Tonsuræ, qui illiterato eam contulerit. Quâ autem scientiâ instructi esse debeant, accuratè exposuimus tom. 7. part. 2. cap. 8. Cùm verò Canonici Ecclesiarum Cathedralium ex suo instituto adjutores sint Episcopi, & loco præemineant toti Clero Diœcesano, ita scientiâ & moribus præluceant necesse est; de iis quippe sic statuit Concilium Lateranense IV. cap. 10. & 11. *Præcipimus tam in Cathedralibus quàm in Conventualibus Ecclesiis viros idoneos ordinari, quos Episcopi possint Coadjutores & Cooperatores habere.* Et Concilium Tridentinum, sess. 24. cap. 12. de Reform. hortatur *ut dignitates omnes & saltem dimidia pars Canonicatuum in Cathedralibus Ecclesiis & Collegiatis*

Collegiatis insignibus, conferantur tantùm Magistris vel Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia, vel saltem in Jure canonico.

Q. 8°. *Quid intelligitur nomine genii sacerdotalis seu clericalis?*

R. Intelligitur vis divinitùs insita, quâ quis incitatur ad functiones ecclesiasticas, utpotè sibi gratas & jucundas.

Dico: *Functiones*, non verò dignitates; ad has quippe ambitio & cupiditas plerùmque movent, non autem ad earum functiones, nisi fortè honos & emolumentum temporale inde spectetur.

Q. 9°. *Genius Sacerdotalis estne necessarius promovendis?*

R. Affirmativè; probaturque ex Scriptura, num. 11. offeruntur Deo viri ab omni plebe testimonium habentes, quòd ornati sint scientiâ, sapientiâ ac pietate, & nihilominùs nondum idonei sunt etiam judicio Dei, qui præficiantur populo. Quid igitur ampliùs in eis requiritur? Spiritus principalis, *Descendam & loquar tibi*, ait Dominus ad Moysen, *& auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi.* Similiter Christus, Joan. 20. Apostolis spiritum suum communicat, cùm eos constituit novæ Legis Ministros: *Sicut misit me Pater*, inquit, *& ego mitto vos. Hæc cùm dixisset, insufflavit, & dixit eis, accipite Spiritum sanctum.* Et ratio est quia res verè non sunt quod videntur, & desit proprius spiritus; cur enim statua aut imago picta non est homo quem effingit, nisi quia non informatur spiritu hominis?

Q. 10°. *In quo consistit præcisè genius sacerdotalis?*

R. Consistit in ardenti studio promovendi gloriam Dei, & salutem proximi; quia genius cujusque artis & conditionis est flagrans studium consequendi finem ad quem ars illa vel conditio est instituta, v. g. Mercatoris magnum faciendi quæstum; atqui finis statûs sacerdotalis est, ut nomen Dei sanctificetur, ut Clericus quos potest in ejus noti-

tiam, amorem & obsequium inducat, in quibus salus proximi propriè consistit.

Ergo in eo differt genius Sacerdotis à genio christiani Laïci, quòd Laïcus sibi attendat, Sacerdos verò æquè de aliorum ac de sua salute timeat ille bonis operibus merita sibi comparet, ut dignus habeatur regno Cœlorum; iste exemplo Christi pro aliis etiam sanctificet se ipsum, ut eos ad vitam æternam secum perducat: magnum solatium est Laïco culpâ vacare, & mundum esse à sanguine eorum qui pereunt; at Sacerdos aliena peccata deflet ut sua: denique Laïcus cavet ne in Dei offensionem incurrat; Sacerdos verò etiam utitur, cùm videt legem Dei ab aliis indignè proculcari. Hinc nascitur animi fortitudo & audacia ad monendum, arguendum, corripiendum.

Q. 11°. *Quæ impedimenta removent ab Ordinibus?*

R. Censuræ & irregularitates, de quibus seorsim dicendum.

APPENDIX
DE CENSURIS.

§. I. *De notione Censuræ.*

Q. 1°. *Quid est Censura?*

R. Describi potest pœna spiritalis & medicinalis ob gravem culpam cum contumacia ad tempus, ecclesiastica potestate inflicta baptisatis, quâ privantur directè usu communium bonorum spiritalium.

Singuli definitionis termini sunt accuratè ex-

pendendi, cùm ex iis solvi debeant quamplurimæ difficultates quæ in hac materia occurrunt. Itaque.

Dicitur 1°. *Pœna*, ut censura distinguatur ab irregularitate, quæ ex sua ratione generica non est pœna, omnis quippe pœna supponit peccatum: atqui plures irregularitates non supponunt peccatum, sed oriuntur ex solo defectu, putà corporis vel animi; ergo non sunt pœnæ, nec proinde censuræ.

Dicitur 2°. *Spiritalis*, quia censura est actus jurisdictionis spiritalis, afficit animam, non corpus, directèque privat bonis spiritualibus, officio sacerdotali, & indirectè solùm temporalibus, putà fructibus Beneficii; cùm enim Beneficium sit propter officium, qui per censuram suspenditur ab officio, consequenter privatur fructibus Beneficii; atque eâ ratione censura distinguitur à pœnis quas Magistratus civilis imponit subditis, quæ sunt actus jurisdictionis temporalis, privantque solùm bonis temporalibus.

Dicitur 3°. *Ecclesiasticâ potestate inflicta*, quia censura est privatio bonorum spiritalium, quæ cùm Laïci non habeant in sua potestate, penès eos non est illa subtrahere. Hinc Abbatissæ non decernunt censuras propriè dictas, sed pœnas dumtaxat œconomicas; nec judex laïcus per decretam corporis comprehensionem directè suspendit Clericum ab officio, à quo tamen debet abstinere, saltem publicè, ad vitandum scandalum, sed irregularitatem non incurrit, si eo defungatur.

Dicitur 4°. *Medicinalis & ad tempus inflicta*, quia censura est ad corrigendum delinquentem; & eâ ratione distinguitur à depositione & degradatione, quæ sunt in perpetuum & in meram vindictam. Per depositionem quippe Clericus in perpetuum privatur omni Beneficio & officio clericali, absque spe veniæ, etiamsi ad meliorem frugem se recipiat & satisfactionem offerat; per degradationem verò

privatur etiam privilegio clericali, redigiturque ad Laïcorum ordinem.

Dicitur 5°. *Baptisatis inflicta*, quia ad ferendas censuras requiritur jurisdictio; atqui Ecclesia non habet jurisdictionem in non baptisatos.

Baptisati non subjiciuntur censuris nisi sint adulti & ratione utantur, quia alioquin non sunt capaces peccati, quod censura necessario præsupponit.

Adulti impuberes ligari possunt censuris, ut patet ex cap. *Super eo*, & cap. *Pueris*, ubi summi Pontifices pronuntiant impuberem qui injustè percussit Clericum, posse absolvi ab Episcopo, quamvis absolutio ab hac censura in puberibus sit reservata Sedi apostolicæ.

Dicitur 6°. *Ob gravem culpam*, quia cùm censura, præsertim totalis, sit gravis pœna, non debet ferri nisi ob gravem culpam; alioquin esset injusta.

Dixi, *Præsertim totalis*, quia sunt aliquæ censuræ partiales, ut excommunicatio minor, suspensio ad breve tempus & ab aliquo tantùm officio, quæ non necessariò supponunt gravem culpam.

Ergo qui ex ignorantia invincibili transgressus est legem, v. g. simoniam juris ecclesiastici commisit in Beneficio, excommunicationem in simoniacos latam non incurrit, quia, ut supponitur, non peccavit; sed collatio Beneficii nulla est, nec Clericus potest illud retinere absque dispensatione.

Ut autem grave peccatum sit materia censuræ, requiritur 1°. ut actus sit externus, ex cap. *Erubescant*, distinct. 32. & ex cap. *Tua nos*, tit. *de simonia*, in quo sic habetur: *nobis datum est de manifestis tantummodo judicare.* 2°. Ut actus sit completus, v. g. simonia ex utraque parte completa, nisi tamen aliud exprimatur in lege; namque per Bullam sancti Pii V. excommunicant simoniaci confidentiarii, etiamsi conventionem ex utraque parte non compleverint, & per Constitutionem Clementis VIII. in Gallia receptam, qui provocant ad duellum,

vel illud acceptant, sunt ipso facto excommunicati, etiamsi conflictus non sequatur.

Porrò peccatum potest esse grave per mandatum superioris, quamvis materia secundùm se spectata & soluta ab omnibus circumstantiis videatur levis, vel etiam indifferens, ut venatio, potatio etiam moderata in popinis, habere in suo famulatu mulierem etiam honestam; quando enim ista viam aperiunt multis corruptelis & scandalum generant, evadunt materia gravis, possuntque prohiberi sub censuris.

Dicitur 7o. *Cum contumacia*, id est cum præcepti & pœnæ ecclesiasticæ contemptu. Ita de excommunicatione habetur expressè, cap. *Constitutionem*, tit. *de Sentent. Excommunic.* in Sexto, ubi Innocentius IV. in Concilio generali Lugdunensi 1. decernit irritam fore excommunicationem, nisi præcedat monitio.

Sed Lex ista spectat solummodò censuram ab homine, seu quæ fertur per modum Sententiæ; nam ad censuram quæ fertur ipso jure, non alia requiritur monitio quàm comminatio censuræ incurrendæ in ipso jure contenta.

Ergo non fertur censura proprie dicta ob peccatum præteritum commissum absque contumacia, hoc est absque prævia monitione.

Ergo ignorantia probabilis seu invincibilis censuræ excusat à censura; peccavit v. g. aliquis, sed inculpatè ignoravit huic peccato censuram esse annexam, non incurrit censuram, quia non fuit contumax nec monitus. Ita expressè habetur cap. *Ut animarum*, tit. *de Constit.* in Sexto.

Ergo lex aut sententia cum communicatione suspensionis aut excommunicationis obligat sub mortali, quia ex gravi pœna colligitur legem obligare sub gravi peccato.

Dicitur 8°. *Quâ privantur usu communium bonorum spiritualium*, eorum scilicet quæ dispensat Ecclesia, qualia sunt Sacrificium, Sacramenta, di-

vina Officia, Orationes publicæ, sepultura ecclesiastica, societas & communicatio cum fidelibus. Bona autem quæ non subsunt Ecclesiæ jurisdictioni & dispensationi, sed immediatè profluunt à Christo capite, ut gratia sive actualis, sive habitualis & sanctificans, non auferuntur nec impediuntur per censuram. Unde censura excommunicationis non impedit quominus excommunicatus auxilia supernaturalia accipiat, moveatur ad perfectam contritionem, obtineatque à Deo remissionem peccatorum.

§. II. *De divisione Censuræ.*

Q. 10. *Quomodo dividitur Censura?*

R. Dividitur 1°, In eam quæ est latæ sententiæ, & eam quæ est ferendæ sententiæ. Prima incurritur ipso facto, id est statim atque peccatum admissum est absque alia sententia judicis; secunda verò non incurritur ipso facto ante sententiam judicis, minusque est censura quàm censuræ incurrendæ monitio seu comminatio, quàm si subditus contempserit, contumax evadit, sicque judex absque alia monitione, censuram in illum ferre potest.

Dignoscitur autem censuram esse latæ sententiæ, quando Superior hisce vocibus utitur, *Ipso jure*, *ipso facto*; *latæ sententiæ*, *confestim*, *ex tunc subjaceat excommunicationi*, *sit excommunicatus*, *anathema sit*. Censura verò ferendæ sententiæ his terminis solet exprimi, *sub pœna suspensionis*, *excommunicationis*, *sub interminatione anathematis*, *decernimus suspendendum*, *excommunicandum*, *&c.* In dubio autem an censura sit latæ vel ferendæ sententiæ, judicandum est esse dumtaxat ferendæ sententiæ, quia odia non sunt amplianda, sed restringenda.

Dividitur 2°. censura in justam & in injustam.

Duplex autem est censura injusta; alia est valida & servanda, de qua sanctus Gregorius, Hom. 6. in Evang. sic habet: *Sententia Pastoris sive justa, sive injusta sit, timenda est*: alia irrita & prorsùs

nulla, nec proinde timenda saltem in foro interiori.

Valida est censura, licèt injusta, cùm adsunt omnia ad essentiam censuræ requisita, putà crimen & monitio; sed desunt quædam accidentaria, v. g. non procedit ex amore justitiæ, sed ex odio; fertur sine scripto, nec in ea exprimitur causa, ut præscribit Concilium Lugdunense 1. vel reus tantam pœnam non meretur; excommunicatur, v. g. cùm satis esset eum suspendi.

Irrita est censura injusta, & prorsùs nulla, quando vel deficit ordo substantialis; monitio, v. g. non præcessit excommunicationem, vel deest causa propter quam fertur, nempe peccatum mortale, à quo immunis est qui putatur reus. In dubio an censura sit invalida, favendum est superiori.

Dixi, *Saltem in foro exteriori*, quia si publicè non constet censuram esse invalidam, accusatus debet exteriùs se gerere tanquam censurâ ligatum ad vitandum scandalum.

Dividitur 3°. Censura in eam quæ est à jure, & eam quæ est ab homine.

Censura à jure est ea quæ in Canonibus Ecclesiæ & Statutis Episcoporum exprimitur ac per modum Legis fertur.

Censura ab homine dicitur quæ fertur à Superiore, non per modum statuti, sed præcepti transitorii, & hæc duplex est; alia generalis, quæ generatim fertur, v. g. in subditos Clericos, qui popinas frequentaverint; alia specialis, quæ fertur in certam ac determinatam personam vel communitatem, ut si Episcopus prohibeat sub pœna suspensionis Clerico ne ingrediatur quamdam domum, propter scandalum quod inde nascitur, vel Monasterio sibi subdito, ne mulieres intra sua claustra admittat.

Q. 2°. *Quid observandum juxta hodiernam Ecclesiæ disciplinam, circa eos qui ligati sunt aliquâ censurâ?*

R. Juxta Constitutionem *ad vitanda scandala*,

ubique receptam, quam vulgò tribuunt Martino V. distinguendum est inter toleratos & non toleratos.

Tolerati dicuntur qui, quamvis publici, non sunt tamen expressè ac nominatim publicati & denunciati auctoritate Judicis; non tolerati verò, qui sunt nominatim denunciati.

Porrò ex illa constitutione & ex hodierna Ecclesiæ disciplina, excommunicati, suspensi, interdicti, sive à jure, sive ab homine, per quamcumque sententiam etiam specialem validè exercent quæ sunt jurisdictionis, validè absolvunt, Beneficia conferunt, &c. nec vitandi sunt, etiamsi notoriè sint excommunicati, nec Sacerdos tenetur, imò nec debet intermittere divinum officium, ex eo quòd advertat adesse excommunicatum notorium, v. g. Calvinianum aut Lutheranum. Contrà verò non toleratorum actus, qui ex jurisdictione pendent, ut absolutio sacramentalis, electio ad Beneficia & eorumdem collatio, sunt irriti ac nulli, nec licet divina Officia prosequi coram excommunicato non tolerato, ut infrà dicetur.

Dixi: *Actus qui ex jurisdictione pendent*; actus enim Ordinis ad quos absolutè non requiritur jurisdictio, sunt validi, quamvis illiciti; excommunicatus non toleratus, v. g. validè baptisat, Eucharistiam conficit, &c.

Laudata constitutio excipit publicum Clerici percussorem, quem declarat vitandum, quamvis non sit nominatim denunciatus. Sed in Gallia ad notorietatem facti debet accedere sententia judicis declaratoria percussorem injustè percussisse; alioquin non erit vitandus, quantùmcumque publicum sit ejus crimen.

Q. 3°. *Laudata constitutio favetne iis qui censuram incurrerunt?*

R. Minimè, sed vergit solummodò in commodum aliorum, ut patet ex ejus verbis: *Per hoc tamen*, inquit, *hujusmodi excommunicatos, suspensos*,

seu prohibitos, non intendit in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari.

Ergo suspensus aut aliâ censurâ ligatus, quantùmcumque occultus peccat si exerceat ea à quibus per censuram prohibetur, & irregularitatem incurrit si exequatur ea quæ sunt Ordinis: similiter excommunicatus occultus, si cum aliis communicet sive in divinis, sive in civilibus, & incapax est Beneficii acquirendi, non privatur tamen ipso facto Beneficio quòd priùs obtinebat, sed privari potest.

§. III. *De Excommunicatione.*

Q. 1°. *Quotuplex est excommunicatio?*

R. Duplex, minor & major.

Q. 2°. *Quam ob causam incurritur excommunicatio minor?*

R. Incurritur ob communicationem non criminosam cum excommunicato non tolerato, cap. *Nuper*, de Sententia excommunic. Nec alia invenitur hujusce excommunicationis causa in jure novo. Dico, *in jure novo*; quia in veteri quamplurimæ leguntur excommunicationes, quas Theologi interpretantur minores, quæque jam non sunt in usu.

Q. 3°. *Quid est excommunicatio minor?*

R. Est censura quâ baptisatus privatur participatione Sacramentorum, & passivâ electione ad dignitates & beneficia ecclesiastica. Colligitur ex cap. *Si celebrat*, tit. *de Clerico excommunic.*

Ergo duo sunt effectus minoris excommunicationis, scilicet privatio perceptionis Sacramentorum, & passivæ electionis ad Beneficia.

Ergo peccat graviter minori excommunicatione ligatus scienter recipiens Sacramenta aut Beneficia, quia in re gravi censuram violat; non fit tamen irregularis, nec Beneficii provisio est irrita, sed solùm irritanda, ut expressè habetur laudato cap. *Si Celebrat.*

Ergo Sacerdos ligatus minori excommunicatione non violat cenſuram, nec peccat præcisè miniſtrando Sacramenta aut conferendo Beneficia, quia minor excommunicatio non privat activâ adminiſtratione Sacramentorum, nec activâ electione ad Beneficia. Peccaret tamen ſi ſcienter conferret Sacramenta aut Beneficia excommunicato excommunicatione minori, quia non licet indignis Sacramenta aut Beneficia conferre.

Q. 4°. *Quid eſt excommunicatio major?*

R. Eſt cenſura quâ baptiſatus in vindictam gravioris delicti totaliter abſcinditur à corpore Eccleſiæ, habeturque ſicut Ethnicus & Publicanus.

Ergo excommunicatio major eſt omnium cenſurarum graviſſima, aliaſque complectitur, ſicut totum continet partes, in excommunicatione enim includitur ſuſpenſio & interdictum, ut infrà patebit. Majori excommunicatione percuſſi dicuntur 1°. Præciſi & abciſſi tanquam rami à trunco, qui brevi areſcunt; & membra à corpore, à quo ſpiritum vitalem haurire nequeunt, & ideo in corruptionem abeunt; nam ex ſancto Auguſtino, non vivit ſpiritu Chriſti, niſi Corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia 2°. Satanæ traditi, ex Apoſtolo, 1. Cor. 5. quia ovis ſcabioſa lupo tradi cenſetur, hoc ipſo quo ex ovili ejicitur; Eccleſia quippe eſt Chriſti ovile in quo oves ſub vigilanti Paſtore ſecurè accubant; eſt & arx munitiſſima Chriſti virtute circumvallata, adversùs quam portæ inferi non prævalent; porrò inde expelli, quid aliud eſt quàm Satanæ tradi, qui *ſicut leo rugiens quærit quem devoret*, 1. Petr. 5. Unde ſanctus Hieronymus, Epiſt. 1. ait; *Nunc inobediens ſpiritali mucrone truncatur, aut ejectus ab Eccleſia, rabido Dæmonum ore diſcerpitur.*

Q. 5°. *Quot ſunt majoris Excommunicationis effectus?*

R. Quinque vulgò numerantur.

1°. Excommunicatus etiam toleratus privatur communibus Eccleſiæ ſuffragiis, nimirum ſacrifi-

ciis, orationibus, indulgentiis, jejuniis, & aliis operibus satisfactoriis, quæ offeruntur nomine Ecclesiæ, ex cap. *Sacris*, tit. *de Sentent. excommunic.* Licet tamen cuilibet privato etiam Sacerdoti celebranti, ex propria devotione, & suo privato nomine, preces, sacrificium, & alia bona offerre pro excommunicati conversione.

2°. Excommunicati etiam tolerati extorres sunt à Sacramentorum collatione sicut suspensi, & receptione quemadmodum interdicti,

Ergo absolutio ab excommunicatione præmitti debet absolutioni à peccatis, secùs dicendum de absolutione à suspensione; cùm enim hæc censura non privet suspensum à perfectione Sacramentorum, suspensus potest priùs absolvi à peccatis & admitti ad perceptionem Eucharistiæ, quàm per Superiorem absolvatur à suspensione.

3°. Excommunicati etiam tolerati inhabiles sunt ad Beneficia & dignitates, ita ut eorum collatio sit irrita & prorsùs nulla, ex cap. *Postulastis*, tit. *de Clerico excommunic.*

Isthæc juris dispositio extenditur ad pensionem clericalem, cujus incapax est excommunicatus secundùm communiorem sententiam, quia excommunicatus, utpote membrum ab Ecclesiæ corpore præcisum, nullam ab ea gratiam recipere potest.

4ª. Excommunicatus etiam toleratus privatur omnis spiritalis jurisdictionis usu; non potest sine gravi peccato Ministros instituere, alios excommunicare, leges ferre, in iis vel in votis & juramentis dispensare, suam jurisdictionem alteri delegare, conferre Beneficia, ad ea eligere aut præsentare. Validi tamen sunt illi omnes actus, quandiu est toleratus; secùs, si non sit toleratus.

5°. Excommunicatis interdicitur omnis communicatio cum fidelibus; non sunt tamen vitandi quandiu tolerantur, secùs si non tolerentur.

Actiones autem humanas in quibus communicare non licet cum excommunicatis non toleratis,

ſigillatim Canoniſtæ exprimunt verſu ſequenti:

Os orare, vale, communio, menſa negatur.

Os ſignificat confabulationes ſive verbo, ſive ſcripto. *Orare* denotat orationem cum excommunicato non fundendam. *Vale* negat honorificam ſalutationem, v. g. aperiendo caput, &c. *Communio* prohibet omnem ſocietatem, ut in contractibus & communi habitatione. *Menſa* ſignificat non comedendum cum excommunicato.

Excipiuntur tamen nonnulli caſus quos Canoniſtæ ſic exprimunt.

Utile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.

Per *utile* intelligitur utilitas ſive ſpiritualis, ſive temporalis, propter quam fidelis poteſt communicare cum excommunicato non tolerato, putà ut eum ad meliorem frugem reducat, cap. *Cum voluntate*, tit. *de ſentent. Excommunic.* ut debitum repoſcat, ut conſilium aut auxilium recipiat, ſi non ſit alius præter excommunicatum à quo accipere poſſit. Per vocem *lex* intelligitur Matrimonium propter quod conjuges poſſunt inter ſe communicare, licèt alter eorum ſit excommunicatus non toleratus. Per *humile* ſignificatur officium filiorum, ſervorum & ſubditorum, qui non tenentur obſequi excommunicatis parentibus, dominis, & ſuperioribus. *Res ignorata* denotat excuſandum fidelem, qui ex ignorantia vel inadvertentia communicat cum excommunicato. *Neceſſe* deſignat neceſſitatem tam excommunicati quàm non excommunicati, propter quam jure naturali & divino tenemur auxilium præſtare proximo, v. g. alimenta neceſſaria ſubminiſtrare, nudum veſtire, mortuum ſepelire, non tamen in Eccleſia aut Cœmeterio ſi excommunicatus non erat toleratus. Plures difficultates æque graviſſimæ proponi ſolent circa Monitoria, quas brevitas Compendii non ſinit expendere. Conſulat Lector, tom. 7. tit. *de Monitoriis*.

§. IV. *De Interdicto.*

Q. 1°. *Quid est interdictum?*

R. Est censura privans baptisatum aliquibus Sacramentis, omnibusque officiis divinis, & sepulturâ ecclesiasticâ. Colligitur ex cap. *Quod inte*, tit. *de Pœnit. & Remiss.*

Dixi, *Aliquibus Sacramentis*; non enim privat Baptismo, nec Sacramentis Pœnitentiæ & Matrimonii, ex cap. *Alma*; tit. *de Sentent. Excom.* in Sexto.

Ergo interdictum non privat omnibus Ecclesiæ bonis, nempe omnibus Sacramentis, & communione Fidelium in civilibus, nec interdictus, etiam nominatim denunciatus, est vitandus, nisi in Officiis divinis.

Q. 2°. *Quid intelligitur nomine divinorum Officiorum?*

R. Omnis actio ordinata ab Ecclesia ad usum Ordinum, Sacramentorum ac sacramentalium, & preces ejus nomine fundendas, quales sunt horæ canonicæ.

Ergo tempore interdicti potest benedici mensa etiam ab interdictis; possunt etiam tam Laïci quàm Clerici fundere preces privatas, quia ista non peraguntur tanquam à Ministris Ecclesiæ. Quin Clerici interdicti tenentur sicut excommunicati privatim pensum Horarum canonicarum persolvere: debent tamen omittere versiculum præscriptum in Breviario Romano, *Dominus vobiscum*, quia brevis illa oratio est actus hierarchicus.

Q. 3°. *Quotuplex est Interdictum?*

R. Triplex: locale, personale, & mixtum.

Locale directè cadit in locum, ne in eo Officia divina celebrentur saltem publicè, neve quisquam ibidem sepeliatur.

Personale afficit ipsas personas, ita ut non solùm in loco interdicto, sed in alio quovis loco Officia divina audire non possint, nec in ullo loco sacro sepeliri.

Mixtum conflatur ex locali & personali, directèque afficit locum & personas; ac proinde omnes interdicti localis & personalis habet effectus.

Ergo si interdictum sit solummodò locale, poterunt incolæ alibi divinis Officiis interesse, in alio loco sacro post mortem sepeliri, modò locus ille non sit quoddam accessorium Ecclesiæ interdictæ, ut cœmeterium ipsi contiguum, quia, inquiunt, accessorium sequitur principale; non contra, interdicto enim cœmeterio, non censetur Ecclesia interdicta.

Dixi: *Cœmeterium contiguum*; si enim ejus extrema non contingunt Ecclesiam interdictam, cœmeterium non erit interdictum.

Cætera quæ pertinent ad interdictum, vide Tom. 7. cap. 9. parag. 9. *de Interdicto.*

§. V. *De Suspensione.*

Q. 1°. *Quid est Suspensio?*

R. Est censura quâ Clerico prohibetur usus Ordinis, Officii, & Beneficii.

Dicitur 1°. *Clerico*; ut denotetur solum Clericum esse suspensionis subjectum.

Dicitur 2°. *Prohibetur usus Officii & beneficii*, ut distinguatur suspensio à depositione; per depositionem enim Clericus spoliatur potestate jurisdictionis & ipso beneficii titulo; per suspensionem verò ipsi solùm prohibetur usus jurisdictionis & beneficii.

Q. 2°. *Quotuplex est suspensio?*

R. Triplex; alia ab Ordine, alia ab Officio, alia à Beneficio.

Suspensio ab Ordine est ea quâ Clericus privatur usu suorum Ordinum, ita ut licitè non possit Missam celebrare, Sacramenta ministrare si sit Sacerdos, fungi munere Diaconi aut Subdiaconi, denique ea peragere, quæ non nisi ab Ordine initiatis ritè peragi possunt. Unde cùm actus minorum Ordinum hodie promiscuè exerceantur à Laïcis & Cle-

ricis solâ tonsurâ insignitis, Diaconus aut Subdiaconus suspensus nonincurreret irregularitatem si functiones minorum Ordinum obiret ; & ita secundùm hodiernam disciplinam non creditur suspensionem cadere nisi in eos qui sunt ad majores Ordines promoti.

Suspensio ab officio est ea quâ Clerico prohibetur jurisdictionis usus, ut eligere ad Beneficia, censuras ferre, delegare ad munia sacerdotalia obeunda.

Suspensio à Beneficio est ea quâ Clericus privatur fructibus temporalibus sui Beneficii, nec proinde potest eos administrare, cap. *Cùm Venionienſis*, tit. *de Electione*. Verùm isthæc suspensio locum non habet in Galliis, ubi Clericus, quandiù non est spoliatus Beneficii titulo, non potest sine abusu per Judicem ecclesiasticum privari Beneficii fructibus, sed recurrendum est ad Judicem laïcum, ut probavimus tom. 7.

§. VI. *De Absolutione à Censuris*

Q. 10. *Quis potest absolvere à Censuris?*

R. In foro conscientiæ solus Sacerdos, quia in illo foro nemo præter Sacerdotem potest esse Judex : in foro verò exteriori seu contentioso, is qui censuram tulit, vel ejus successor, vel delegatus ab ipso, vel ejus superior in causa appellationis. Ita habetur cap. *Nuper*, tit. *de Sent. Excom.* & cap. *Verbum*, tit. *de Pœnit.* dist. 1. his verbis : *Dominus par jus & solvendi esse voluit & ligandi, qui utrumque pari conditione permisit.*

Sed observandum est absolutionem à censuris datam in foro conscientiæ non habere effectum nisi coram Deo, nec impedire quominus solutus conveniatur coram Judice in foro externo, ibique declaretur excommunicatus aut suspensus, ac omnem pœnam subeat, nullâ ratione habitâ absolutionis in foro interiori obtentæ.

Q. 20. *Quis Sacerdos potest absolvere à censuris in foro conscientiæ?*

R. 1°. In articulo mortis quivis Sacerdos, etiam excommunicatus, ac nominatim denunciatus, à quâlibet censura absolvere potest, ex Concilio Tridentino, sess. 14. cap. 7. Utrum autem infirmus, recuperatâ sanitate, teneatur sub pœna reincidentiæ, ut aiunt, se sistere coram Superiore, juxtà Constitutionem Bonifacii VIII. expendimus tom. septimo.

R. 2°. Extra mortis articulum omnis Sacerdos approbatus potest absolvere à censuris non reservatis, ex cit. cap. *Nuper.* Si censura sit reservata, jure antiquo is solus potest ab ea absolvere qui eam sibi retinuit, vel ejus successor, vel delegatus, vel superior, ex cit. cap. *Nuper.*

Dixi, *Jure antiquo*, nam jure novo Concilium Tridentinum, sess. 14. cap. 6. *de reform.* permittit Episcopo absolvere à casibus & censuris summo Pontifici reservatis, modò casus illi sint occulti nec ad forum contentiosum deducti.

Q. 3°. *Quæ censura censetur reservata?*

R. Excommunicatio si sit à jure, vel ab homine per modum sententiæ generalis, reservatio debet exprimi in ipsa lege vel sententia, cap. *Nuper*, tit. de Sentent. Excommunic. *Quia*, inquit summus Pontifex, *conditor canonis qui ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* Si autem censura sit ab homine, per Sententiam specialem censetur reservata, etiamsi reservatio non exprimatur. Ita communiter Theologi. Hinc excommunicatus per Monitorium non potest absolvi nisi à Superiore aut ejus delegato, quia Sententia judicis censetur particularis, quamvis comprehendat omnes qui non paruerunt Monitorio. Patet exemplo Sententiæ quâ Judex secularis morte damnat omnes qui in aliquo crimine, putà homicidio, participarunt; hæc quippe Sententia, quamvis generaliter enuncietur, propriè tamen particularis est, quia factum singulare spectat.

Dixi, *Censura Excommunicationis*, de ea enim

solùm loquitur summus Pontifex. Unde colligunt Theologi censuram suspensionis & interdicti personalis esse reservatam, etiamsi sit à jure, nec reservatio exprimatur. Vide Navar. Man. cap. 27. num. 161. Avilam. 3. part disp. 6. dub. 1. concluf. 1. & collationem sextam Diœcesis Agathensis.

Ergo, inquies, quilibet Sacerdos approbatus frustrà absolvit ab omni vinculo non solùm excommunicationis, sed etiam suspensionis & interdicti.

Nego sequelam; hæc enim absolutio datur ad cautelam ex consensu Ecclesiæ, nec proinde frustrà, si pœnitens invincibiliter ignoret se ligatum esse aliquâ ex ejusmodi censuris.

APPENDIX
DE IRREGULARITATE.

§. I. *De notione & divisione Irregularitatis.*

Q. 1°. *Quid est Irregularitas?*

R. Est impedimentum canonicum quo vir baptisatus directè & primariò interdicitur susceptione Ordinum, & consequenter eorum usu.

Dicitur 1°. *Impedimentum*, non verò pœna, quo distinguitur à censura, quæ, ut supponit culpam ex dictis, semper est pœna: irregularitas verò aliquando contrahitur ex defectu & sine culpa, ut irregularitas ex cæcitate aut mutilatione, ac proinde ex suo genere non est pœna, sed solùm inhabilitas quædam seu impedimentum.

Dicitur, 2°. *Canonicum*, quo significatur irregularitatem debere esse in jure expressam, nullamque esse ab homine.

Dicitur, 3°. *Quo vir baptisatus* : 1°. ut denotetur subjectum irregularitatis, mulier enim sicut est subjectum incapax Ordinis, ita & irregularitatis. 2°. Quia infidelis non est subditus legibus Ecclesiæ, nec proinde irregularitate canonicâ ligari potest. Subjectum ergo irregularitatis est omnis & solus baptisatus, sive sit Clericus, sive Laïcus.

Dicitur, 4°. *Directè & primariò interdicitur susceptione Ordinum*, quo distinguitur irregularitas à suspensione, quæ primariò impedit usum Ordinis. Hinc suspensio spectat solùm Clericos in sacris constitutos; unde in forma absolutionis sacramentalis omittendum est, *à vinculo suspensionis*, quando pœnitens est Laïcus.

Dicitur, 5°. *Et consequenter eorum usu*, quia irregularis peccat graviter, si exercet Ordinis functiones, nullam tamen pœnam canonicam propterea incurrit.

Cùm autem Tonsura clericalis in Jure vocetur Ordo, ut cap. *Contingat*, tit. *de ætat. & qualit. præficiendorum*, irregularitas est impedimentum suscipiendæ Tonsuræ.

Ergo triplex est effectus irregularitatis. 1°. Impedit susceptionem Ordinum & Tonsuræ clericalis. 2°. Privat usu Ordinum omnium quidem, si sit totalis, quorumdam verò, si sit partialis. 3°. Inhabilem reddit ad quodlibet Beneficium recipiendum, si sit totalis, ex cap. *Si celebrat*, tit. *de Clerico excommunic.* & ratio est quia Beneficium datur propter officium: atqui irregularis prohibetur fungi Ordinis officio; ergo non potest recipere Beneficium quod est propter officium, ergo tenetur dimittere Beneficium in irregularitate totali obtentum, & fructus inde perceptos restituere.

Dixi, *Ad recipiendum Beneficium*, quia propter irregularitatem quæ supervenit Beneficio jam obtento, Beneficiarius potest quidem privari Beneficio; sed actu & de facto non privatur.

Q. 2°. *Quomodo dividitur irregularitas?*

R. Dividitur 1°. in totalem, quâ quis privatur

quolibet Ordinum usu, ut homicida; & partialem, quâ quis privatur aliquo dumtaxat Ordinis officio, ut percussus cæcitate, cui non licet Sacrificium offerre, sed potest confessiones excipere & concionari.

Dividitur 2°. in eam quæ est ex defectu, putà ex cæcitate, contrahiturque sine peccato; & eam quæ est ex delicto, v. g. ex homicidio.

Q. 3°. *Quot sunt irregularitates ex defectu?*

R. Novem.

1. Ex defectu animæ.
2. Ex defectu corporis.
3. Ex defectu natalium.
4. Ex defectu ætatis, de qua diximus ubi de subjecto Ordinis.
5. Ex defectu libertatis.
6. Ex defectu obligationis.
7. Ex defectu Sacramenti.
8. Ex defectu bonæ famæ.
9. Ex defectu lenitatis.

§. II. *De Irregularitate ex defectu animæ.*

Q. 1°. *Quot sunt irregularitates ex defectu animæ.*

R. Tres.

Prima est defectus rationis, ut in infantibus, amentibus, & furiosis, cap. *Maritum*, distinct. 33. Energumenis, cap. *Usque adeo*, distinct. 33. Epilepticis, cap. *In tuis Litteris*, causâ 7. quæst. 5.

Ex Concilio Toletano 11. can. 13. Energumeni, Lunatici & Epileptici, postquam per annum ab Episcopo probati fuerint, sanati aut liberati, in susceptis Ordinibus ministrare possunt; sed ad superiores Ordines absque dispensatione promoveri nequeunt, ex cit. cap. *Maritum*.

Secunda est defectus scientiæ competentis ad officia Ordinis ritè obeunda, ex cap. *Illiteratos*, distinct. 36. Quin cap. *Cùm in cunctis*, quòd est Concilii Lateranensis 4. parag. *Clerici*, tit. *de Elect.*

Clerici, qui hujusmodi illiteratum scienter elegerint, per triennium à Beneficio sunt suspensi; & Episcopus qui iniquè electioni consenserit, pro hac vice privatur jure conferendi: *Ut quos*, inquiunt Patres, *Dei timor à malo non revocat, ecclesiastica saltem coërceat severitas disciplinæ.*

Tertia est defectus fidei, quâ inhabiles sunt ad Ordines suscipiendos.

1°. Filii Hæreticorum, ex cap. *Quicumque*, parag *Hæretici*, tit *de Hæreticis*, in Sexto. Sed Canon ille non viget in Galliis, ubi non solùm Hæreticorum filii, sed ipsimet Hæretici, postquam hæresim adjurarunt, ad Ordines & Beneficia absque dispensatione admittuntur.

2°. Neophyti, id est qui recens sunt baptisati, ex cap. 3. v. 6. 1. ad Tim. & qui à statu Laïcorum statim ad Ordines aspirant, ex S. Gregorio lib. 9. Epist. 106. novæ Editionis, referturque dist. 48. cap. *Sicut*, his verbis: *Sicut Neophytus tunc dicebatur qui in initio sanctæ Fidei erat conversatione plantatus, sic modò Neophytus habendus est qui repentè in Religionis habitu plantatus, ad ambiendos honores sacros irrepserit.*

§. III. *De Irregularitate ex defectu corporis.*

Q. 1°. *Quot defectus corporis indicunt irregularitatem.*

R. Quatuor.

1°. Mutilatio; nam cap. *Presbyterum*, tit. *de Clerico ægrotante*, celebrare non permittitur Presbyter, cujus duos digitos cum medietate palmæ prædones abscideranr. Idem sentiendum de eo qui ita tremulis est manibus, ut sine periculo subversionis Calicis non possit celebrare. Privatio tamen digiti, nisi sit pollex aut index, aut propriâ culpâ acciderit, non facit irregularem, ex cap. *Qui partem*, & cap. *Lator*, distinct. 55.

2°. Defectus qui horrorem & scandalum generat,

ut lepræ macula, cap. *de Rectoribus*, tit. *de Clerico ægrotante.*

3°. Debilitas, quâ quis non potest nisi indecenter & nimia cum difficultate sacras functiones exercere, ut si quis habeat partem pollicis aut indicis amputatam vel careat lumine oculi sinistri, quamvis integri.

Observant tamen Navarrus cap. 23. Man. num. 199. Sayrus lib. 6. cap. 8. & Sambovius tom. 2. casu 5. quòd si tantâ virtute polleat in dextero oculo, ut sine deformitate legere possit Canonem, non censetur irregularis.

4°. Defectus qui parit notabilem deformitatem, ex cap. *Cùm de tua*, tit. *de corpore vitiat.* Hinc irregularis est qui caret oculo sive dextro, sive sinistro, ex cap. *si Evangelica*, distinct. 55. naso, pede, vel ita debilis est pedibus ut sine baculo ad altare stare nequeat, qui ita surdus est ut nullomodo possit audire, qui nodum linguæ ita patitur ut verbum integrum vix exprimere possit.

Dixi, *qui caret oculo*; qui enim utrumque oculum habet integrum, sed caret lumine oculi dextri absque notabili maculâ, irregularis non est, secundùm communem sententiam.

Cæterùm in dubio num deformitas aut indecentia irregularitatem inducat, standum est Episcopi judicio, ex cit cap. *Cùm de tua.*

Q. 2°. *Vitia corporis occulta inducuntne irregularitatem?*

R. Minimè, exceptis duobus casibus; quia tunc nulla est deformitas, nullum indecorum in exercitio Ordinum.

Dixi, *Exceptis duobus casibus.* 1°. Qui Eunuchus propriâ culpâ factus est, aut membrum sive partem membri absque justa causa sibi amputavit, irregularis est, quantùmcumque occultum sit vitium, ex cap. *Maritum*, distinct. 33. 2°. Hermaphroditus etiam occultus, sicut à professione Religionis, ita & ab Ordinibus rejiciendus est secundùm communem Theologorum & Canonistarum sententiam.

§. IV. *De Irregularitate ex defectu libertatis & natalium.*

Q. 10. *QUinam sunt irregulares ex defectu natalium?*

R. Hoc modò irregulares sunt.

1°. Servi, hoc est mancipia, gallicè, *Esclaves*, nisi priùs à dominis libertate donati fuerint, sed in Gallia locum non habet isthæc irregularitas, cùm in ea nulli sint servi, sed solùm famuli.

2°. Omnes illegitimi, id est, qui ex fornicatione, vel ex adulterio sunt procreati.

Q. 2°. *Estne irregularis qui natus est ex matrimonio in facie quidem Ecclesiæ celebrato, sed revera nullo, ob aliquod impedimentum dirimens?*

R. Si parentes bonâ fide contraxerunt, vel saltem alter eorum, illegitimus non est nec irregularis, etiamsi per sententiam Judicis separati fuerint qui sic contraxerunt, ex cap. *Cùm inter*, tit. *Qui sunt filii legitimi*; secùs si ambo parentes malâ fide contraxerunt, ex cap. *Referente*, eodem tit.

Q. 3°. *Expositi infantes quorum parentes ignorantur, suntne illegitimi & irregulares?*

R. Negant nonnulli; sed sententia affirmans longè est communior eamque amplectuntur Covarruvias in Clementinam *Si furiosus*, Suares, Avila, Bonacina, & alii; cùm tamen subsit aliquod dubium facti, idem Covarruvias, Suares, Bonacina & alii Canonistæ docent Episcopum posse dispensare cum exposito ut Ordines suscipiat, & in eis bonâ fide ministret.

Q. 4°. *Quomodo tollitur isthæc irregularitas?*

R. Quatuor modis.

1°. Per subsequens matrimonium, quando scilicet fornicarius eam in uxorem ducit ex qua prolem susceperat, ex cap. *Tanta*, tit. *Qui sunt filii legitimi.*

2°. Per legitimationem, quæ à solo summo Pon-

tifice emanare debet quoad effectus spirituales, & à Rege quoad effectus civiles; ita ut nothus per principem paternæ hæreditatis jure donetur, & per Pontificem habeat, ut ad Ordines & Beneficia promoveri possit.

3°. Per solemnem Religionis professionem, ex cap. *Cùm decorem*, tit. *de filiis Presbyt.* ubi dicitur illegitimum professum promoveri posse ad Ordines, non verò ad prælaturas.

4°. Per dispensationem quam Episcopus concedere potest ad minores Ordines & Beneficium simplex, solus verò summus Pontifex ad majores Ordines & prælaturas, seu Beneficia quibus cura animarum imminet, ex cap. *Is qui*, tit. *de filiis Presbyt.* in Sexto.

Advertes autem 1°. Canonicatus hîc non comprehendi inter Beneficia simplicia ad quæ Episcopus dispensare possit, quia Canonicus tenetur promoveri ad majores Ordines, ad quos Episcopus dispensare nequit. 2°. Dispensationem, quæ conceditur ad suspiciendos Ordines, non extendi ad Beneficia, nisi de iis eorumque naturâ fiat expressa mentio.

§. V. *De irregularitate ex defectu obligationis & Sacramenti.*

Q. 1°. *Quinam contrahunt irregularitatem ex defectu obligationis?*

R. Duo hominum genera.

1°. Curiales, hoc est, qui ex officio negotiis sæcularibus implicantur, ut Procuratores, Advocati, Notarii, Milites. Ita Alexander III. in Concilio Lateranensi III. referturque cap. *Sed nec*, tit. *de Cleric. vel Monach.*

2°. Qui, dimisso curiali officio, obligantur ad ratiocinia reddenda, ex cap. *Unico*, tit. *de Obligat. ad ratio.* Quia adhuc implicati censentur sæcula-

ribus negotiis, periculumque est ne à Judicibus sæcularibus in Ecclesiæ dedecus infamentur, si dolus aut fraus in rationibus inveniatur.

Sanctus Cyprianus scribit à se decretum in Concilio ne quis tutorem vel curatorem Clericum testamento suo constitueret, referturque causâ 21. quæst. 3. cap. *Cyprianus.* Sed Concilium Chalcedonense relatum, dist. 86. cap. ultimo, temperavit decretum, Can. 6 his verbis: *Nisi fortè qui legibus ad minorum ætatum tutelas sive curationes inexcusabiles attrahuntur.*

Q. 20. *Quid est irregularitas ex defectu Sacramenti?*

R. Est ea quæ oritur ex bigamia, hoc est ex matrimonio pluries contracto; Apostolus enim 1. Tim. 3. & Tit. 1. prohibet ordinari eum qui non sit unius uxoris vir. Ideo autem bigamia dicitur defectus Sacramenti, quia non repræsentat unionem Christi cum Ecclesia, Christus enim in æternum unam desponsavit Ecclesiam, & vera Ecclesia vicissim uni Christo adhæret: Sacramentum hoc magnum est, quod non repræsentat qui duas uxores duxit.

Q. 30. *Quotuplex est bigamia?*

R. Triplex, vera scilicet, interpretativa & similitudinaria.

Bigamia vera est ea quâ aliquis duas uxores legitimè duxit, & cum iis matrimonium consummavit.

Dixi 1°. *Legitimè duxit*, quia ex fornicatione vel ex adulterio non exurgit bigamia nec irregularitas, cap. *Quin*, tit. *de bigamis non ordinandis.*

Dixi 2°. *Et cum iis matrimonium consummavit*; quia si non consummaverit, non est irregularis, ex cap. *Debitum*, tit. *de bigamis non ordinandis.*

Bigamia interpretativa est ideò qui viduam duxit, ex Innocentio I. Epist 2. S. Leone, Epist. 87. & can. 18. Apostolorum. Unde bigamus declaratur can. 8. Concilii Neocæsarienſis, qui virginem quidem duxit, sed adulteram post celebratas nuptias cognovit.

Bigamia

Bigamia similitudinaria est ea quâ aliquis post solemnem Religionis professionem vel post sacrum Ordinem susceptum, contrahit matrimonium, sive cum virgine, sive cum corrupta, ex cap. *Nuper*, tit. *de Bigamis non ordinandis.*

§. VI. *De irregularitate ex defectu bonæ famæ.*

Q. 1°. *In quo differt defectus bonæ famæ ab infamia?*

R. In eo differt quòd defectus bonæ famæ præcisè non oriatur ex delicto, ut videre est in eo qui viliorem exercuit artem, mimam etiam virginem duxit aut mulierem prostitutam; infamia verò proprie non oriatur nisi ex crimine. De utraque tamen hîc dicemus propter ordinem materiæ & doctrinam.

Q. 2°. *Infamia inducitne irregularitatem?*

R. Affirmativè; est enim regula juris in Sexto: *infamibus portæ non pateant dignitatum.*

Q. 3°. *Quotuplex est infamia?*

R. Duplex, juris scilicet & facti.

Infamia juris est ea quæ imponitur Jure canonico vel etiam civili, nisi lex canonica Juri civili derogaverit, ex cap. *Omnes*, causâ 6. quæst. 1. quia Sacerdotio sunt indigni quos leges canonicæ & civiles declarant infames.

Dixi, *Nisi lex canonica Juri civili derogaverit*, sicut de facto derogavit legi civili, quæ viduam pronunciat infamem, si tempore luctûs nupserit.

Infamia facti est ea quæ oritur ex delicto propter quod aliquis malè audit apud viros graves & sapientes, quamvis per legem delictum illud non notetur infamiâ, ex cap. 1. *Licet*, tit. *de probationibus.*

Q. 4°. *Quotuplex est Juris infamia?*

R. Duplex; alia quæ per Legem ipso facto decernitur in eos qui nonnulla atrociora crimina pa-

traverint, ut in usurarios & perjuros : alia quæ oritur ex Sententia quâ Judex condemnat ad pœnam infamantem, putà ad Triremes.

Q. 5°. *Contrahiturne infamia ex hujusmodi criminibus, quando sunt occulta ?*

R. Minimè, quia non privant bonâ famâ.

Q. 6°. *Quæ notorietas requiritur ut quis censeatur infamis & irregularis ob infamiam Juris.*

R. In Gallia non admittitur notorietas facti, sed requiritur Sententia declaratoria, ut quis perjurus v. g. aut usurarius censeatur infamis & irregularis, quamvis ante Sententiam propter ejusmodi crimina vulgò malè audiret. Unde si juridicè non fuerit declaratus perjurus aut usurarius, potest absque dispensatione ordinari, vel in susceptis Ordinibus ministrare, postquam per pœnitentiam & probatos mores malam famam deleverit.

Q. 7°. *Omnis mulcta aut pœna à Judice inflicta inducitne infamiam Juris ?*

R. 1°. Nulla pœna à Judice ecclesiastico inflicta præcisè ac directè inducit infamiam, saltem quoad effectus civiles ; tum quia paterna est & ad peccatoris emendationem tendens, tum quia sicut bona fortunæ, ita & bonum famæ directè subest Jurisdictioni civili, non ecclesiasticæ.

Dixi 1°. *Præcisè ac directè*, quia si accusatus convincatur criminis ipso jure infamantis, eo ipso quo Judex ecclesiasticus eum declarat hujusce criminis reum, indirectè reddit infamen.

Dixi 2°. *Quoad effectus civiles* ; quia Ecclesia potest reddere infamem quoad effectus spirituales ; arcet enim ab ordinibus defectu bonæ famæ qui gradus pœnitentiæ luctuosæ decurrerunt, ex cap. *Non negamus*, dist. 61.

R. 3°. Non quævis mulcta aut pœna à Judice seculari imposita infamem reddit, nisi crimen propter quod reus damnatur infamiam habeat ipso jure annexam. Sed pœna debet esse gravis, ut ignominiosè traduci, gallicè, *Faire amende honorable* ; nu-

mellis publicis versari, gallicè, *Etre mis au Pilori*, virgis cædi, ad remos dari, auxilio damnari, à Judice laïco juridicè reprehendi, gallicè, *Etre blâmé*, non verò admoneri, gallicè, *Etre admonesté*. Unde Judex ecclesiasticus potest quidem pronunciare Clericum à se damnatum teneri sistere se coram Tribunali, ut ibi admoneatur, non verò ut reprehendatur.

Q. 8°. *Infamia facti redditne irregularem?*

R. Affirmativè, nam ex Apostolo, 1. Tim. 3. qui ad sacrum Ministerium assumitur, *Oportet illum habere bonum testimonium ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat & in laqueum Diaboli*, hoc est, ne sit pusilli animi & quasi laqueis Diaboli irretitus, non audeat arguere ubi oportet, ne propria vitia ipsi objiciantur.

Q. 9°. *Quomodo tollitur irregularitas orta ex infamia?*

R. Irregularitas ex infamia facti tollitur absque dispensatione per eam vitæ emendationem, quæ maculas prioris vitæ non solùm coram Deo, sed etiam in opinione hominum deterserit, quod difficillimum est; sicut enim vestium, ita & vitæ sordes difficiliùs abluuntur quàm contrahuntur. Irregularitas verò Juris non tollitur per solam pœnitentiam, sed insuper requiritur dispensatio, ex cap. *Cum te*, tit. *de Sent. & re judic.*

§. VII. *De irregularitate ex defectu lenitatis.*

Q. 1°. *Quis est irregularis ex defectu lenitatis?*

R. Qui concurrit voluntariè & proximè, licèt justè, ad proximi necem aut mutilationem, ex cap. *Si quis viduam*, dist. 50. & cap. *Si furiosus*, Clementinâ *de Homicidio.*

Dixi 1o. *Concurrit*, sive physicè ut carnifex, sive moraliter vel positivè influens, ut mandans, adjuvans, &c. vel negativè, ut non obstans, si

tamen ex officio & justitia teneatur, quemadmodum Magistratus & Medicus, quorum negligentiâ aliqui pereunt; nam si ex charitate solùm obstare teneatur & non obstet, graviter quidem peccat, sed non fit irregularis.

Dixi 2°. *Voluntariè*, qui enim in sui defensionem coactus occidit invasorem cum moderamine inculpatæ tutelæ, jure novo non est irregularis, ex cit. cap. *Si furiosus*, in quo sic habetur: *Sic furiosus aut infans* (scilicet septennio minor) *seu dormiens hominem mutilet aut occidat, nullam ex hoc incurrit irregularitatem; & id etiam de illo censemus qui mortem aliter vitare non valens, occidit aut mutilat invasorem.*

Tria in hoc Canone communiter notant Theologi. Primum, quòd ibi sermo habeatur de invasore in propriam vitam; unde cum Glossa colligunt quòd si quis cum moderamine inculpatæ tutelæ occiderit invasorem patris, fiat irregularis juxta jus antiquum. Secundùm, quòd expressè in Canone habeatur, *vitare non valens*; ex quo concludit eadem Glossa quòd si fugæ etiam probrosæ locus esset, qui non fugeret fieret irregularis. Tertium, quòd ibi fiat restrictio ad proprium periculum mortis aliàs inevitabilis.

Ergo qui occidit propter mortem patris vitandam, bona fortunæ defendenda, est irregularis, quidquid in contrarium asserant nonnulli Moderni, quia ex cap. *Suscepimus*, tit. *de Homicidio*, *expediebat potiùs rerum sustinere jacturam, quàm pro conservandis vilibus & transitoriis rebus tam acriter in alios exardescere.*

Dixi 3o. *Proximè*, quia si quis remotè tantùm concurrat ad necem vel mutilationem, irregularitatem non contrahit.

Dixi 4°. *Ad proximi necem aut mutilationem*, quia voluntas occidendi aut mutilandi non sufficit ad irregularitatem, nisi actu & de facto homo interficiatur aut mutiletur, v. g. si reus ad

mortem damnatus aufugiat, Judex nec accuſator ſunt irregulares.

Ergo, qui graviter vulneravit, ſed non occidit, nec mutilavit, etiamſi ex vulnere membrum maneat inutile, v. g. pes ad ambulandum, non eſt irregularis, ita Navarrus, Soto, Covarruvias, Avila. Atque ob eam rationem Judex ſine irregularitatis periculo damnat ad flagella, ad cauterium liliatum, gallicè, *Fleur de lis*; quia in his pœnis nulla eſt mutilatio.

Ergo qui abortum infert antequam fœtus ſit animatus, irregularis non eſt, cap. *Sicut*, tit. *de Homicidio*, cùm reverà hominem non interficiat.

Q. 2°. *Quid eſt mutilatio?*

R. Eſt membri truncatio ſeu amputatio.

Membrum autem eſt illa pars corporis quæ habet diſtinctum officium ab aliis partibus, ut oculus ad videndum, manus ad palpandum. Ita Covarruvias in Clementinam *Si furioſus*, Navarrus, Avila & alii.

Ergo qui excutit dentem, abſcindit auriculam, ſeu cartilaginem quæ ſolùm deſervit ad ornatum & tutelam auris, vel qui præſcindit digitum alterius, etiam pollicem vel indicem, ait Covarruvias cit. loco, irregularis non eſt.

Dixi, *alterius*, nam cap. *Qui partem*, diſt. 55. & cap. *Quidem*, tit. *de Corpore vitiatis*, pronunciatur irregularis qui illicitè & cum culpa ſibi abſcidit partem digiti.

Q. 3°. *Quinam cenſentur proximè ad mortem aut mutilationem concurrere?*

R. Ex Jure canonico proximè concurrunt & fiunt irregulares, 1°. Judex 2°. Accuſator petens vindictam, Advocatus ſeu Procurator qui accuſatori patrocinatur. 3°. Teſtes. 4°. Scriba ſeu Notarius. 5°. Qui Sententiam exſequuntur, ut carnifex, & qui ad ejuſmodi executionem conferunt, putà ſatellites qui comitantur ad defenſionem, cuſtos carceris, qui furcam & ſcalam parant, denique

qui damnati accelerant mortem, nisi ex inadvertentia.

Dixi 1°. *Ex jure canonico*, nam in Gallia testes non incurrunt irregularitatem, cùm ex Sanctione regia, anno 1670. tit. 6. omnes etiam Clerici & Monachi compellantur ad testimonium ferendum etiam in causa sanguinis.

Dixi 2°. *Accusator vindictam petens*; si enim petat solummodò satisfactionem pro damno illato vel sibi, vel propinquis, domesticis, suæ Ecclesiæ, & iis quorum curam gerit, non fit irregularis, ex cap. *Prælatis*, tit. *de Homicidio*, in Sexto; nec in Gallia necesse est ut palàm testetur se non intendere sanguinem, si Clericus sit, quia apud nos solus Procurator regius aut fiscalis, tanquam persona publica, potest vindictam expetere.

Ergo Clerici qui habent jurisdictionem temporalem non fiunt irregulares si mandent suis Officialibus ut de criminibus inquirant, etiamsi inde mors sit secutura, nec Concionatores, qui invehuntur in scandala, & in Magistratus, qui ea non arcent; nec Confessarii qui iisdem denegant absolutionem, quando sinunt furta, homicidia & alia scandala impunè grassari; nec Theologi, qui Judici consilium petenti aperiunt quid ferat Lex, ex qua Judex colligit reum esse morte plectendum; quia hi omnes remotè tantùm concurrunt ad mortem, secùs si determinatè dicerent hunc pestiferum hominem esse morte damnandum.

Q. 4°. *Qui pugnant in bello fiuntne irregulares?*

R. Affirmativè, si bellum sit injustum. & aliquis cadat in eo aut mutiletur, quia omnes sunt causæ morales homicidii injusti; etiamsi propriâ manu non trucidaverint nec mutilaverint, homicidas enim adjuvarunt & audaciores reddiderunt. Sed si bellum sit justum neminemque propriâ manu interfecerint nec mutilaverint, non sint irregulares; sed in dubio num interfecerint, habendi sunt irregularitates. Responsio constat ex cap. *Constat*, tit. *de Homicidio*.

§. VIII. *De irregularitatibus ex delicto.*

Q. 10. *Quotuplex est irregularitas ex delicto?*

R. Quadruplex vulgò recensetur. Prima ex homicidio. Secunda ex illicita receptione & illicito usu Ordinis. Tertia ex iteratione Sacramenti. Quarta ex hæresi. Sed jam monuimus hæresim in Gallia non inducere irregularitatem post Hæretici conversionem.

§. IX. *De irregularitate ex homicidio.*

Nomine homicidii intelligitur injusta hominis occisio vel mutilatio; neque enim homicidæ dicuntur Judices qui pestiferos homines justè è medio tollunt.

Q. 1º. *Quotuplex est homicidium?*

R. Duplex, scilicet voluntarium, quod directè intenditur vel in se, vel in causa; & casuale, quod præter intentionem agentis accidit, ut si quis intendens leviter percutere, manu tamen fallente graviter vulneravit & occidit.

Q. 2º. *Quotuplex est homicidium casuale?*

R. Duplex, purum & mixtum.

Homicidium purè casuale est illud quod omninò accidit præter intentionem agentis & vacantis rei licitæ nec periculosæ; mixtum verò dicitur quando quis etsi mortem aut mutilationem non intenderit, nec secuturam præviderit, debitam tamen diligentiam non adhibuit, ne mors contingeret; vel opus periculosum & sibi prohibitum temerè susceptit.

Ergo ut homicidium casuale sit purum, duo concurrant necesse est. Primum, ut prævideri nec potuerit, nec debuerit. Secundum, ut opus sit licitum & minimè periculosum. Unde si Clericus in venatione occidit hominem præter intentionem, homicidium illud non est purè casuale, sed mix-

tum, quia venatio quæ fit armis est periculosa & Clericis interdicta.

Q. 3°. *Omne homicidium inducitne irregularitatem?*

R. 1°. Voluntarium & casuale mixtum efficiunt irregularem; ita enim habetur toto titulo de homicidio voluntario & casuali, & sess. 24. Concilii Trideniini, cap. de Reform.

R. 2°. Ex homicidio purè casuali nullus fit irregularis, idque constat ex cap. *Joannes*, cap. *Ex Litteris*, cap. *Quidam*, tit. *de Homicidio.*

Q. 4°. *Quæ debet esse negligentia ut contrahatur irregularitas?*

R. Si opus fuit licitum, non contrahitur irregularitas, nisi ex negligentia gravi & mortali, quia cùm irregularitas ex delicto sit gravis pœna, gravem quoque culpam supponit. Colligitur ex cap. *Quæsitum*, tit. *de Pœnit. & Remiss.*

Ergo ir regularis non est qui volvit infirmum, ut commodiùs qui escat vel bonâ fide ei præbet cibum, unde mors acceleratur, quia in hujusmodi actionibus non deprehenditur culpa nisi admodum levis; secus, si contra prohibitionem medici cibus fuisset subministratus.

Ergo qui in ebrietate culpabili mutilat aut occidit, irregularis efficitur. Ita Covarruvias in cap. *Si Furiosus.*

§. X. *De irregularitate ex delicto in receptione & usu Ordinis.*

Q. 1°. *Quinam incurrunt irregularitatem ex delicto in receptione Ordinis?*

R. Incurrunt 1°. Qui furtivè ordinantur, hoc est, qui fraudulenter examen effugerunt, nec aliàs fuerunt approbati aut admissi, ex cap. *Veniens*, tit. *De iis qui furtivè, &c.* 2°. Qui majori excommunicatione ligati Ordinem sacrum suscipiunt, ex cap. *Cum illorum*, tit. *de Sententia Excommunicationis.*

Dixi 1°. *Excommunicatione ligati*, non verò suspensione aut interdicto, tum quia in laudato cap. de solis excommunicatis sermo est, tum quia suspensio non privat receptione Sacramentorum, sed solùm Ordinis exercitio.

Quidquid sit de interdicto, circà quod dissentiunt Theologi num irregularitatem inducat in receptione Ordinis sacri, extra controversiam est eum qui suspensus aut interdictus recipit Ordinem sacrum, irregularem fore si exerceat officium Ordinis sic suscepti, Diaconus v. g. solemniter legat Evangelium. Idem censet Avila de Presbytero recens inaugurato, qui cum Episcopo concelebrat.

Dixi 2°. *Majori excommunicatione*, quia ligatus minori excommunicatione, licèt celebrando graviter peccet, non fit tamen irregularis, ex cap. *Si celebrat*, tit. *de Clerico excommunicato*; ergo nec si sacrum Ordinem recipiat.

Dixi 3°. *Ordinem sacrum*, quia controversia est in Scholis num excommunicatus majori excommunicatione fiat irregularis receptione minorum Ordinum. Negant Soto, Navarrus, Avila. Affirmant Sylvester, Henriquez & alii.

Q. 2°. *Quomodo incurritur irregularitas ex illicito usu Ordinis?*

R. Duobus in casibus. 1°. Quando Clericus temerè usurpat officium Ordinis quem non habet, ex cap. *Si quis*, tit. *de Clerico non ordinato*. 2°. Quando idem Clericus censurâ ligatus temerè ac solemniter exercet actus sui Ordinis, cap. *Cùm illorum*, tit. *de Sententia Excommunicationis*, & totò tit. *de Clerico excommunicato*.

Dixi 1°. *Temerè*; si quis enim ex inadvertentia sive ex ignorantia probabili, vel in casu necessitatis, putà ad vitandum scandalum, officium Ordinis peragat, non fit irregularis, quia non peccat, ut supponitur; atqui ejusmodi irregularitas non incurritur nisi ex delicto: ergo.

Dixi 2°. *Ordinis*, quia per actus Jurisdictionis

non contrahitur irregularitas, etiamsi qui illos exercet sit suspensus ab officio.

Dixi 3o. *Ordinis sacri*, quia cùm officia minorum Ordinum nunc promiscuè exerceantur à Laïcis, propter eorum exercitium suspensus aut excommunicatus irregularitatem non contrahit.

Ergo Clericus excommunicatus aut suspensus non fit irregularis si cum aliis psallat in Choro, quia ejusmodi officium non est Ordinis sacri; secùs si solemniter præesset choro, Collectam decantaret, præmisso *Dominus vobiscum*, quia ejusmodi officium est proprium Ordinis sacri. Utrùm autem concionando fiat irregularis, controvertitur; affirmat Navarrus, sed probabilius negant Sylvester, Henriquez & Avila; quia licèt concionandi munus solis Presbyteris aut Diaconis committatur, necessariò tamen non sequitur esse proprium Ordinis sacri; alioquin simplex Clericus qui absque Episcopi facultate concionaretur, irregularis foret, utpotè qui usurparet officium Ordinis quem non habet, quod est contra communem hominum opinionem.

Dixi 4o. *Solemniter*; quia si Presbyter suspensus sine solemnitate baptisat, etiam extra casum necessitatis, quamvis graviter peccet, irregularitatem tamen non incurrit, quia actum Ordinis non exercet, cùm Laïci ita baptisare possint, & nonnumquam baptisent.

Q. 3o. *Qui celebrat in Ecclesia interdicta aut polluta, vel in loco profano, sine licentia Episcopi, incurritne irregularitatem?*

R. 1o. Incurrit, si in Ecclesia interdicta, quia violat censuram per actum Ordinis sacri.

R. 2o. Non incurrit, licèt graviter peccet, celebrans in Ecclesia polluta vel in loco profano absque licentia Episcopi; quia ejusmodi pœna in nullo jure exprimitur, ut declarat Bonifacius VIII. cap. *Is qui*, tit. *de Sententia excommunicationis*, in Sexto.

§. XI. *De irregularitate ex iteratione Sacramenti.*

Q. *Ex cujus Sacramenti iteratione contrahitur irregularitas?*

R. Ex sola iteratione Baptismi, propter quam rebaptisati & rebaptisantes sunt irregulares. De rebaptisatis expressum est caput *Confirmando*, quod ex Concilio V. Carthaginensi refertur, dist. 50. De rebaptisantibus habetur, cap. *Litterarum*, tit. *de Apostatis.* Pœna autem hujusmodi non fertur in eos qui reordinantur, vel iterùm confirmant & iterùm confirmantur.

§. XII. *De dispensatione in irregularitate.*

Q. *Quis dispensare potest in irregularitate?*

R. Distinguendum est; si irregularitas sit ex defectu, solus summus Pontifex in ea dispensat, excepto defectu natalium, in quo Episcopus potest ex dictis dispensare ad Tonsuram minores ordines & Beneficia simplicia; sed si irregularitas sit ex delicto, Episcopus jure novo invecto per Concilium Tridentinum, sess. 24. cap. 6. potest dispensare quando crimen non est deductum ad forum contentiosum, excepto tamen homicidio voluntario, non verò casuali.

TRACTATUS DE SACRAMENTO MATRIMONII.

CAPUT PRIMUM.

De varia acceptione & verâ notione Matrimonii.

Q. 1o. *Quotuplici modo matrimonium conſiderari poteſt?*

R. Duplici, nempè in fieri & in facto eſſe.

Matrimonium in fieri eſt actualis contrahentium legitimus conſenſus ſignis exteriùs expreſſus, quo ſibi mutuò ſua tradunt corpora.

Matrimonium in facto eſſe eſt vinculum, ſeu nexus quo ſibi invicem aſtringuntur conjuges.

Ergo matrimonium in fieri habet eſſe fluens ac tranſiens, eſtque cauſa matrimonii in facto eſſe, ut colligitur ex Decreto Eugenii IV. Matrimonium verò in facto eſſe eſt quid permanens, vinculum enim conjugale durat uſque ad mortem alterutrius conjugis.

Q. 2o. *Quomodò dividitur matrimonium in facto eſſe.*

R Dividitur in ratum & conſummatum.

Ratum eſt ipſe nexus conjugalis, nondùm ſecutâ copulâ; conſummatum eſt idem nexus, ſecutâ carnali copulâ.

Q. 3o. *Quotuplici modo ſpectari poteſt matrimonium in fieri?*

Triplici. 1o. Ut contractus purè naturalis. 2o. Ut contractus civilis. 3o. Ut Sacramentum novæ Legis; matrimonium quippè, quatenùs Sacramentum, non habet esse permanens, sed transiens, perficiturque in actuali & legitimo utriusque contrahentis consensu, & in benedictione Sacerdotali, si tamen Sacerdos sit Minister hujus Sacramenti, ut contendunt nonnulli Theologi.

Matrimonium ut contractus naturalis, est mutuus contrahentium consensus nudè spectatus, in officium naturæ ad propagationem & conservationem generis humani necessarium.

Matrimonium ut contractus civilis, naturalem componit perficitque politicis regulis ac legibus quibus consulitur Reipublicæ paci ac felicitati. Si enim Reipublicæ interest ut prædia & cæteræ res immobiles ad alios non transferantur nudo contrahentium consensu, sed certæ præscribantur leges ac solemnitates, sine quibus irriti declarantur ejusmodi contractus; à fortiori Respublica invigilare debuit ne vir & mulier inordinatè copularentur pecudum more, cùm matrimonii contractus sit præcipuum societatis humanæ fundamentum, maximeque ex eo pendeat illius ordo & tranquillitas; atque inde exurgunt impedimenta matrimonium dirimentia.

Matrimonium ut Sacramentum novæ Legis, est legitimus contrahentium consensus à Christo institutus, ut signum efficax gratiæ, quæ conjuges exornat, ardorem concupiscentiæ temperat, & Ecclesiam ditat piâ ac fideli prolis educatione.

Q. 4o. *In quo consistit essentia matrimonii spectati, ut est contractus naturalis aut civilis?*

Constat ex mox dictis, essentiam matrimonii infieri consistere in mutuo contrahentium consensu, legitimo & exteriùs expresso; contractus enim generatim spectatus essentialiter, est duorum vel plurium consensus vim habens obligandi: difficultas spectat solummodò matrimonium in facto esse.

R. Essentia matrimonii in facto esse non consistit in usu & commixtione corporum, sed in conjunctione animorum seu nexu perpetuo, qui ex actuali consensu virum inter & mulierem resultat; nam Matth. 1. beata Maria appellatur conjux sancti Josephi, quamvis virgo semper permanserit: *Nec perierat, nec mendax manserat conjugis appellatio*, inquit S. Augustinus, lib. 1. *de Nupt. & Concup.* cap. 11. *ubi nec fuerat, nec futura erat carnis commixtio.* Et ratio est quia usus rei de qua contrahitur, non pertinet ad essentiam contractûs, sed est quid illam consequens: emptor v. g. etiamsi non seminet in agro quem emit, illius tamen verus est dominus & potestatem habet eo utendi absque cujusquam injuria: ergo eo ipso perficitur contractus matrimonii, quo conjuges sibi mutuò tradunt potestatem in suq corpora, etsi postmodum eâ nunquam usuri sint. Dico, *Potestatem tradunt*, quia si eâ conditione contraheret mulier ut vir potestatem aut dominium in ejus corpus non haberet, nullum esset matrimonium.

Ergo Calvinus imponit Catholicis, dum scribit lib. 4. Instit. cap. 19. parag. 34. eos docere coïtum partem esse Sacramenti, & per actum immundum ac turpem gratiam produci.

Dices: Si sola animorum conjunctio sufficit ad verum matrimonium, frater & soror, Eunuchi, & qui laborant impotentiâ perpetuâ, potuerunt contrahere inter se verum matrimonium: falsum consequens, ergo & antecedens.

Nego sequelam majoris; quia contractus conjugalis jus tribuit ad carnalem copulam: atqui naturæ repugnat ut jus illud habeat frater in sororem; Eunuchi verò, & impotentes ejusmodi juris capaces non sunt.

Q. 50. *Quomodo definitur matrimonium in facto esse, quatenùs est contractus naturalis & civilis?*

R. Vulgò definitur à Canonistis & Theologis post Magistrum Sententiarum, conjunctio maritalis viri

& fœminæ inter legitimas personas individuam vitæ consuetudinem retinens.

Dicitur 1°. *Conjunctio*, quo nomine intelligitur vinculum & nexus, qui ex actuali consensu interno & pactione externâ virum inter & mulierem resultet.

Dicitur 2°. *Maritalis*; tum ut distinguatur ab aliis conjunctionis speciebus, v. g. à societate Mercatorum; tum ut significetur finis & objectum hujusce contractûs, mutua scilicet corporum traditio.

Dicitur 3°. *Viri & fœminæ*, quibus verbis subjectum matrimonii designatur, & quidem numero singulari *viri & fœminæ* ad excludendam Poligamiam.

Dicitur 4°. *Inter legitimas personas*, id est quæ habiles sunt ad contrahendum matrimonium, nec ullo impedimento dirimente sunt ligatæ.

Dicitur denique *individuam vitæ consuetudinem retinens*, ut significetur vinculum matrimonii solvi non posse partium consensu, sicut solvuntur alii contractus

Q. 6°. *Matrimonium estne licitum & honestum?*

R. De fide est matrimonium esse licitum & honestum, ait enim Apostolus 1. Cor. 7. *Si acceperis uxorem, non peccasti, & si nupserit virgo, non peccavit.* Et ratio est quia natura humana ita à Deo est instituta, ut sine matrimonio conservari nequeat.

Q. 7°. *Extatne præceptum contrahendi matrimonium?*

R. Extat respectu totius hominum communitatis, *Crescite & multiplicamini, & replete terram*, Gen. 1. Sed multiplicatis hominibus, cuilibet non minus liberum est matrimonium vel celibatum eligere quàm agriculturam & alias artes, sine quibus societas humana consistere nequit. Quin Christus Dominus, Matth. 19. virginitatem seu celibatum præfert matrimonio, docetque esse singulare Dei donum.

Q. 8°. *Quomodo definitur matrimonium ut Sacramentum novæ Legis?*

R. Definitur Sacramentum à Christo inſtitutum, quo conjugibus confertur gratia ad mutuam dilectionem, ſanctum conjugii uſum, & piam liberorum educationem.

Dicitur *à Chriſto inſtitutum*; quia ante adventum Chriſti matrimonium erat ſolùm in officium naturæ; Chriſtus autem illud evexit vel in nuptiis Cana, Joan. 2. vel Matth. 19. vel ut nonnullis placet, poſt Reſurrectionem, ad dignitatem Sacramenti.

CAPUT II.

De Matrimonii proprietatibus.

SAnctus Auguſtinus, lib. 1. *de Nupt. & Concup.* cap. 17. & ex illo Magiſter Sententiarum, lib. 4. diſtinct. 31. S. Thomas & cæteri Theologi, tria numerant bona matrimonii propria, ſcilicet, fidem, prolem & Sacramentum. In fide quam conjuges ſibi mutuò ſervare debent, intelligitur matrimonii unitas, id eſt unius cum una conjunctio: in prole fœcunditas, *Non ut proles naſcatur tantùm, verùm etiam ut renaſcatur*, inquit ſanctus Auguſtinus, cit. cap. 17. in Sacramento matrimonii indiſſolubilitas; circa quæ nonnulla ſunt elucidanda. Itaque.

Q. 1°. *Poligamia eſtne contra jus naturale & divinum poſitivum?*

R. 1°. Poligamia ſimultanea, quâ quis plures ſimul habet uxores, repugnat legi naturali & divinæ; ſic enim habetur, Gen. 2. *Relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*; atqui in Poligamia ſimultanea non duo, ſed tres, quatuorve eſſent in carne una. *Piiſſimus Lamech duabus maritatus*, inquit

Tertullianus, lib. *de Castit.* cap. 5. *tres in unam carnem effecit.*

Dices: Jacob, David, & alii sancti Patriarchæ plures habuerunt simul uxores: ergo.

Distinguo antecedens. Habuerunt, Deo post diluvium dispensante, concedo; secùs, nego anteced.

Dixi: *Post diluvium*, nam ante diluvium Patres Lamechum tanquam adulterum accusant.

R. 2°. In Lege nova Christus, Matth. 19. Polygamiam simultaneam prorsùs excluſit, & matrimonium ad primævam institutionem reduxit. Unde Concilium Tridentinum, sess. 24. can. 2. adversùs Lutheranos & Anabaptistas sic habet: *Si quis dixerit licere Christianis plures habere simul uxores, & hoc nullâ lege divinâ esse prohibitum, anathema sit.*

R. 3°. Poligamia successiva, quâ conjux post mortem alterius transit ad secundas vel tertias nuptias, nec juri naturali, nec legi evangelicæ repugnat, ut olim asseruerunt Montanistæ; sic enim scribit Apostolus, 1. Cor. 7. *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit; quòd si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat, tantùm in Domino?*

Q. 2°. *Matrimonium estne ex natura sua indissolubile?*

R. Matrimonium consummatum ex natura est indissolubile quoad vinculum tam in statu legis naturæ quàm in statu legis scriptæ & evangelicæ: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*, ait Dominus, Matth. 19. Unde Concilium Tridentinum, sess. 24. can. 5. Lutheranos asserentes matrimonium dissolvi per adulterium vel absentiam uxoris, anathemate percussit.

Dixi 1°. *Matrimonium consummatum*, in quo duo facti sunt una caro; quia matrimonium solummodò ratum dissolvitur etiam quoad vinculum per unius conjugis solemnem Religionis professionem, ita ut liceat alteri ad alias nuptias con-

volare ; sic enim definiit Concilium Trident. sess. 24. can. 3. præiverat Alexander III. undecimo sæculo, cap. *Verùm*, tit. *de conversione conjugatorum*, & Innocentius III. decimo tertio sæculo, cap. *Ex parte* 2. eodem titulo.

Dixi 2°. *Quoad vinculum* ; quia conjuges ob graves causas, putà adulterium, possunt separari quoad thorum seu cohabitationem, ut definit Concilium Tridentinum, sess. 24. can. 8. Christus enim, Matth. 5. & 19. permittit uxorem dimitti in causa fornicationis. Hanc præ cæteris causam appellat, tum quia maximè repugnat matrimonio, tum quia solùm adulterium est causa perpetui divortii ; divortium enim propter alia crimina fit solùm ad tempus, donec v. g. uxor resipiscat, adeo ut innocens teneatur recipere emendatam. At propter adulterium, etiamsi adulter aut adultera resipuerit, pars innocens non tenetur ex justitia cohabitare cum illa. Dico *ex justitia* ; quia si uxor, v. g. dimissa & emendata in magno æternæ damnationis periculo versaretur non revocata, vir teneretur cedere de jure suo ; otdo quippè charitatis postulat ut spiritualem proximi salutem temporali nostro commodo præferamus Ita sanctus Augustinus, lib. 2. *de Conjug. adult.* cap. 6.

Dices 1°. Deus, Deut. 24. permittit marito dimittere uxorem per libellum repudii, & uxori sic dimissæ alteri nubere : ergo.

R. 1°. Ad antecedens controversiam esse inter Theologos, num vinculum matrimonii solveretur per libellum repudii. Negant sanctus Hieronymus, in caput 5. Matth. Magister Sententiarum, sanctus Bonaventura, Dominicus Soto, Estius & alii, sanctus Thomas in Supplem. quæst. 64 art 3. ad 4. noluit quidquam hîc definire. Sed sanctus Chrysostomus aut quivis auctor operis imperfecti, Durandus, Paludanus, Bellarminus & alii innumeri, quibus adhærendum videtur, censent per ejusmodi libellum fuisse solutum matrimonii vinculum, Deo

ita dispensante, ne graviora orirentur mala; tum quia neque Moyses, neque Prophetæ, qui vitia populi reprehendebant, unquam objurgarunt mulieres dimissas tanquam adulteras, quòd alteri conjungerentur; tum quia lex prohibebat ne repudiata post mortem secundi mariti posset unquam recipi à priori marito, cùm tamen optimum & optandum fuisset, nedum prohibendum, ut rediret ad legitimum suum conjugem. Unde.

R. 2°. Distinguendo consequens: ergo in lege veteri matrimonium consummatum solvebatur, Deo ita dispensante, concedo; solvebatur consensu partium, vel auctoritate aliquâ humanâ, nego consequens.

Instas 1°. Ex dictis, tractatu de Legibus, dispensatio non cadit in ea quæ sunt juris naturalis: ergo.

Distinguo anteced. Quæ sunt juris naturalis immutabilis, ut blasphemia, mendacium, quæ nullâ circumstantiâ cohonestari possunt, concedo; juris naturalis mutabilis, nego antec. Consule dicta, tom. 3. tract. *de Legibus*, cap. 8.

Instas 2°. Christus, Matth. 5. v. 31. ita permittit uxorem dimittere in causa fornicationis, ut alteri liceat sic dimissam ducere; ergo tum solvitur matrimonii vinculum.

Probatur antecedens ex ipsiusmet Christi verbis: *Qui dimiserit uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari; & qui dimissam duxerit, adulterat.* Ergo, inquiunt Heterodoxi adversùs Catholicos, & Græci adversùs Latinos, si intervenerit fornicatio, soluti sunt conjuges à lege conjugii, nec adulterant si novas nuptias contrahant.

Nego anteced Et prevam illam interpretationem damnavit Concilium Tridentinum, sess. 24. can. 7. exceptio enim fornicationis est conjungenda cum verbis antecedentibus hoc modo: *Qui dimiserit uxorem suam (quod non licet nisi ob fornicationem) & aliam duxerit, mœchatur*; non verò cum sequentibus, *& aliam duxerit*; Christus quippe,

qui non ſemel verſavit hanc quæſtionem, utrùm liceat uxorem dimittere, nunquam dixit: *Et qui dimiſſam duxerit niſi ob fornicationem, mœchatur.*

Confirmatur ex Apoſtolo, qui abſolutè pronunciat, Rom. 7. & 1. Cor. 7. *Quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro, alligata eſt Legi... Igitur vivente viro, vocabitur adultera ſi fuerit cum alio viro.* Quæ expendens S. Auguſtinus, lib. 2. *de Conjug. adult.* cap. 5. ait: *Hæc verba Apoſtoli toties repetita, toties inculcata, vera ſunt, viva ſunt, plana ſunt. Nullius viri poſterioris mulier uxor eſſe incipit, niſi prioris eſſe deſiverit; eſſe autem deſinet uxor prioris ſi moriatur vir ejus, non ſi fornicetur.*

Dices 2°. Apoſtolus 1. Cor. 7. v. 12. & 15. concedit infideli qui fidem amplexus eſt, dimittere uxorem in ſua infidelitate pertinacem, & aliam uxorem duxere. Unde Innocentius III. cap. *Quanto*, tit. *de Divortiis*, ſic ſtatuit: *Si alter infidelium conjugum ad fidem Catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non ſine blaſphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente; qui relinquitur, ad ſecunda, ſi voluerit, vota tranſibit, & in hoc caſu intelligimus quod ait Apoſtolus*: Si infidelis diſcedit, diſcedat: ergo.

R. 3°. Conceſſo antecedente, nego conſeq. non enim ſequitur matrimonium ex natura ſua eſſe diſſolubile, ſed ſolùm in caſu propoſito Deum diſpenſaſſe in gratiam religionis chriſtianæ.

CAPUT III.

De Matrimonio, quatenus eſt Sacramentum.

Q. 1°. *MAtrimonium in Lege nova eſtne Sacramentum propriè dictum?*

R. Affirmativè, ita enim definiit Concilium Tridentinum, ſeſſ. 24. can. his verbis: *Si quis dixerit*

matrimonium non esse verè & propriè unum ex septem Legis evangelicæ Sacramentis à Christo Domino institutum.... neque gratiam conferre, anathema sit.

Probatur definitio; quia ad verum Sacramentum novæ Legis tria requiruntur & sufficiunt. 1°. Ut sit signum sensibile & permanens rei sacræ. 2°. Ut sit à Christo Domino institutum. 3°. Ut sit per se efficax & productivum gratiæ: atqui tria ista conveniunt matrimonio; ergo.

1°. Conjunctio conjugalis, propter quam vir debet relinquere patrem & matrem ut adhæreat uxori suæ, procul dubio est sensibilis & in Ecclesia permanens, quòd autem sit signum rei sacræ, scilicet unionis Christi cum Ecclesia, asserit Apostolus, Ephes. 5. *Sacramentum hoc*, inquit, *magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Textus Græcus habet *in Christum & in Ecclesiam*, ut sensus sit unio conjugalis Sacramentum magnum est, non quidem si nuda in se præcisè spectetur, sed quatenus refertur ad Christum & Ecclesiam tanquam ad terminum & rem significatam, *ut aditus hominum in hanc vitam benediceretur*, inquit S. Cyrillus, lib. 2. in Joan. cap. 22.

2°. Quòd signum illud fuerit à Christo Domino institutum, patet ex dictis, nimirum matrimonium ante Christi adventum non fuisse Sacramentum, significavit quidem futuram unionem Christi cum Ecclesia, sed signum, illud fuit solùm speculativum, nec practicum evasit nisi per Christum.

3°. Quòd signum illud sit gratiæ efficax, Patres Tridentini, duce Traditione, colligunt ex laudato cap. 5. ad Ephes. in quo sic habet Apostolus: *Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea ut exhiberet sibi gloriosam sponsam.... ita & viri diligere debent uxores suas ut sua corpora.... sicut & Christus Ecclesiam; quia membra sumus corporis ejus (Christi) de carne ejus & ossibus ejus. Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Ex quibus

verbis Concilium Tridentinum, seſſ. 24. cap. unico de Matrimonio, colligit meritum Paſſionis Chriſti in matrimonium novæ Legis derivari, ut non ſolùm ſignificet charitatem quâ Chriſtus dilexit Eccleſiam, ſed etiam gratiam conferat conjugibus, quâ ſimiliter charitate mutuò ſe diligant.

Dixi, *Duce Traditione*; quia Eccleſiæ tam Græcæ quàm Latinæ traditio hancce Concilii Tridentini interpretationem confirmat; utraque enim Eccleſia matrimonium Chriſtianorum inter Sacramenta novæ Legis ſemper numeravit: *Sacramentum ſunt nuptiæ, & imago dilectionis Chriſti quam erga Eccleſiam declaravit*, inquit S. Chryſoſtomus, Hom. 56. in Gen. & S. Auguſtinus, lib. *de Fide & operib.* cap. 7. *In civitate Domini, in monte ſancto ejus, hoc eſt in Eccleſia, nuptiarum non ſolùm vinculum, ſed etiam Sacramentum commendatur.*

Q. 20. *Qua gratia confertur per Sacramentum matrimonii?*

R. Confertur 10. gratia ſanctificans, non quidem prima, quâ deletur peccatum mortale, ſed ſecunda, quâ fideles contrahentes augentur ac perficiuntur in ſanctitate; quia matrimonium non eſt Sacramentum mortuorum peccato, ſed vivorum vitâ gratiæ; aliàs quomodo carnales conjuges referrent puriſſimam Chriſti & Eccleſiæ unionem: Fideles igitur priùs Deo per charitatem junguntur, à cunctis peccatorum ſordibus mundati, ac tunc demùm ad Sacramentum matrimonii accedunt, abundatiorem gratiam recepturi, ut charitas in illis roborata non obruatur ſpumantibus concupiſcentiæ fluctibus, ſed ad votum Apoſtoli, Heb. 7. honorabile ſit eorum connubium in omnibus & thorus immaculatus. 20. Conferuntur in ſpiritualia gratiæ actualis auxilia, ut conjuges, ſicut ſunt una caro, ita in Chriſto ſint unus ſpiritus, quo intimè ac caſtè ſe diligant ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, mutuas infirmitates benignè & amanter perferant, Eccleſiam ditent piâ & fideli prolis

educatione, concupiscentiam coërceant juxta castitatis & temperantiæ leges, ac tribulationem carnis æquo animo patiantur.

Q. 3°. *Tam pretiosa dona obveniuntne omnibus suscipientibus matrimonii Sacramentum?*

R. 1°. Certum est eos qui ad Sacramentum indignè accedunt, hoc est in statu aut affectu peccati mortalis, nullum ex eo percipere fructum, quia gravioris sacrilegii reos se constituunt, quod pro benedictione maledictionem Dei, tum in se, tum in familiam concitat.

R. 2°. Conjuges qui per peccatum lethale excidunt à gratia sanctificante in Sacramento collata, simul amittunt jus ad auxilia actualia mox recensita, quia jus illud fundatur in gratia sanctificante, ex qua veluti fœcundâ radice exeunt cæteri effectus cuique Sacramento proprii. Unde intelligunt fideles conjuges quàm diligenter ad Sacramentum matrimonii se præparare debeant, quàmque studiosè peccatum vitare, aut si fortè humanâ fragilitate in aliquod lapsi fuerint, quàm citò illud per pœnitentiam eluere debeant, ut virtus Sacramenti in ipsis operetur, quæ fortunatum reddat eorum conjugium, illosque immunes servet à peccatis quamplurimis, quibus obnoxius est status conjugalis.

Caput IV.

De materiâ, formâ, & Ministro Sacramenti Matrimonii.

Priùs inquirendum est quis sit hujus Sacramenti Minister quàm quidquam definiamus circa ejus materiam & formam; istud enim posterius omnino ab altero pendet. Itaque.

Q. *Quis est Minister Sacramenti Matrimonii?*

R. Duæ ſunt circa propoſitam quæſtionem oppoſitæ ſententiæ, quas Concilium Tridentinum nullatenus attigit.

Prima, quæ eſt Canoniſtarum & plurium Theologorum, præſertim veterum, ut Magiſtri ſententiarum, S. Thomæ, Scoti, Durandi, &c. affirmat ipſoſmet contrahentes eſſe Miniſtros hujus Sacramenti; ita ut vir mulieri & mulier viro illud adminiſtret. Nititur autem illa ſententia iis præſertim momentis. 1°. Quia matrimonium celebratur per modum contractûs: atqui ſoli contrahentes mutuo conſenſu illum efficiunt; ergo & Sacramentum. Unde Eugenius IV. in Decreto pro Armenis ſic habet: *Cauſa efficiens matrimonii regulariter eſt mutuus conſenſus.* 2°. Quia matrimonia clandeſtina ante Concilium Tridentinum fuerunt rata ac valida abſque benedictione Sacerdotali; atque etiamnum Eccleſia rata habet matrimonia Hæreticorum coram pſeudo-Miniſtro celebrata. Atqui credibile non eſt Eccleſiam permiſiſſe ut fideles ſine Sacramento contraherent, & cùm ſollicita ſit ut conjugati nunc redeuntes ex hæreſi Sacramento Confirmationis perficiantur, non curat tamen ut iidem benedictionem nuptialem à Sacerdote accipiant; quod validiſſimum eſt argumentum ipſam habere matrimonia Hæreticorum ut Sacramenta.

Secunda ſententia aſſignat Sacerdotem pro Miniſtro Sacramenti matrimonii, contenditque matrimonia clandeſtina fuiſſe dumtaxat contractus naturales & civiles, validos quidem & indiſſolubiles ante Concilium Tridentinum, ſicut hodierna Hæreticorum matrimonia, ſed illa non fuiſſe nec iſta eſſe vera Sacramenta. Hanc ſententiam Dominicus Soto & Vaſquez temeritatis incuſant; ſed ejus patroni notam illam temerariam vocant, cùm plures & graves auctores ejuſmodi ſententiam propugnent, ut Guillelmus Pariſienſis, Tract. *de Matrimonio*: *Matrimonium*, inquit, *eſt ſacrans apud fideles virtute benedictionis*; Et Concilium Colonienſe, anno 1536.

1536. part. 7. cap. 4. de Matrimonio sic habet: *Quod Sacramentum, si quis sicut decet acceperit, accedente sacerdotali precatione, confert donum Spiritûs, quo vir diligat uxorem amore casto, sicut Christus dilexit Ecclesiam.* Et in Enchir. quod mandato ejusdem Concilii editum est: *Quantò magis putandum est Sacerdotes qui legatione pro eo funguntur, legitimos ejus Sacramenti Ministros esse.* Eamdem sententiam amplexi sunt Melchior Canus, Toletus, Petrus Ladesma, Maldonatus, Estius Sylvius, & est admodum communis in Academia Parisiensi.

Probatur 1°. Quia Sacerdotes sunt dispensatores mysteriorum Dei: quis ergo eis denegaverit potestatem conferendi solemniter Sacramentum Matrimonii, ut illam tribuat mulieri, cui nequidem permittitur in Ecclesia loqui? 1 Cor. 4. 2°. Quia sanctus Ignatius, S. Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Syricius Papa, Concilium Cartaginense IV. & omnes veteres constanter docent esse verè apud nos Sacramentum, quod coram Sacerdote celebratur, & ejus benedictione sanctificatur, objurgantque eos qui clandestinè contrahebant: *Penès nos*, inquit Tertullianus, lib. *de Pudic.* cap. 4. *occultæ conjunctiones, id est non priùs apud Ecclesiam professæ juxta mœchiam & fornicationem judicari periclitantur.* 3°. Quia sicut vera pœnitentia quæ à solo peccatore peragi potest, non est Sacramentum nisi accedat sacerdotalis absolutio & ritus à Christo institutus, ita nec consensus in matrimonium, qui à solis contrahentibus præstari potest, evadit Sacramentum absque sacerdotali benedictione.

Ex iis sequentes solvi debent quæstiones.

Prima, quæ sit materia & forma hujus Sacramenti; juxta enim primam opinionem materia remota sunt contrahentium corpora, materia verò proxima est ipsa corporum traditio: forma autem mutua contrahentium acceptatio, Sacramentum enim matrimonii celebratur per modum contractûs: atqui in omni contractu res de qua contrahitur est

materia remota ; oblatio verò pretii pro merce inchoat contractum , & mercem venalem significat ; sed contractus tum formam accipit & perficitur , cùm venditor mercem acceptat eo pretio quo offertur. Sic in contractu matrimonii ubi vir consentit ut mulier habeat dominium corporis sui , consensus ille in quo intelligitur traditio , est materia proxima hujusce contractûs ; mulier autem acceptando contractum perficit , & ita viro administrat Sacramentum , & viciſſim vir mulieri eo ipso quo acceptat consensum mulieris seu traditionem ejus corporis , quia uterque applicat formam materiæ , acceptationem scilicet traditioni.

Sed in secunda sententia quæ Sacerdotem Ministrum Sacramenti agnoscit , materia proxima est consensus contrahentium , forma verò sunt verba Sacerdotis , quæ evehunt consensum contrahentium ad esse sacramentale , quemadmodum in Sacramento Pœnitentiæ absolutio , quæ est forma hujus Sacramenti , actus pœnitentis , qui habent rationem materiæ , determinat ad esse sacramentale.

Secunda quæstio , utrum matrimonium Catholicorum per procuratorem contractum coram Sacerdote & duobus testibus , sit Sacramentum. Affirmandum est juxta primam sententiam , quia est legitimus contractus : negandum verò juxta secundam , quia verba Sacerdotis in quibus consistit forma essentialis , exigunt præsentiam contrahentium , non secùs ac forma absolutionis , *Ego te absolvo* , quæ non potest dirigi ad absentes. Hinc qui per procuratorem contraxerunt , solent postea cum testibus præsentes se sistere coram Sacerdote , benedictionem ab eo accepturi.

Tertia , quid sentiendum sit : 1°. De matrimonio Catholicorum contracto coram duobus testibus & Pastore in testem quæsito , sed renitente , & benedictionem denegante. 2°. De matrimonio Hæreticorum coram ipsorum Pseudo-Ministro , & aliis testibus. 3°. De matrimonio Catholicorum , sed

priùs irrito propter defectum consensûs aut aliud impedimentum dirimens, sed postea sublato impedimento per novum consensum contrahentium confirmato. Prima sententia asserit, illa matrimonia esse vera Sacramenta, quia sunt contractus validi, negat verò secunda sententia; quia etsi contractus illi revera sint validi, illis tamen deest forma essentialis, nempè benedictio sacerdotalis, sine qua non exiſtit Sacramentum.

Caput V.

De Sponsalibus.

Q 1o. *Quomodo definiuntur sponsalia?*

R. Definiuntur, futuri matrimonii mutua & libera promissio obligationem pariens.

Dicitur 1o. *Mutua promissio*; quia una pars non censetur velle se per promissionem obligare, nisi altera pars non solùm acceptet, sed etiam vicissim repromittat.

Dicitur 2o. *Libera*, ut excludatur coactio & quivis gravis metus injustus, quo matrimonium redditur nullum, ac proinde sponsalia.

Dicitur 3o. *Obligationem pariens*; jure enim naturali tenemur stare promissis legitimis & acceptatis, ac quidem sub peccato mortali, si materia sit gravis: sponsalia autem sunt in materia gravi; peccaret ergo damnabiliter qui sine causa ab iis resiliret. Ita communiter Theologi post S. Thomam in quartum dist. 27. art. 1. ad secundum. *Sed cùm libera debeant esse matrimonia*, inquit Lucius III. cap. *Requisivit*, tit. *de sponsalibus*, *monenda est potiùs*, *quàm cogenda* (Mulier,) *cùm coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere.*

Dixi, *Sine causa*, quia ex causa justè dissolvuntur sponsalia, ut si sponsa deprehendatur fuisse fornica-

ta, aut si supervenerit notabilis mutatio, v. g. graves inimicitiæ inter utramque familiam, infamia, &c. cap. *Quemadmodum*, tit. *de Jurejurando.*

Q. 2°. *Quomodo se geret Confessarius erga sponsos, quos deprehendit ex falsa præsumptione absolutos in foro exteriori?*

R. Observabit 1°. Omnem culpam aliquando non in sponsis, sed in eorum residere parentibus, qui non sinunt liberos stare promissis; quia fortè offertur conjugium præstantius, cùm tamen ejusmodi exceptionem sponsalia non admittant, nec probaret Ecclesia. Parentes igitur hîc graviter peccant, non ipsi sponsi, quibus legitima est excusatio promissa non implendi, scilicet parentum interdictum. 2°. Si ipsorummet desponsatorum animus à contractis sponsalibus sit omninò aversus, Confessarius omni modo suadere adnitetur, ut promissum impleant, exponetque quàm grave sit & periculosum mutare fidem liberè datam, ab Ecclesia acceptam, & à Deo obsignatam. Quòd si animum à matrimonio promisso ita alienum advertat ut flecti nequeat, absolutionis beneficium iis concedere non gravabitur, quia ejusmodi aversio est causa propter quam prudenter timendum est ne infaustos exitus matrimonium habeat.

Q. 3°. *Quare instituta sunt sponsalia?*

R. Ut fideles quàm optimè parati accedant ad magnum matrimonii Sacramentum; sponsalia quippe sunt ad illud Sacramentum juxta S. Thomam & alios Theologos, quod Cathecumenatus ad Baptismum, Tonsura clericalis ad sacros Ordines, & Novitiatus ad solemnem Religionis professionem,

Ideo autem Ecclesia Baptismi, Ordinis & Matrimonii candidatos singulariter erudiendos & exercendos duxit; quia fideles in perceptione hujusmodi trium Sacramentorum amplectuntur novum vitæ genus ac statum, in quo nunquam se gerent ut deat & expedit tum privatæ, tum Reipublicæ saluti,

nisi statûs quem amplectuntur officia didicerint, & ad illum probè fuerint instituti ac præparati.

Quæ verò sint Parochi partes erga sponso, quæve docere debeat & inquirere, fusè exposuimus tom. 7. cap. 7. de Sacramento matrimonii, parag. 3. & cap. 6. ubi agimus de peccatis conjugum contra fidem quam sibi debent, contra prolem propter quam suscipiendam & religiosè educandam institutum est istud Sacramentum, & contra sanctitatem Sacramenti quam plerique impudenter violant, tum in usu seu potiùs abusu conjugali, tum in individua societate quam fœdè perturbant rixis & dissidiis, adeo ut eorum societas non sit signum & imago unionis Christi cum Ecclesia, tum denique in ipsa perceptione Sacramenti, ad quod sæpè accedunt tanquam ad spectaculum profanum; pompis non Christi sed Satanæ adornatum, hoc est luxu, choreis, conviviis flagitiosis, à quibus pudor exulat, ubi sobrietas & modestia vertuntur in crimen, amatoria & obscœna cantica aures demulcent, nedum feriunt, denique probrosa Gentilium bacchanalia ad tanti Sacramenti solemnitatem tranferuntur.

Caput VI.

De impedimentis Matrimonii.

Q. 1°. *Quotuplicis generis sunt impedimenta matrimonii?*

R. Duplicis: Alia sunt simplicia, quæ matrimonium non dirimunt nec irritum efficiunt, sed illicitum dumtaxat: alia sunt dirimentia, quæ matrimonium prorsùs nullum reddunt.

Q. 2°. *Quot sint impedimenta simplicia?*

R. Jure novo quatuor tantùm extant. Primum est tempus quo interdicuntur nuptiæ, nimirum ab

Adventu Domini usque in diem Epiphaniæ, & à Feria quarta Cinerum usque ad Octavam Paschatis inclusivè. Ita Concilium Tridentinum, sess. 24. cap. 10. de Reform.

Secundum impedimentum simplex sunt sponsalia valida nec legitimè dissoluta, propter quæ sponsi cum aliis non contraherent absque gravi peccato; valeret tamen eorum matrimonium.

Tertium est votum simplex Religionis aut castitatis.

Dico *simplex*; quia votum solemne ex dicendis, non solùm illicitum, sed nullum prorsùs reddit matrimonium.

Quartum est vetitum Ecclesiæ, seu prohibitio à Superiore facta nupturientibus, ne matrimonium contrahant, priusquàm inquiratur, v. g. an impedimentum quod objicitur, revera existat. Et hæc impedimenta Canonistæ complexi sunt versu sequenti:

Ecclesiæ vetitum, votum, sponsalia, tempus.

Ergo sublatum est impedimentum Catechismi, quod priùs ligabat eos qui infantem ritè jam baptisatum suscipiebant, ut circa eum supplerentur omissæ cæremoniæ, quæ dicuntur Catechismus.

Q. 3°. *Quot sunt impedimenta dirimentia?*

R. Quindecim, his versibus comprehensa.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultûs disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Amens, affinis, si clandestinus & impos,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto;
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

ERROR.

Q. 1°. *Quotuplex est error?*

R. Duplex: Alter personæ, quo supponitur una persona pro alia, v. g. Lia pro Ra-

chele ; alter qualitatis & circa accidentia, ut si credatur puella nobilis, dives, virgo, primogenita, vel unica hæres, cùm tamen ejusmodi dotibus careat.

Q. 2°. *Uterque error dirimitne matrimonium?*

R. Error personæ dirimit, quia tollit consensum, ac proinde contractum reddit nullum ; sed error accidentalis non dirimit, quia non impedit quominùs deceptus consentiat in hanc personam, licèt in eam non consentiret si sciret esse inopem, corruptam, &c. Hîc operæ pretium est consulere nostrûm, tom. 7. ubi elucidantur graves difficultates quæ circa errorem occurrunt.

CONDITIO.

Hoc impedimentum designat statum servilem qui dirimit matrimonium inter personam liberam & servam, si persona libera ignorabat alterius servitutem. Sed in Gallia locum non habet ejusmodi impedimentum, cùm apud nos nulla sit servitus, sed solùm famulatus.

VOTUM.

Cum duplex sit Votum, nempe simplex & solemne, posterius solummodò dirimit matrimonium, ut jam monuimus. Votum autem solemne est illud quod emittitur in professione solemni Religionis ab Ecclesia approbatæ.

Ergo qui sine illa solemni professione vovit Religionem aut castitatem, illicitè quidem contrahit matrimonium, sed non invalidè.

COGNATIO.

Q. 1°. *Quotuplex cognatio dirimit matrimonium?*

R. Triplex, nempe spiritualis, legalis, & naturalis, quæ vulgò dicitur consanguinitas.

Q. 2°. *Quid est cognitio spiritualis?*

R. Est affinitas quæ oritur ex Baptismo vel Confirmatione.

Q. 3°. *Inter quos contrahitur cognatio spiritualis?*

R. Jure novo, scilicet ex Decreto Concilii Tridentini, sess. 24. cap 2. de Reform. Contrahitur tantùm inter susceptores seu patrinos & baptisatum vel confirmatum, ac illius patrem & matrem; necnon inter Ministrum illorum Sacramentorum & baptisatum vel confirmatum, ac illius patrem & matrem.

Ergo patrinus & matrina possunt matrimonio inter se conjungi, cùm ex Concilio Tridentino cognationem spiritualem non contrahant.

Q. 4°. *Qui in casu necessitatis infantem baptisavit, contrahitne cognationem spiritualem cum eo & cum parentibus ejus?*

R. Si pater ipse vel mater prolem legitimam baptiset, non contrahit, alii verò contrahunt. Ita decernitur cap. *Si vir*, tit. *de Cognat. spirit.*

Dixi, *Prolem legitimam*, quia si pater in casu necessitatis baptiset filium quem ex concubina suscepit, cognationem cum ea contrahit, ita ut illam in uxorem ducere nequeat, quia, inquit Fagnanus post Navarrum, nullum habet jus petendi à concubina debitum quemadmodum à propria uxore, ac proinde nulla est ratio cur non ligetur respectu concubinæ, quemadmodum alii ligarentur si ejus prolem baptisarent.

Q. 5°. *Quando per procuratorem sponsor infantem levat è sacro Fonte, uter contrahit cognationem spiritualem?*

R. Dissentiunt Theologi, & quamvis adhæreamus sententiæ Fagnani in cap. *Veniens*, tit. *de Cognat. spirit.* & Navarri, lib. 5. Consil. qui affirmant sacram Cardinalium congregationem declarasse non procuratorem, sed ipsum sponsorem seu patrinum cujus nomine agit, cognationem contrahere; in illo tamen dubio censemus recurrendum ad Episcopum.

Q. 6°. *Quid est cognatio legalis ?*

R. Ist propinquitas personarum ex adoptione consurgens. 1°. Inter adoptantem & adoptatum & posteros adoptati usque ad quartum gradum. 2°. Inter uxorem adoptantis & adoptatum, ac viciſſim, inter uxorem adoptati & adoptantem. 3°. Inter filios aut filias adoptantis & adoptatum vel adoptatam ; sed ista non sunt in usu apud nos, cùm in Gallia non eligantur, sed nascantur hæredes.

Q. 7°. *Quid est cognatio naturalis seu consanguinitas ?*

R. Est vinculum personarum ex eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum.

Cùm autem descendentes possint esse stipiti seu origini propinquiores vel remotiores, gradus in consanguinitate debent observari.

Q. 8°. *Quomodo computantur gradus consanguinitatis ?*

R. Canonistæ & Theologi duplicem lineam statuunt : alteram rectam, alteram transversam, seu collateralem.

Linea recta est ordinata series consanguineorum qui à se mutuò descendunt, ut à patre filius, vel filius ab iis qui respectu avi aut aviæ dicuntur nepotes vel neptes, &c.

In hac linea pater, qui est stipes & origo totius genealogiæ, non computatur, ideoque filius, qui ab ipso immediatè procedit, est in primo gradu, nepos qui à filio immediatè originem ducit, est in secundo gradu, pronepos in tertio, abnepos in quarto, & hujus filii in quinto.

In linea transversa seu collaterali non comparantur descendentes cum iis à quibus gradatim descendunt sicut in linea recta ; sed omisso communi stipite, nimirum patre, inter se conferuntur ut frater cum sorore ; hi autem qui primi occurrunt in hac linea & immediatè descendunt à stipite, com-

putantur in primo consanguinitatis gradu ; filii verò fratris & sororis, quos consobrinos vocamus, in secundo ; filii consobrinorum in tertio, ab his nati in quarto, & sic deinceps.

Q. 60. *Consanguinitas dirimitne matrimonium in quolibet gradu ?*

R. 1°. Dirimit in linea recta. Ita respondit Nicolaus I. ad Consulta Bulgatorum, cap. 39. *Inter eas personas*, inquit, *quæ parentum liberorumve locum inter se obtinent, nuptiæ contrahi non possunt, veluti inter patrem & filium, vel avum & neptem .... & usque in infinitum.*

R. 2°. Consanguinitas in linea collaterali dirimit matrimonium usque ad quartum gradum inclusivè, nec ulteriùs ex Concilio Lateranensi IV. cap. *Non debet*, tit. *de Consanguinit. & affinit.*

Circa lineam collateralem observandum est, 1°. Consanguineos inter se conferri vel in gradu æquali, ut frater & soror, vel in gradu inæquali seu mixto, ut aiunt, sicut frater cum filia sororis, respectu cujus dicitur avunculus, vel filius sororis cum sorore matris, respectu cujus vocatur matertera. Ideo autem gradus inæqualis dicitur mixtus, quia conflatur ex gradibus diversis ; avunculus v. g. est in primo gradu, & filia sororis in secundo.

Porrò si in gradu mixto remotior est quintus, nihil impedit quominùs matrimonium validè & licitè contrahatur, etiamsi alter contrahentium sit in quarto vel etiam secundo gradu. Ista definiit Gregorius IX. cap. *Vir*, tit. *de Consanguinit. & affinit.*

Observandum est 2°. in gradu mixto qui attingit primum exprimi debere à supplicibus pro dispensatione obtinenda quis sexus sit in primo gradu, an vir, an mulier ; quia longè difficiliùs conceditur ut filius sororis vel fratris in uxorem ducat amitam aut materteram, quàm patruus aut avunculus filiam fratris aut sororis ; honestati enim repugnare videtur ut amita vel matertera quæ

jure naturæ ſuperior eſt, & in qua relucet auctoritas paterna vel materna per matrimonium ſubdita fiat & inferior.

Nec illud omittendum in gradu mixto ſemper incipiendum eſſe à gradu maſculi, quamvis ſit remotior à ſtipite; ſic relatio amitæ vel materteræ ad filium fratris vel ſororis dicitur à ſecundo ad primum, patrui verò vel avunculi ad fratris vel ſororis filiam, dicitur à primo ad ſecundum.

CRIMEN.

Q. 1°. *Quæ crimina dirimunt matrimonium?*

R. Homicidium & Adulterium.

Q. 2°. *Quot in caſibus duo illa crimina dirimunt matrimonium?*

R. In quatuor caſibus.

1°. Quando quis occidit conjugem, conſpirante vel conſentiente occiſi conſorte, ſuperſtes enim conjux non poteſt matrimonum inire cum homicida, ex cap. *Laudabilem*, tit. *de Converſ. infid.*

2°. Quando cum homicidio unius conjugum præceſſit adulterium cum ſuperſtite, etiamſi ſuperſtes in homicidium non conſenſerit, ex cap. *Super hæc*, tit. *De eo*, qui duxit uxorem, quam polluit per adulterium.

3°. Cùm adulterium commiſſum eſt accedente promiſſione acceptatâ futuri matrimonii poſt obitum conjugis. Nec refert, juxta Rituale Carnotenſe, quòd promiſſio adulterium præceſſerit, vel ſubſecuta fuerit.

Dixi 1°. *Accedente promiſſione*, quia ex ſancto Auguſtino, lib. 1. *de Nupt. & Concup.* cap. 10. *Mortuo viro cum quo verum connubium fuit, fieri poteſt conjugium cum quo præceſſit adulterium.*

Dixi 2°. *Acceptata*, niſi enim alter acceptaverit ſive expreſsè, ſive tacitè, adulterium non itritat matrimonium. Silentium autem non habetur pro acceptatione.

4°. Cùm quis, vivente legitimâ conjuge, matrimonium iniit & consummavit cum altera, consciâ prioris conjugii, hanc enim non potest habere uxorem; si quæ priùs ab eo legitimè ducta fuerat, fato fungatur, ex cap *Veniens*, lib. 4. tit. *De eo qui duxit in matrimonium, &c.*

Dixi 1°. *Et consummavit*, quia ex cap. *Si quis*, eodem titulo, si adulterium non commisit sive ante, sive post contractum hujusmodi matrimonium, nullum existit impedimentum.

Dixi 2°. *Altera conscia*, quia si bonâ fide contraxit liberum illum existimans, nihil obstat quominùs possit cum eo legitimè conjungi post obitum prioris uxoris.

CULTUS DISPARITAS.

Q. 1°. *Quid est cultûs disparitas?*

R. Est diversitas Religionis in contrahentibus.

Q. 2°. *Omnes Religione dispares suntne inhabiles ad contrahendum inter se?*

R. Minimè; namque Catholici, quamvis illicitè, validè tamen contrahunt cum Hæreticis.

Ergo cultûs disparitas irritat solummodò matrimonium Christianorum cum non baptisatis, putà Paganis, Judæis, Mahumeranis.

VIS.

VIs sive violentia infertur vel pœnis & vexationibus, vel minis quæ metum inficiunt.

Q. *Metus irritatne matrimonium?*

R. Irritat jure positivo si sit gravis & injustè incussus, ex cap. *Veniens*, & ex cap. *Consultationi*, tit *de Sponsalibus.*

Dixi 1°. *Jure positivo*, quia metus quantumcumque gravis, nec voluntarium, nec liberum perimit, sed minuit dumtaxat, adeo ut excusari omninò non

possit qui ex gravi metu pejerit. Ergo jure naturali valeret matrimonium ex gravi metu contractum, nisi Ecclesia injustè coactos declarasset inhabiles ad sic contrahendum.

Dixi 2°. *Si metus sit gravis*; quia metus levis ratio non habetur, alia vis ulla esset matrimoniorum firmitas. Quæ enim filiafamilias non objiceret se in matrimonium consensisse aliquo timore reverentiali vel mundano?

Dixi 3°. *Injustè incussus*; quia si justè incutiatur, quantùmcumque gravis sit, irritum non facit matrimonium, ut si Judex eum cogat timore mortis adducendam puellam quam stupravit.

ORDO.

Istud impedimentum ligat solummodò initiatos aliquo Ordine sacro, ut Subdiaconatu, Diaconatu, quos Ecclesia inhabiles reddit ad contrahendum matrimonium.

LIGAMEN.

Q. 1°. *Quid est Ligamen?*

R. Est vinculum matrimonii legitimè contracti, quod jure naturali & divino excludit secundas nuptias, nisi solutum fuerit morte alterutrius conjugis, vel solemni Religionis professione si matrimonium non fuit consummatum.

Ergo uxor cujus maritus præsumitur mortuus ob longam absentiam, nubere non potest nisi proferantur indicia moraliter certa, & ab Episcopo vel ejus Officiali examinata ac probata mortuum esse ejus maritum.

Q. 2°. *Quid facto est opus si omissâ ejusmodi diligentiâ, mulier illa ex levioribus indiciis alteri nupserit?*

R. 1°. Si ex insperato redeat maritus, mulier ad eum redire tenetur, omni cunctatione sepositâ,

esſetque adultera ſi cum poſteriore conjugaliter habitaret.

R. 2°. Vel certiora indicia haberi poſſunt, vel non: ſi primum, ſunt inquirenda, & interim abſtinendum à conjugio quando ſubeſt ratio dubitandi de validitate matrimonii. Si ſecundum, habenda eſt ratio bonæ fidei cum qua contraxerunt, vel ſaltem eorum alter. Fortè mulier ſtatum ſuum Parocho vel Confeſſario candidè aperuit, & ille auctor fuit ut oblatas nuptias acceptaret; atque in eo caſu liberè maneat in ſuo conjugio quandiu non ſupervenerit nova dubitandi ratio num prior conjux ſuperſtes ſit; ſi enim oriatur nova dubitandi ratio, abſtinere debet, donec dubium prudenter depoſuerit, ſed debitum reddat petenti qui illam bonâ fide duxit, nec ſimili premitur dubio. Ita decernitur cap. *Dominus*, tit. *de ſecundis Nuptiis.*

Sed ſi mulier malâ fide nupſit, Parocho obrepſit, debitum exigere non poteſt, ſed reddere tenetur marito falſicatis minimè conſcio; ſecùs, ſi ambo obrepſerint, tunc enim tenentur thoro ſe ſeparare donec conſtet de morte prioris mariti, quia propter dubium præcedens & malam utriuſque fidem, potiùs præſumitur adulterium quàm matrimonium.

HONESTAS.

Q. 1°. *Quid eſt honeſtatis impedimentum?*

R. Eſt quædam ſpecies affinitatis quæ oritur ex ſponſalibus validis & ex matrimonio rato, ſed non conſummato.

Q. 2°. *Remanetne illud impedimentum poſt ſponſalia diſſoluta, ſive ex conſenſu partium, ſive per ſententiam Judicis, ſive per mortem alterius ſponſi?*

R. Negarunt nonnulli moderni, ſed abſque fundamento. Refert Fagnanus in caput *Ad audientiam*, tit. *de Sponſ. & Matrim.* quæſtionem delatam ad ſacram Cardinalium congregationem, quæ decla-

ravit die sextâ Julii anno 1658. ejusmodi impedimentum non tolli per sponsalium dissolutionem, quod summus Pontifex Alexander VII. jussit observandum.

Q. 3°. *Ad quem gradum extenditur illud impedimentum?*

R. Ad quartum inclusivè, si oriatur ex matrimonio rato; ad primum verò dumtaxat, ex Concilio Tridentino, sess. 24. caput 3. de Reform. quando exurgit de sponsalibus validis. Dico *validis*, quia sponsalia irrita & nulla non pariunt impedimentum.

Ergo Titius post mortem Berthæ quam desponsaverat, non potest contrahere cum sorore defunctæ, neque cum ejus matre, neque cum ejus filia, sed potest cum ejus consobrina.

AMENTIA.

CErtum est amentiam jure naturali inhabilem reddere ad contrahendum matrimonium, cùm tollat usum rationis, ac proinde omne consensum, sine quo non existit contractus.

AFFINITAS.

Q. 1°. *Quid est affinitas?*

R. Est personarum proximitas proveniens ex copula carnali, per quam duo diversæ cognationes fiunt una caro; sicque consanguinei viri evadunt affines consanguinei mulieris, & vicissim consanguinei mulieris, consanguinei viri.

Q. 2°. *Ad quem gradum se extendit illa affinitas?*

R. Distinguendum est. Ex copula licita & conjugali extenditur in linea collaterali ad quartum gradum inclusivè, ex Concilio Lateranensi IV. cap. *Non debet*, tit. *de Consanguinitate*: ex copula verò illicita & fornicaria non progreditur ultra secundum gradum, ex Concilio Tridentino, sess. 24. cap. 4. de Reform.

Ergo Titius, defuncta uxore, non potest contrahere cum consanguineis defunctæ usque ad quartum gradum inclusivè: neque fornicator cum consanguineis fornicariæ primi & secundi gradûs, nempe cum ejus sorore aut consobrina, potest verò cum consanguineis remotioribus. Unde si sponsus fornicetur cum matre aut sorore sponsæ, non potest sponsalia implere, quia per ejusmodi fornicationem sponsa evasit ei affinis, neque potest ejus matrem aut sororem habere uxorem, propter publicam honestatem ortam ex sponsalibus.

Q. 3°. *Quomodo numerantur gradus affinitatis?*

R. Numerantur sicut gradus consanguinitatis, adeo ut quemadmodum soror uxoris est in primo gradu consanguinitatis, consobrina in secundo, matertera in primo ad secundum, & sic deinceps; ita eadem soror sit in primo gradu affinitatis respectu mariti, consobrina in secundo, matertera in mixto primi & secundi.

Q. 4°. *Affinitas paritne affinitatem?*

R. Jure veteri pariebat, ita ut si Maria, v. g. quæ nupserat meo fratri defuncto, & ideo mihi affinis, contraheret cum Petro, Petrus jure veteri esset mihi & sorori meæ affinis, nec posset post mortem Mariæ sororem meam ducere. Sed Concilium Lateranense IV. cit. cap. *Nos debet*, sustulit ejusmodi affinitatem. Unde jure novo affinitas non parit affinitatem; duo fratres licitè contrahunt cum duabus sororibus, pater quoque & filius legitimè conjunguntur, ille cum matre vidua, iste cum ejusdem viduæ filia.

CLANDESTINAS.

Q. 1°. *Quandonam matrimonium censetur clandestinum & nullum?*

R. Quando non contrahitur coram proprio Parocho vel alio Sacerdote de ipsius Parochi vel Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testi-

bus, ex Concilio Tridentino, seſſ. 24. cap. 1. de Reform.

Q. 2°. *Quis cenſetur proprius Parochus, an originis, an domicilii?*

R. Domicilii, niſi contrahentes ſint vagi ac domicilio careant. Praxis Eccleſiæ illud demonſtrat & ſuadet ratio, quia in loco domicilii banna proclamantur, & ibi deprehendi poteſt, ſi quæ ſint impedimenta.

Dixi, *Niſi ſint vagi*, hi enim contrahere poſſunt coram Parocho loci, in quo diverſantur, obtentâ priùs Ordinarii licentiâ, ex Concilio Tridentino, ſeſſ. 24. cap. 7. de Reform.

Q. 3°. *Quamdiu extraneus commorari debet in Parochia, ut ibi ſortiatur ſufficiens domicilium ad contrahendum?*

R. Juxta conſuetudinem in Gallia receptam & Edicto regio confirmatam, extraneus, ſi ſit ejuſdem Diœceſeos, per ſex menſes in Parochia ſedem fixiſſe debuit; & per annum, ſi diverſæ Diœceſeos, priuſquàm ibi ad Sacramentum matrimonii admittatur.

Q. 4°. *Qui metu ne parentes aut alii ſe opponant eorum matrimonio, aliò demigrant ibique commorantur per tempus lege præſcriptum, ad ſuos poſtea redituri, contrahuntne illic validè?*

R. 1°. Si ſint filiifamilias non debent admitti ſine conſenſu parentum, alioquin tam Parochus quàm contrahentes ſeveritati regiorum Edictorum meritò ſubjacerent. 2°. Si ſint ſui juris, ratum ac firmum eſt eorum matrimonium, utpotè juxta præſcriptum legis celebratum. Ita Sylvius in Supplementum ſancti Thomæ, quæſt. 45. art. 5. Bonacina de proprietatibus matrimonii, quæſt. 2. puncto 8. num. 7. ubi alios pro ſua ſententia appellat; & Fagnanus, in caput *Significavit*, tit. *de Parochiis*, num. 36. ſuamque ſententiam confirmat pluribus declarationibus Cardinalium.

Q. 5°. *Quando contrahentes ſunt diverſæ Parochiæ,*

ſatisne eſt ad veritatem matrimonii ut celebretur coram Parocho alterutrius contrahentis ?

R. Affirmativè, conſtatque ex univerſali Eccleſiæ diſciplina. Peccaret tamen Parochus ſi contrahent s admitteret non acceptis litteris teſtimonialibus alterius Parochi, quibus certiorem illum faceret ſe banna ſui Parochiani ter proclamaſſe, nemine contradicente, ipſumque Parochianum ad Sacramentum Pœnitentiæ acceſſiſſe, banna enim, etſi non ſint de neceſſitate Sacramenti, ſunt tamen de neceſſitate præcepti.

IMPOTENTIA.

Q. 1°. *QUæ impotentia impedit & irritat matrimonium ?*

R. Antecedens & perpetua, ſive illa ſit abſoluta, ſive reſpectiva, ut habetur cap. *Fraternitatis*, tit. *de Frigidis & Maleficiatis.* Impotentes, ex defectu naturali, dicuntur frigidi; ex maleficiò, maleficiati.

Dixi 1°. *Antecedens*; quæ enim ſupervenit matrimonio contracto & rato, licèt nondum conſummato, matrimonium non dirimit.

Dixi 2°. *Et perpetua*, quia temporalis, quæ tolli poteſt vel creſcentibus viribus adoleſcentis vel medicorum remediis, contractum matrimonium non ſolvit. Capite autem *Laudabilem*, cit. titulo *de frigidis*, triennium conceditur conjugibus ad tentandum num conſummare poſſint, quando dubitatur ſine perpetua impotentia; ſi enim eſſet certa, ut in ſenibus, quæ quotidie evadit major, ne ſemel copulam attentare licet.

Dixi 3°. *Sive ſit reſpectiva*; contingit enim aliquando ut quis ſit impotens reſpectu unius, & potens reſpectu alterius; unde ſoluto matrimonio propter ejuſmodi impotentiam reſpectivam, poteſt ille contrahere cum alia.

Q. 2°. *Impotentia eſtne idem ac ſterilitas ?*

R. Minimè; ii quippe ſoli dicuntur impotentes qui non poſſunt conſummare matrimonium, nec

per copulam fieri una caro : ſteriles verò, qui ex copula præhabita fructum, ſcilicet prolem non ſuſcipiunt, ut ſenes adhuc habiles ad conſummandum matrimonium, ſed inhabiles ad generandum.

RAPTUS.

Q. *Quid eſt raptus ?*

R. Raptus generatim deſcribi poteſt, perſonæ abductio vi aut ſeductione ad contrahendum matrimonium.

Ergo duplex eſt raptus : alius dicitur violentiæ, quando filius aut filiafamilias renitens, abducitur è domo paterna ; alius ſeductionis & ſubornationis, cui perſona rapta non repugnat, blanditiis, voluptatis illecebris & promiſſis ſeducta : uterque autem raptus eſt impedimentum dirimens, nec poteſt conſiſtere matrimonium inter raptorem & raptam, niſi perſona ſit à raptore ſeparata, & in loco tuto & libero conſtituta, ex Concilio Tridentino, ſeſſ. 24. cap. 6. de Reform. Non cenſetur autem in Senatu Pariſienſi puella in loco tuto & libere, niſi poteſtati paternæ ſubjaceat. Sanctus Thomas, ſecundâ Secundæ, quæſt. 154. art. 6. *de utroque raptu*, ſic ſcribit : *Violentia quandoque infertur tam ipſi virgini quàm patri: quando autem infertur patri, ſed non virgini, putà cùm ipſa conſentit ut per violentiam de domo patris abſtrahatur.... qualitercumque violentia adſit, ſalvatur ratio raptûs.*

CAPUT VIII.

De Diſpenſatione circa impedimenta Matrimonii.

Q. 10. *Quis diſpenſare poteſt circa impedimenta matrimonii ?*

R. Ex communi Eccleſiarum conſuetudine, quæ

vim legis obtinet, solius est summi Pontificis dispensare in impedimentis dirimentibus jure humano inductis, ubi præsertim agitur de matrimonio contrahendo.

Dixi 1°. *In impedimentis dirimentibus*, Episcopus enim dispensat in impedimentis simplicibus, exceptis tamen votis Religionis & castitatis perpetuæ.

Dixi 2°. *Jure humano inductis*, quia in iis quæ sunt juris naturalis & divini, nulla potest esse dispensatio.

Dixi 3°. *Ubi præsertim agitur de matrimonio contrahendo*, quia quando matrimonium est bonâ fide contractum cum impedimento occulto, nec sine scandalo aut magno incontinentiæ periculo in contrahentibus, recurri potest ad summum Pontificem. Dispensandi facultatem penès Episcopum esse docent communiter Theologi & Canonistæ, & ita fuisse sibi responsum in Curia Romana scribit Zerola in praxi, 1. part. verbo *Dispensatio.*

Quin plures Episcopi in Gallia contendunt suas Ecclesias ex diuturno usu præscripsisse adversùs consuetudinem, atque eo titulo dispensant, nemine contradicente, ab aliquibus impedimentis dirimentibus, etiam publicis, sive de contrahendo, sive de contracto matrimonio agatur.

Q. 2°. *Quando contrahentes sunt è diversis Diœcesibus, estne necesse ut uterque Episcopus dispenset?*

R. Affirmativè, quia neuter habet jurisdictionem in incolam alterius Diœcesis.

Q. 3°. *Quomodo matrimonium priùs irritum, convaluit, dispensatione impetrata?*

R. Si impedimentum sit publicum, contrahentes novum consensum præbere debent coram Parocho & testibus; si sit occultum, satis est ut contrahentes qui priùs coram proprio Parocho contraxerant, sed invalidè, mutuò consentiant occultè & sine testibus. Est communis Theologorum & Canonistarum sententia; & ita declaravit Pius V. motu proprio apud Sanchez, lib. 2. disp. 37. observaturque.

Q. 40. *Quid observabit Confessarius, quando in conjuge pœnitente deprehendit occultum impedimentum dirimens?*

R. Observabit 1o. Num impedimentum illud supervenerit matrimonio jam contracto, fortè pœnitens rem habuit cum persona consanguinea aut affini conjugis, vel præcessit matrimonium; si supervenit, non irritat matrimonium, utpotè indissolubile, sed privat dumtaxat incestum jure petendi debiti, (nisi cum ipso dispensetur,) non verò reddendi: si autem impedimentum præcesserit, irritum reddit matrimonium. Sed Confessarius.

Observabit 2°. Utrùm pœnitens noverit illud impedimentum, aut de eo dubitet, interrogetque vel prorsùs illud ignoret.

Si primum, Confessarius declarabit matrimonium ejus esse nullum, quærendasque occasiones, quibus thoro separetur, ad vitandum fornicationis crimen, quo pœnitens reum se constitueret, non solùm exigendo, sed etiam reddendo debitum, cùm revera non sint conjuges, qui sic contraxerunt.

Si secundum, Confessarius non commonebit pœnitentem hujusmodi impedimenti, maximè si sit mulier, ne eam in proximam fornicationis occasionem conjiciat, nempe reddendi debitum exigenti alteri minimè conscio impedimenti, sed quem à Confessario didicit non esse sibi conjugem, ut hactenus bonâ fide existimaverat, ac propterea maritaliter absque culpa cum eo vixerat, atque etiamnum viveret, nisi à Confessario incautè esset prænonita. Confessarius igitur non deteget ejusmodi impedimentum, sed prætexet aliam causam differendi absolutionem, putà peccati gravitatem, propter quam ad Episcopum recurrat necesse est.

Plura sunt alia & quidem gravia ac difficilia circa dispensationes discutienda, quæ cùm in compendium reduci nequeant, ab iis hic abstinemus, lectoremque remittimus ad tomum nostrum 3. de Legibus, cap. 10. & 12. & ad tomum 7. de matrimonio, cap. ultimo.

FINIS.

Approbatio D. PASTEL, *Doctoris & Socii Sorbonici.*

DE Mandato Illuſtriſſimi Galliarum Cancellarii, Librum legi cui titulus eſt : *Compendium Theologiæ dogmaticæ, & moralis, ad uſum Seminarii Catalaunenſis.* Nihil in opere deprehendi fidei catholicæ, aut bonis moribus contrarium. Datum Pariſiis, die Junii decimâ, anno 1712.

PASTEL.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS par la grace de Dieu, Roi de France & de Navarre : A nos amés & feaux Conſeillers, les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand Conſeil, Prévôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans civils & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra, SALUT. Notre bien amé ESPRIT BILLIOT, Libraire à Paris, nous ayant très-humblement fait ſupplier de lui vouloir accorder nos Lettres de Privilége pour l'impreſſion, vente & débit des ouvravrages de M. Louis Habert, Prêtre, Docteur en Théologie, de la Maiſon & Société de Sorbonne, intitulé : *Theologia dogmatica & moralis, ad uſum Seminarii Catalaunenſis; Compendium ejuſdem Theologiæ ; Et Pratique du Sacrement de Pénitence, ou Methode pour l'adminiſtrer utilement ; imprimé par l'ordre de M. l'Evêque, Comte de Verdun, pour ſervir aux Confeſſeurs de ſon Diocèſe* : Voulant favorablement traiter l'Expoſant, qui ſera obligé de faire de groſſes dépenſes pour l'Impreſſion deſdits ouvrages, Nous lui avons permis & permettons par ces Préſentes de faire imprimer leſdits ouvrages ci-deſſus énoncés en telle forme, marge, caractère,

en un ou plusieurs volumes, conjointement ou séparément, & autant de fois que bon lui semblera, & de les vendre, faire vendre & débiter par tout notre Royaume, pendant le tems de dix années consécutives, à compter du jour de la date desdites Présentes. Faisons défenses à toutes sortes de personnes de quelque qualité & condition qu'elles soient, d'en introduire d'impression étrangere dans aucun lieu de notre obéissance ; comme aussi à tous Libraires, Imprimeurs & autres, d'imprimer ou faire imprimer, vendre, faire vendre, débiter ni contrefaire lesdits ouvrages ci-dessus expliqués, en tout ni en partie, ni d'en faire aucuns extraits sous quelque prétexte que ce soit, d'augmentation, correction, changement de titre ou autrement, sans la permission expresse & par écrit dudit Exposant, ou de ceux qui auront droit de lui, à peine de confiscation des Exemplaires contrefaits, de trois mille livres d'amende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, l'autre tiers audit Exposant, & de tous dépens, dommages & intérêts ; à la charge que ces Presentes seront enregistrées tout au long sur le Registre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris, & ce dans trois mois de la date d'icelles ; que l'impression desdits ouvrages sera faite dans notre Royaume & non ailleurs, en bon papier & en beaux caractères, conformément aux Réglemens de la Librairie ; & qu'avant que de l'exposer en vente, il en sera mis de chacun deux exemplaires dans notre Bibliothéque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, & un dans celle de notre très-cher & féal Chevalier, Chancelier de France, le sieur Daguesseau; le tout à peine de nullité des Présentes, du contenu desquelles vous mandons & enjoignons de faire jouir l'Exposant ou ses ayans cause, pleinement & paisiblement, sans souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons que la copie desdites Présentes qui sera impri-

mée au commencement ou à la fin desdits ouvrages, soit tenue pour dûement signifiée, & qu'aux copies collationées par l'un de nos amés & féaux Conseillers & Secrétaires, foi soit ajoûtée comme à l'original. Commandons au premier notre Huissier ou Sergent, de faire pour l'exécution d'icelles tous Actes requis & nécessaires, sans demander autre permission, & nonobstant Clameur de Haro, Charte Normande & Lettres à ce contraires : CAR tel est notre plaisir. DONNE' à Paris le vingt-quatrième jour du mois d'Août, l'an de grace mil sept cent dix-sept, & de notre regne le deuxième. Par le Roi en son Conseil, FOUQUET.

Registré sur le Registre N°. 4. de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris, page 199. N°. 228. conformément aux Réglemens, & notamment à l'Arrêt du Conseil du 13. Août 1730. A Paris le vingt-septième jour d'Août 1717. Signé DELAULNE, *Syndic.*